PHAEDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLARVM
AESOPIARVM
LIBRI QVINQVE

CVM

NOVO COMMENTARIO

PETRI BVRMANNI

MITAVIAE
APVD IACOBVM FRIDERICVM HINZIVM
cIↄIↄcclxxiii.

LECTORI BIBLIOPOLA

Etsi vix opus esse arbitramur, Nouae huic Fabularum Phaedri editioni praemittere praefationem, paucis tamen vt Lectorem moneamus haud videtur absurdum. Nihil dicimus de ipso Phaedro, eiusque praestantia aliisque virtutibus. Nam quod omnium temporum doctorumque hominum de eo fuerit iudicium, est notissimum, et vel inde potest colligi, quod tot summorum virorum in eo se exercuerunt ingenia, vt partim vitia librariorum negligentia et inscitia inuecta indagarent, pristinoque ipsum nitori sinceritatique restituerent, partim dubiis obscurisue locis ex doctrinae suae thesauris lucem accenderent, vt et facilis esset ad intelligendum, et cum delectatione afferret vtilitatem. Inter quos Cel BVRMANNVS facile tenet principatum, siue ἀκρίβειαν spectes, modestiamque, qua ipsum Phaedrum tractauit, siue laboriosissimam studium, quod adhibuit, ad veram tum singulorum verborum, tum totarum fabularum vim sensumque quaerendum demonstrandumque. Videtur omnino in hoc Commentario id egisse

BVRMANNVS, *vt in rectam viam tirones deduceret, doceretque, qua ratione esset vtendum in explicandis diligenter auctoribus antiquis, et qua modestia et religione Crisis esset exercenda, et quam saepe Critici turpiter lapsi, dum vel lectionem aliquam non satis intelligerent, aut normam quamdam, ad quam omnia refingerent, animo haberent informatum. Dixit haec omnia in egregia plane praefatione, factis et exemplis demonstrauit in Commentario. Cum vero huius editionis exempla inter ipsos Batauos essent rara, et apud nos non nisi ex auctionibus haud leui pretio emerentur, in animum induximus eam repetere, quo humanitatis studiosi et facilius et minoribus sumtibus possent comparare. Omisimus autem epistolam illam, quae apud Anglos sine auctore prodiit, tum quia ipse* BVRMANNVS *suae editioni inuitus adiunxit, tum, quia praeter rixas et acerba saepe in Bentlejum ex priuatis forte caussis orta conuicia, nihil magnopere, quod prodesset, continere videbatur. Addenda quae erant, suis quaeque locis disposuimus. Confidimus, repetitam hanc libri egregii editionem ingratam nemini futuram.*

ERVDITO ET AEQVO

LECTORI

Quum primum Phaedri nouam editionem abhinc fere triginta annis, a Cl. Graeuio, aliis et grauioribus curis diſtricto, curare iuberer, id ſolum negotii mihi datum eſſe credebam, vt ex diſperſis et magnam partem laceris Gudii ſchedis, illa colligerem et digererem, quae vir doctiſſimus et acutiſſimus olim ad Fabulas has illuſtrandas commentatus eſſet, et quorum magna exſpectatio a clariſſimis viris Heinſio, Gronouio, et Graeuio erat dudum excitata. Quam prouinciam quum, vt poſſem, non vt optarem, ea fide et ſedulitate, quam in alienis prodendis laboribus praeſtare oportet, adminiſtraſſem, non modo tamdiu venditatas et deſideratas notas auide fuiſſe ab eruditis exceptas, ſed procedente tempore plurimos excitatos deprehendi, vt, quaſi agmine facto, eas excuterent, et emendationes et coniecturas, ab ingenio et doctrina inſtructiſſimo viro prolatas, vel laudatas confirmarent, vel reiectas refellerent, aut etiam acerbius notatas infamarent. Tot certe ab eo tempore nouae Phaedri editiones, in Anglia, Germania et noſtra quoque patria a diverſae notae viris doctis curatae prodierunt, vt iam nihil habeat, quod queratur Phaedrus minorem ſibi eſſe curam adhibitam, quam Principibus veteris Latii Poëtis.

Sed quum ad hanc, vt paratam et facilem, gloriam ſine vllo diſcrimine docti et rudiores, Principes in republ. literaria viri, et tirones et ludimagiſtri, qui vel ingenii oſtentandi ambitione ducti, vel obloquendi prioribus editoribus ſtudio ablati, conuolarent, ſenſim tot adnotationibus, coniecturis et emendationibus paruus hic libellus fuit obrutus, vt ſub earum pondere hodie gemere iure omnibus videatur. Ego vero, quum ad priorem Phaedri editionem adgreſſus eſſem, pauciſſimas et, fateor, ieiunas ſatis, et quae aetati meae et tirocinio magis convenire, quam merito eruditis primi ordinis placere poſſent, notas temere et opera tumultuaria congeſſeram. Eas vero, quum altera a librariis poſceretur editio, noua acceſſione, quae ſub manu fere naſcebatur, augere inſtitueram, numquam animum meum inducens, ad tenuem hanc, vt videbatur, materiem magis magisque ex profeſſo expoliendam, poſthac viros in literis noſtris ſummos, operas ſuas et laborem collaturos, ſed ſi quid hic et illic obſeruandum et corrigendum ſupereſſet, id quaſi praetereuntes, vt fieri ſolet, aliis obſeruationibus aut operibus inſerturos, opinione praeſumens. Neque ipſe poſt tres iam manu emiſſas editiones (tertia enim minoris formae in vſum puerorum, quibus ediſcendus hic ſcriptor in ſcholis dari ſolet, a me curata fuit) vmquam ſperaueram, vberiorem a me in Poëtam hunc commentarium deſideratum iri, aut cum aliquo Eruditorum de his fabulis in certamen me deſcenſurum praevidere potueram. Nam ita plane omnem de retractandis his notis curam abieceram, vt, licet plurimae quotidie ad me adferrentur ex omnibus Europae partibus nouo adparatu inſtructae editiones, illas tamen non niſi oculo properante et animo aliis occupato legerem, et mox in ordinem librorum, quos raro iterum ad examen reuocare ſoleo, reiectas negligerem. Sed ecce de Phaedro nihil amplius cogitanti, et ad alia intento paratoque, nouae ſubito ex Britannia Terentii, et ſimul, quem comitem

mitem secum traheret, Phaedri editionis fama adfertur, quae sermonibus eruditorum celebrata, ingentem mihi exspectationem commouebat. Artificis enim summi, et qui notis, omnibus ingenii et doctinae lumine splendentibus, in Horatium, inuidiosas laudes meruerat, *Cl. Bentleji* manu expolitae ferebantur. Neque quisquam erat, qui non ad dignationem, quam inter Literatorum principes sibi comparauerat Vir Illustris, ingentem ex duorum Poëtarum cura accessurum cumulum ominaretur. Ego vero, vt verum fatear, nec lubens, nec laetus hunc nuntium accipiebam. Nam et leuis mihi operae, nec satis exacti et limati laboris conscius, quem aliud quasi agens olim huic scriptori impenderam, ne cum viro primario, et quem semper maximi feceram, et cuius amicitiam, a Cl. Graeuio quasi hereditate relictam, summa religione semper colueram, committerer, subverebar. Et quia acutum in aliorum vitiis cernere, nec facile admissa priorum editorum praeterire virum doctum nouissem, metuebam, ne irritabilem, vt Criticorum etiam bonorum esse non ignoro, animum in me ignota quadam caussa commouissem, quae forte in messem meam immittendi falcem impetum et ardorem ipsi iniecisset. Non etiam (nihil enim ingenuo et aperto, vt esse studeo, viro dissimulandum puto) me tam placidi aut patientis esse ingenii experiebar, vt, quotiescumque in difficiliori aliquo enodando aut emendando scriptoris veteris loco pulchre successisse mihi blandirer, quasi ouem me haberi, aut tironis in numerum ab imperioso magistro referri sustinerem. Hanc tamen mihi a longo jam tempore legem dixeram, ne praeter *Clericos* aut *Capperonnerios*, aut similes fucos et compilatores alienorum scriniorum, quibuscum inexpiabile et ἄσπονδον semper decet vere eruditis manere bellum, sponte lacesserem, immo ne indignarer quidem, etsi quis partes, quas ego susceperam, sibi agendas esse denuo persuaderet, quia ad publica munera, et omnibus aequo iure ex-

posita veterum scripta, venire vnicuique liceret: et si quis auctoribus a me intactis manum criticam admoueret, licet plurima in legendo animaduerterem, de quibus in alia omnia discederem, constitueram dudum apud me, potius ea de manibus deponere et negligere, quam in noua eiusdem scriptoris editione, cum prioribus, aut qui me praeuerterant, commentatoribus rixari. Et haec sola me ratio adhuc a quibusdam aliis Poëtis in lucem mittendis retraxit; quia vel Cl. *Bentlejum* se isti curae accinxisse, vel alios etiam publice hos vel illos scriptores se edituros promisisse scirem, ne vel praeueniendi alacritate, vel, si ante meam exiissent curam, obtrectandi et obloquendi studio famam ex aliorum vituperatione captasse merito arguerer. Eiusque siue modestiae, siue timoris specimen iam certum dedi, cum librarii a me olim nouam Horatii editionem exposcerent, quam, licet multa in hunc Poëtam, quem et ab ipsa pueritia diligenter versaueram, et publicis etiam et priuatis scholis auditoribus meis saepe explicueram, parata haberem, exire passus sum, sine vlla notarum accessione, aut nominis mei titulo; tantum id mihi sumens, vt nuda Poëtae verba, ad nullius editoris praescriptum, sed vt tunc mihi placebat, lectoribus exhiberem. Etsi enim multa egregie et ingeniose a Celeberrimo *Bentlejo* emendata et illustrata esse lubens agnoscerem, nondum tamen illa omnia pro arbitrio, et sine veterum membranarum auctoritate, in antiquis nouandi ratio et lubido se mihi probare poterat. Quia tamen in ipsa Poëtae, etiam perperam correcti, interpretatione, et in emendationum dubiarum quoque confirmatione, ingentem eruditionis vim et apparatum mirarer, numquam sine voluptate et fructu ab earum notarum lectione recedebam, et quod nouis quibusdam et inauditis antehac coniecturis refragaretur animus, meae in arte critica imperitiae, et ingenio minus perspicaci adscribere, quam audaciae aut confidentiae commentantis malebam. Eadem

dem quoque litium et rixarum fuga me a Lucano deinde edendo reuocauit, quia iam ante ſex et quod excurrit annos, tam publice omnibus, quam priuatim mihi, pollicitus erat Vir Illuſtris nouam eius Poëtae editionem, immo iamiam ſe typis committere mihi nuntiauerat. Ex ſpecimine enim facile de toto opere coniectabam, me, ſi eumdem in campum me demittere vellem, non poſſe non diſſentire a viro egregio, cuius amicitiam integram et illibatam mihi conſeruare conſtitueram. Et hanc ergo dimiſi curam, anxie exſpectans in dies Lucani nouam, et Horatianae ſimilem editionem. Hoc animo quum eſſem, proximi anni vere ad manus meas, dono celeberrimi editoris, perfertur tandem noua Terentii editio, cui Phaedrum acceſſiſſe videbam, quam ſumma cum alacritate arripiens, ſperabam, ex eruditionis nouo theſauro me poſſe exiguas copias augere: et cum diu multumque iactatum per Britanniam audiuiſſem nobis Terentium modis et numeris reſtitutum, eum Virbii inſtar, recollectis a laceratione crudeliſſima membris integratum credens, aliquot dies ſolidos nouis his epulis me ſaturabam. Eodem etiam tempore, licet paullo ante exiiſſet, alteram Terentii editionem a doctiſſimo viro *Franciſco Hare,* non aliunde mihi cognito, inſpicere coeperam, et cum inter hos duumviros parum conuenire de verſibus Comicis viderem, cauſſam, vt aequus iudex, cognoſcere inſtitueram. Sed licet bis terue eorum de metris Plautinis et Terentianis cogitata et commenta excuſſiſſem, quum ſemper me incertiorem, quam antea, a meditatione arcanae huius artis, diſcedere deprehenderem, hanc curam in aliud tempus depoſui, et ad Phaedri mei fabellas me contuli, vt quid nouae opis et auxilii adfectis eius membris eſſet a Cl. *Bentlejo* adlatum explorarem. Hic vero me animi falſum et iudicii feſtinatione deceptum dolui: quum enim Horatianis non inferiores notas animo praeceipiſſem, ne Terentianae quidem ſimilem curam, aut diligentiam

 digna-

dignatum fuiſſe virum ſummum huic fabularum ſcriptori adhibere deprehendi: ſed Terentianae merci, delicatae et lautae, contemptim adiecta appendix, et leviori manu tractata et properata mihi apparebat; notae vero ex illo eſſe genere, quales viris doctis inter legendum ſaepe naſci, et orae codicis adlini ſolent. Quare eas quoque perlectas ſeponebam, neque de noua Phaedri mei editione certum capiebam conſilium, cum quia cum eruditiſſimo et amiciſſimo viro contendere nolebam, tum quia licet quaedam meis contraria et diſſimilia eſſe viderem, quaedam tamen Heinſianis et meis conſentientia, aliquando tacite, aliquando cum honoris praefatione, in ſuas notas ab editore translata eſſe deprehenderem, vniuerſa vero leuiora, et a feſtinante, ignotam mihi ob cauſſam, auctore effuſa videbantur. Nec enim coniicere poteram, vbi notas has cum Horatianis, aut etiam Terentianis conferebam, quae ratio mouiſſet virum eruditum, vt tam nudas, et, vel paucis verbis ratione reddita, vel ſaepius nulla, emendationes orbi literato obtruderet, cuius ipſi ſatis perſpectum erat faſtidium, et qui nihil ſibi pro imperio ingeri patitur, ſed illud ſolum approbare ſolet, quod rationibus ſolidiſſimis confirmari videt. Cuius ſententiae fuiſſe ſemper ipſum credideram Virum doctum, poſtquam Horatianas emendationes tam longo verborum ambitu, et tot exemplis vndique coacervatis, adſtruere eum olim miratus fueram. Nunc vero obſtupeſcebam nobis nihil fere exhiberi, niſi *ita lege, repone etc.* et in praefatione huius abrupti et breuis edicti non aliam reddi rationem, niſi relinqui confirmandi coniecturas prouinciam illis, qui poſt Cl. auctorem eas ſint probaturi. Accinxi ergo me, et conatus fui omni contentione animi, quaerere confirmandis tot coniecturis nouis et paradoxis rationes, et circumſpicere, an forte diuinare poſſem cauſſas, quae vatem inſignem ad edenda haec ex adytis doctrinae reconditae reſponſa potuiſſent impellere. Sed poſtquam animum

animum per omnia verſatum, ad conſentiendum impellere nequibam, hunc non exactum ſatis pro ingenio et doctrina viri egregii laborem, et cuius forte poſtea, ſi ſecundis curis retractare vellet, poenitere poſſet, iudicare cogebar. Quare hanc quoque curam deponere conſtitueram, et cum noua haec commentandi et auctores veteres vexandi ratio nec mihi, nec aliis, qui ſtudia noſtra tractant, ſe approbaret, ideoque paucos fore, qui conatibus his temerariis ſuffragarentur, animo proſpicerem, ſingulas ad examen reuocare notas operae pretium vix videbatur. Ignoſcet, ſpero, ingenuitati meae et iudicio, nulla re mala corrupto, quod de his in Phaedrum notis veritas a me exprimit, neque deprecor, quo minus Vir Cl. de meis, ſi qua temere, aut inconſiderate ſcripſerim, pares mihi vices reddat. A talibus enim non modo doceri amice, patientiſſime ferre, ſed et obiurgari et caſtigari, in magna felicitatis parte habere decreui. Vix autem hoc cogitationum diuerſarum aeſtu compoſito, reſederat ardor aliquid reſcribendi, cum ecce adfertur ex eadem Britannia *Epiſtola Critica*, qua ſingulae notae et vniuerſus Cl. *Bentleji* in Phaedrum labor, non modo diligenter excutitur et ad examen reuocatur, ſed non ſine verborum contumelia acerbiſſime etiam exagitatur. Cuius ſcripti, quicumque fuerit auctor, ſibi ipſe iniuriam magnam mihi feciſſe videtur, qui hac arrepta virum egregium lacerandi occaſione, reliqua eius in rempubl. literariam merita maligne admodum deterit, et de eius conatibus, muneribus, moribus, tot opprobria congerit, quae ſcire neminis, certe exterorum, parum refert. Quid enim, quaeſo, ad doctrinae, aut editarum in veteres auctores notarum vituperationem, pertinet, quod ampliore earum auctor fortuna et commodis vberioribus, Regis aut Procerum beneficio, fruatur, quam alii, qui ad hanc munificentiam adſpirare nequeuntes, felicioribus inuidere ſolent? Haec ſane, et alia eius notae, opprobria et conuicia, longe ab his literariis contentio-

tentionibus deberent esse remota, et nisi quis plane rudis et illiteratus debita doctis praemia ambitione et malis artibus intercipiat, nulli benignitas fortunae, quae luculentum eruditis otium praestare potest, vt crimen obiici meretur: si quid vero admisisse aut perperam prodidisse censeatur, id modeste et pondere argumentorum refutare, nullam esse inuidiam arbitramur. Indignatus ergo, tam indignis modis, vt mihi, ignoranti omnes odii et inuidiae caussas, videbatur, Virum summum haberi, et in hac contentione Phaedrum meum quoque passim attentari, non potui non committere, quin Auctori, quem ter iam editum ad meam quoque curam pertinere nemo negabit, tam crudeliter lacerato, et varias in partes a duobus inter se concertantibus distracto, aliquid medicaminis aut leuamenti adferrem. Sed vix permittebant qua publicae, qua priuatae curae, quibus pluribus, quam quisque credat, distineor, vt me totum Phaedro impenderem, et in exitu maxime laborantes Ouidii mei, et Sylloges operosissimae Epistolarum a viris illustribus scriptarum, editiones, vt omnibus relictis, summam illis manum imponerem, suadebant. Quare quum iam hanc quoque curam in tempus magis vacuum aut ferias longiores reiecissem, ecce incidit ingratum nimis, et quale numquam optauerim, otium, quod, vlcere in crure dextro, non apparente caussa enato, me continere, et intermissis Academicis disputationibus, totos dies velut claudum sutorem desidere domi aut in lectulo cubare, cogebat. In solitudinem ergo domesticam, et cubiculum, velut carcerem detrusus, ne penitus hebesceret et languesceret animus, qui satis in corporis etiam maximo incommodo vigebat, Phaedrum, vt remissionem mihi adferret, in manus sumebam, et adfixus cathedrae vel lectulo lucubratorio, harum, quas vides lector, notarum intra trium fere mensium, antequam ad sanationem plane veniret curatio, spatium primas lineas ducebam: deinde vero, vbi

in

in museum et bibliothecam erepere, vulnere iam coalescente, datum fuit, accuratius paullo inter operarum typographicarum moras, retractatas publico omnium iudicio exposui. Id vero vnice operam dedi, ne vel in Cl. *Bentlejum,* cuius doctrinam non modo et ingenium, sed etiam amicitiam semper maximi feci, et adhuc facio, grauius aut durius pro merito dictum excideret, aut etiam aduersarium, licet fines, in his contentionibus ponendos, honesti et decori, egressus videatur, acerbius perstringerem: sed relictis priuati inter viros (quod doleo) eximios odii caussis, vtrique, quoniam et mei non sine honore meminerunt, parem referrem gratiam, et praetermissis omnibus, quae nihil ad hanc, quam agimus, rem attinent, sine verborum contumelia, rationibus et argumentis meam de Phaedri verbis sententiam confirmarem. Quo vero tempore ad scribendum animum adpellerem, nec coniectura nec percunctando potui exquirere, quis *Epistolae* eius *Criticae* Auctor foret, nec nisi iam descripto penitus typis Phaedro, et praefationi huic admota manu, dum in indice et reliquis, quae vltima curari solent, excudendis operae haerent, didici ex proximo, qui prodiit Decembri mense anni MDCCXXVI. tomo Ephemeridum Parisiensium, haberi vulgo Auctorem eumdem, qui Terentium edidit, Cl. *Hare,* quem male etiam habitum in Terentianis Cl. Bentleji notis, in has iras exarsisse facile mihi persuadere poteram. Quare continuo mecum, hinc illae lacrimae! hinc illa stili et verborum asperitas! Quicumque vero sit, (non enim confirmandi aut amouendi suspicionem partes mihi sumo, neque cum illo committi volo) ipsum, si quid a me, quod displicuerit, dictum deprehendit, non aliter accepturum spero, quam vt in publice edita et scripta, non personas, mihi ius natum esse sibi persuadeat: nihilque aliud mihi proponi, et Viri eruditi, et omnes lectores sciant, nisi vt accuratius vtriusque scripta cum meis olim editis notis compararem, et si quid me-

lius

lius in medium attulerint, etiam calculo meo adprobarem: ſin minus, modeſte et grauiter mea defenderem. Non enim cum tenebrionibus, aut rudibus bonarum artium et indoctis theologis, ſed cum ſumma eruditione illuſtribus viris mihi negotium fore praeuidebam, qui vel ſolo nomine inuidiam mihi facerent, ſi temere ab illis prolata reiicerem. Quare vt et mihi et exiſtimationi meae conſulerem, ſi quid in eorum animaduerſionibus deprehenderem, quod aliqua veri ſpecies commendaret, id non modo non impugnare, ſed cum honoris commemoratione laudare deſtinabam: ſin vero adſenſum meum nouitas aut ſola corrigendi libido mereri non poſſet, non aliunde arma mihi ſumere, niſi ex veritate et euidentia rationum, Latini ſermonis conſtanti et perpetuo vſu, et denique ipſius Phaedri ſtilo et genio, animo meo proponebam. Ad quam ſi me normam, relictis aliis omnibus, componerem, ſperare mihi iure videbar, fructum aliquem ad lectores, qui Phaedri fabellis capiuntur, rediturum, et praecipue ad adoleſcentes et tirones, qui ex hac noſtra commentandi ratione diſcerent, quanta cum modeſtia veterum ſcriptorum monumenta tractare omnes deceat. Diſſimulare praeterea nequeo, ad exponendum publico omnium iudicio hunc in Phaedri fabulas commentarium, praeter iam dictas cauſſas, vehementes etiam ſtimulos ſubieciſſe iuſtum timorem, ne diſciplina et ſecta haec auctores veteres non modo emendandi, vbi merito librarii aberraſſe cenſeri poſſunt, ſed penitus innouandi integras ſcriptorum manus, et pro antiquis et adhuc laudatis veterum codicum lectionibus recentiorum coniecturas obtrudendi pro arbitrio, inualeſceret, et animos iuuenum, qui ad artis Criticae, vt facilem et paratam laudem, conuolare auderent, peſtilenti ſidere adflaret. Quibus enim finibus coërcebitur rudiorum et ſemidoctorum audacia, ſi viros ſummos et magni in republica literaria nominis, non modo hanc viam munientes, ſed inde praecipuam

doctri-

doctrinae et ingenii laudem captantes, temeritatis suae patronos et magistros citare possint? Haec enim labes et contagio si ad omnes, qui humanitatis disciplinas tractare instituent, transire non prohibetur, omnes omnino adolescentes, quibus non plane ingenii acies sit hebes et stupida, a Critica arte tirocinia sua inchoare instituent, cum nullam ad famam eruditionis sibi conciliandam magis apertam viam viderint, quam si in, quemcumque arripuerint, auctore, quidquid non intellexerint, mutare non modo veterum codicum lectionem, sed eiectis priscis lectionibus, sua nobis somnia narrare, et ipsi contextui verborum inserere sustinuerint. Si vero ad firmandas coniecturas, vel ratione, vel exemplis aliorum scriptorum, vires sibi deficere senserint, ad paratissimum et expositum ignorantiae subsidium, Lexica et indices, quibus hodie satis orbis eruditus est oneratus, confugient, aut si nec inde copias et auxilia contrahere possint, dictatorio fastu, *ita lege, ita repone*, et similibus formulis, inopiam suam breuitatis specie velabunt. Et ita tandem, quia paucissimi hodie (fateri certe cogimur) in artium optimarum summo neglectu, ea Linguarum doctarum peritia, et interiorum literarum meditatione florent, vt statim Criticorum absurda commenta vel deprehendere vel refutare possint, audacia pronuntiandi quasi e tribunali sententiam multis doctrinae et ingenii famam parabit. Quae inconsiderata veteres scriptores penitus innouandi confidentia non aliter confundi et refutari potest, nisi viri docti adferant conuellendis his conatibus magnum apparatum ex interioribus doctrinae recessibus: sed quia in arcana haec pauci penetrauerint, multos fore praeuideo, qui illa legere, quae vix capiunt, dedignabuntur, et patientur potius vitio creatum coniectorem et hariolum fama iam sibi parta frui, quam aduersantis rationes et argumenta excutiendi laborem ingratum suscipere instituent; ideoque laborandum viris eruditis erit, vt plana oratione

et

et ad captum rudiorum accommodata, haec artium corruptela omnium oculis exponatur. Duplicem vero agendi horum Criticorum rationem non ego modo deprehendiſſe mihi videor, ſed ipſos prae ſe ferre, facile ex notis deprehendere vnicuique licebit. Non enim eo animo ad Auctorem aliquem legendum adgredi ſolent, vt verba et loquendi modos laudent et admirentur, vt ex Hiſtoricis vel res veteris aeui geſtas diſcant, vel ex Poëtis et Oratoribus vtriusque eloquentiae vires ſibi comparent, ſed vt noue dicta et obſcuriora, praeſertim illis, qui non magnis doctrinae copiis inſtructi ſunt, loca animaduertant, vt hic et illic ſcriptori ſuo, vel etiam alii cuiuis, non frequentatum, vel plane inuſitatum verbum, vel locutionem minus obuiam obſeruent et nota quadam deſignent. Huius elegantia, vel potius reconditae alicuius eruditionis ſpecie et lenocinio illecti, omni opere, aut in eodem ſcriptore, aut etiam in aliis, quaerere et inueſtigare locum inſtituunt, cui id verbum vel locutionem intrudant, et obſeruatiunculam illam magnificis prius verbis venditatam orbi literato, vt ingenii acutiſſimi et κριτικωτάτȣ certiſſimum argumentum, exponant. Quem morbum ἐπιδήμιον, non nunc primum deprehendiſſe me iacto, ſed iam ingenia plurimorum ſui temporis inuaſiſſe querebatur ſummus *Caſaubonus* ad Suetonii Caeſ. cap. II. *Acidalios* enim, *Palmerios* et alios, omnia mutantes et temeritatis criticae dudum damnatos, has viro, ſi quis vmquam, perdocto querelas expreſſiſſe ſuſpicor. Ex hac antiquariorum claſſe etiam videmus quotidie nobis multos ſubnaſci, qui verba ab vſu remotiſſima, et quibus non promiſcue omnis generis ſcriptores, Hiſtorici, Poëtae, et Oratores, ſed ſibi quisque propriis vti ſolent, neſcias ſaepe ex quibus tenebris protrahunt, et inuitis auctoribus donant. In ipſo Phaedro obtruſas in his commentariis videbimus voces et locutiones, a quibus dicendi eius genus plane abhorret, et contra eiectas ex eius carminibus, quibus maxi-

maxime delectatum fuisse credo. Vnde enim longe illa repetita, et ex primi ordinis Poëtis arcessita verba, *Creon*, et *Lacon*, pro Rege et latrante putemus, nisi ex reconditioris doctrinae adfectatione, quae Phaedrum, inuitum et reluctantem, ad sublimitatem Epicam aut Lyricam euehere studet? Vnde e contrario illa ***hirriens***, ***indicare etc.*** ipsi data, nisi vt ad Grammaticorum ineptias poëta deprimatur, et Poëtarum plane numero eradatur. Sed ex commentario nostro facile constiturum spero, propria saepe et elegantia Phaedri verba in plebeia et inepta temere commutata, et attribui illi voces et locutiones, quibus si vsus fuisset, non meruisset in censum scriptorum, qui proximo ab aureo seculo vixerunt, referri. Alterum vero nouae sectae, et Criticae temeritatis, institutum esse video, vbi iam de voce vel locutione expellenda et innouanda sederit consilium, non exigere vtramque lectionem ad Linguae Latinae vim et naturam, aut ad exempla similia apud alios auctores, (ad hoc enim longo vsu et exercitatione opus est) sed vndique ex Lexicis et indicibus conquirere subsidia, quae si defendendae veteri deficiant, vel nouae adfirmandae supersint, tunc tamquam ex tripode pronuntiatur, veterem esse intolerabilem, non Latinam, et noua aliquot exemplis, quae ignauorum Thesauri suppeditant, confirmatur. Cautione tamen hic summa opus esse constat, nec tam facile videtur viris etiam doctissimis damnare locutiones singulares, et quales vnicuique scriptori proprias esse certis argumentis deprehenditur. Et vtinam Phaedrus noster benigniores saepe expertus esset commentatores, nec statim, quia peculiaria quaedam habet, cogeretur cum aliis et vulgo loqui. Certe non *Fauce improba*, *lacerare iniusta nece*, *malo adfici*, *iactare gloriam*, *habere terminum*, et similia, reclamantibus et Quiritium fidem implorantibus eius manibus, ipsi per vim ablata, et vt minus Latina, ex hodiernorum Criticorum sententiis proscripta fuissent. Agamus vero bona

 fide,

fide, vt ingenuos decet, et fateamur non alia magis dote, praeter reliqua eruditionis adminicula, inſtructum debere eſſe cenſorem veteris Latii Scriptorum, quam perfecta et abſoluta Latini ſermonis intelligentia et copia. Hanc vero nemo ſibi breui tempore, et labore modico, nec ex Lexicis, nec etiam ex vno alteroue auctore, ſibi familiari et ſatis etiam diligenter verſato, ſed longo et adſiduo vſu, improba et continua animi et corporis contentione, et denique ex vniuerſis omnium aetatum ſcriptoribus, ad ſeculi ſui genium et conſuetudinem exactis et inter ſe comparatis, acquirere poterit. Ante omnia vero in veteribus ſcriptoribus ſingularia, (vt Statilius Maximus, qui de ſingularibus Ciceronis, teſte Chariſio, librum ſcripſit) vel ſtudium καινοπρεπείας (vt ſaepe *Caſſabonus* in *Suetonio* oſtendit) animaduertere commentatorem et obſeruare decet: Nam licet aliquando per inſcientiam librariorum vitioſas et inſolentes locutiones eſſe inuectas fatemur, nihil tamen periculoſius eſſe credimus, quam vocem aliquam, aut loquendi modum temere damnare, vt minus Latina, cum facile alius reconditioris eruditionis Literator, et in omnium ſcriptis exercitatior, hinc aut inde rarioris iſtius locutionis exemplum protrahat, quo omnes temerarii conatus refutantur. Fatetur *Caſaubonus*, at quantus Vir! ſibi vix milleſimam Linguae Latinae partem eſſe cognitam, et perſpectam, ideoque temere quid de multis pronuntiare vix ſuſtinet. At nos homunculi, ſimul ac noui quid et ante nobis inauditi obuenerit, ex noſtra ignorantia reliquorum induſtriam et ingenium metientes, non dubitabimus eiicere voces et locutiones, nobis parum Latinas viſas, et ſingularia vnicuique auctori auferentes, omnes, ſine diſcrimine genii aut aetatis, in vnum ordinem cogemus, et ad formulas a nobis praeſcriptas loqui iubebimus? Facilis ſine dubio, et Tironibus etiam expoſita euadet haec emendandi, vel potius corrumpendi omnia, ratio, ſi obſcuriori voci aut locutioni;

tioni, certe nobis non patenti, ſemper aliam e medio petitam ſupponere licebit. Ita nullae ſalebrae, nulli ſcrupuli nos poſtea morabuntur, ſed auctores veteres omni delectu et elegantia dictionis ſpoliati ad plebejam vilitatem detrudentur. *Cui viae,* inquit Broukhuſius ad Propert. I. XIX. 24. *ſi inſtemus, nuſquam addicentibus libris, iam nihil omnino in vllo ſcriptore tam obſcurum erit, quin id tibi audax aliquis interpolator clarius reddat, quam ſolis eſſe ſolent radii olim, quum ſudum eſt. Quae eſt haec intemperies corrigendi, immo corrumpendi!* Quae tamen omnia tolerabilia forent, ſi ad ſuſpecta ſibi et vitioſa loca ſcriptorum viſa, commentatores modeſte et timide coniecturas ſuas et ſuſpiciones proponerent, et intacta relinquentes auctorum verba, aliis poſt ſe venturis accuratius illa excutienda relinquerent. Si per veſtigia principum in arte critica virorum, *Victorii, Turnebi, Gruteri, Caſauboni, I. F. Gronouii* et *Graeuii,* et aliorum incedentes, ſumma religione veteres membranas tractarent, nec latum ab iis vnguem diſcederent, quoties optimae notae et numero plures in eamdem lectionem conſpirarent. Hi, ſi vel ſic quoque ſe expedire non poſſent, vel ignorantiam profiteri, vel a tempore medicinam exſpectare, quam temeritatis notam ſubire maluerunt. vbi vero ex codicum diſcrepantiis iuſta deprauatae lectionis ſuſpicio oriretur, veram eruendi non aliunde petere ſolebant facultatem, quam ex perſpecta et explorata omnis memoriae antiquitate, linguae Latinae conſummata, quantum fieri poteſt, intelligentia, et longo vſu et meditatione acquiſita omnium ſcriptorum familiaritate. Superſtitio erat priſcis illis literariae reipubl. heroibus, ſi vel minima vulgatam lectionem conſeruandi pateret ratio, aliquid in ipſis auctorum verbis innouare, et licet multo probabiliores ipſis, quam hodiernis Criticis, in mentem venirent emendandi rationes, coniicere ſuſpiciones ſuas in adnotationes contenti, liberum lectoribus arbitrandi ius relinquebant.

Hoc institutum, licet arrogantissime a quibusdam damnetur et negligatur, nondum tamen omnes, in ipsa etiam Britannia abiecisse gaudeo: nam virum eruditissimum *Zachariam Pearce,* quem de sollerti Cl. *Bentleji* in scriptoribus ad examen reuocandis ingenio omnes, qui modo in his studiis versati fuerint, honorifice et dicere et sentire merito iubentem, et Horatium non minori iure, quam olim via insigne ab Appio nomen obtinuit, a *Bentlejo* cognomen inuenturum augurantem videmus, hanc tamen innouandi pruritus suspicionem longe a se remouere gaudemus, et in praefatione ad Ciceronis de Oratore Dialogos profiteri, *se numquam vulgatam lectionem mutauisse, nisi consensu veterum editionum, aut MSS. nihil suum, quacumque fretum ratione, in textum inseruisse. Emendationum rationes in finem operis reiecisse, ne adolescentium animos multitudo earum varietasque turbarent.* Hanc etiam disciplinam secutus olim fuerat vir eruditissimus, et qui de multis Ciceronis libris egregie meruit, *Ioannes Dauisius,* qui in prima editione Tusculanarum Disputationum, *mendas se multas sustulisse,* narrat, *quibus aut solennis librariorum incuria, aut nimia Criticorum audacia Ciceronem inquinarant:* et quum in finem libri reiecisset notas Cl. *Bentleji*, quibus plurima loca Ciceronis emendantur, suas vero ipsis verbis Ciceronis subiecisset, in contexto Ciceronis nihil, vel pauca admodum immutauit. Sed in secunda editione non modo prioris sectae poenitentiam probauit, in Ciceronis contextum recipiens Viri egregii emendationes, non modo incertas et minime verosimiles, sed quas ipse etiam editor in repetita hac cura reiicit et refutat: Et haec omnia non adiectis (quamuis id sua culpa accidisse neget) Cl. *Bentleji* notis, quibus illis emendationibus posset aliquid auctoritatis adquiri. Sed de his agendi locus hic non est. Oggeramus tantum nimis confidentibus Criticis, illud *Glareano* obiectum a *Francisco Modio* ad Curt. VIII. IX. 19. *Quis tu es Glareane, qui postula*

ſtulas Curtio (nos Ciceroni et aliis addimus) *praeire quid dicat?* Poſſemus et ipſius Viri praeſtantiſſimi *Bentleji* verba, quibus toties *Guyetum* et *Fabrum*, Criticorum temerariorum coryphaeos, in Terentianis notis, reprehendit, in hanc rem adducere, et inde efficere, quantum reprehenſionis etiam acerbae periculum incurrant, qui quaecumque in mentem veniunt, in auctoribus audent, et quae alii febricitantium ſomnia vocant, cum viro egregio, *Veſaniam* appellare, et illorum commenta, tam *abſurda* credere, *vt homines flore Liberi vuidos ea effudiſſe ſuſpicari liceret.* Quum ergo primae claſſis eruditi, tam ſuſpenſo pede in lubrico hoc Critices campo inceſſerint, et inſtar eorum, qui ſub incerta luce per torrentes et abrupta flumina iter facere coguntur, vadum potius ſe tentare, quam explorata omnia ſe habere crediderint, quis non miretur hodie non modo audaces admodum coniecturas, et quarum ne veſtigia quidem in priſcis exemplaribus deprehenduntur, confidenter proponi, et contexto ipſi inſeri, ſed in notis vel nullam, vel breuiſſimam reddi rationem, et lectori fere nihil praeter haec reſponſa dari, *ita lege, ita repone, ſic dedit auctor, male Latine hoc dictum, melius dixiſſet, haec inepta, ſpuria, eiice etc.?* Quorum omnium et ſimilium edictorum vbi ratio quaeritur, non aliter eam, more ſummi imperii, conſtare reſpondetur, niſi ſi nulli reddatur: aut ſi contumacior quis literator, adſuetus veterum Criticorum modeſtiae, has coniecturas ſibi improbari oſtendat, aut etiam refutare audeat, is ſibi certiſſimum laboris praemium inimicitiam, odium et conuicia ſperare poterit: et ſi rationes, quibus emendationes firmari poſſint, poſtulauerit, vel breuiſſimas imperantium more, vel nullas dominantium et Tyrannorum ad exemplum, ſibi reddi videbit. Quare ſaepe in hanc cogitationem veni, an non, cum omnes fere ciuitates paullatim in regna, regna vero in tyrannidem degenerauerint, reipubl. etiam literariae, quae adhuc aequis legibus florere

vifa fuit, infidientur quidam impotentioris ingenii literatores, qui fortaffe id moliantur, vt per Regum et Magiftratuum edicta, non modo tirones in ludis, fed in Academia adolefcentes iubeantur, reiectis prioris aeui editionibus, nouas et emendatas a Lucumonibus noftris recipere, et Doctores cuiuscumque ordinis eas non minori religione et reuerentia tractare, quam per Concilii Tridentini decreta vulgata Sacrae Scripturae verfio omnibus eft commendata et imperata. Nifi enim hoc fiat, et quotidie nouis fubnafcentibus Criticis audacia novandi verba antiquorum crefcat, intra vnius feculi decurfum, non modo alius Cicero, Terentius, Phaedrus, fed omnes omnino fcriptores noui et immutati fubftituentur: diuerfi quoque in Anglia, alii in Germania, et Belgio Hiftorici, Poëtae et Oratores, longe a feculorum priorum fcriptoribus difcrepantes, prodentur. Si quis vero nouos hos luxuriantis aeui foetus cum prioribus ab ipfis Typographicae artis incunabilis comparare inftituet, non modo laudare et mirari fagacitatem et follertiam Criticorum huius temporis, fed auctoritatem et majeftatem Dictatorum literariorum venerari cogetur, qua nunc demum Romani illi Oratores Latine loqui, Poëtae vero legibus metricis, quas ignorauit antiquitas, obedire iubentur. Oratores tamen et Hiftoricos in elegantius et nitidius loquendi genus reftitutos minus indignabitur literatorum Ordo, vbi emendatorum et criticorum horum alia fcripta, differtationes et orationes, ad veterum elegantiam exigere inftituet: nam ipfo Cicerone non inferiores ex elegantia et viribus dictionis iudicabit, ideoque eos iure fummo fibi arbitrium de fcriptis veterum arripere confitebitur. At de Poëtis, recte an perperam emendatis, difficilior erit eruditorum, tam hodie viuentium, quam qui poftea fubnafcentur, exiftimatio, cum hi Poëtarum cenfores vel nulla, vel pauciffima ingenii fui prodiderint monumenta, vnde in artis eius diuinae adyta fe penetraffe, aut myfteriis initiatos fuiffe colli-

colligere licebit. Immo vbi in coniecturis illis hoc vt nimis, illud vt parum Poëticum argui, et in aliud plane loquendi genus immutari viderint, dubitabunt docti, an ex antiquitate aliquis medii ſtyli Poëta iure nunc euehatur in altiorem, quam ingenium eius capit, ordinem, aut ſublimioris ſpiritus vates, detrudatur ad plebeiae et pedeſtris orationis humilitatem. At metrorum ſunt callentiſſimi, et Legis Pediae omnia capita ad vnguem tradunt hi noui Poëtarum correctores; qui ignorata priſcis pariter ac recentioribus magiſtris de modis ſyllabarum praecepta eruerunt, et noui iuris repertores leges certas tulerunt, quarum ope facillimam emendandi viam munierunt; quae aut productione ſyllabae adhuc breuis creditae, aut correptione longae olim habitae, et deinde contractione vocis polyſyllabae, tranſpoſitione vnius vel plurium verborum, commixtione omnis generis verſuum, accentuum inaudita obſeruatione, et ſimilibus remediis, omnes omnino verſus tam ſuaues, et concinnos exhibent, vt qui modo aures eruditas habeat, iam demum ſe Terentium, Plautum et Phaedrum, vt olim Roma legit et audiuit, habere ſe iurare poſſit. Sed licet, vt egregii artifices, praeclaris operibus ſuis laetentur, mihi tamen, cum nouis adhuc comitiis opus eſſe credam, antequam vniuerſus literatorum ſenatus populusque vna voce, *uti rogas*, iubeat et velit has leges perferri, liceat, quaeſo, tantisper de modis ſyllabarum et numeris verſuum dubitare, donec haec omnia ad liquidum ſint perducta. Quae enim vis me coget, (nam Caio idem iuris quod Sejo) omnibus obliteratis, quae ab ipſa pueritia addidici, magiſtrorum dictatis, credere, apud Comicos vulgatae Proſodiae leges, quibus ſe Epici, Lyrici et Elegiaci Poëtae adſtrinxerunt, ita eſſe neglectas, vt neſcio quo iure ſyllabae conſtanter vbique correptae, apud illos producantur, et contra productae corripiantur? Egone credam *hanc etc.* etiam ante conſonam corripi, *eſſe, ille, iſte, nempe* et ſimilia prima ſyllaba breui

breui efferri? *Via, meus, tuus* et similia in vnam contrahi, vbi libet, syllabam. *Studet par*, et *cum ea*, esse auapaestum, *cum esse* tribrachyn? Sed quis omnia enumeret inaudita plane et noua? immo quis non sacro horrore contactus, mysteria illa disciplinae reconditae, ad quae vulgus nondum est admissum, vt in magna et sacra illa arte, velut Panaceam vel Philosophicum lapidem, vt vocant, mirari potius, quam adsequi conetur. Hanc corrumpendi Comicos licentiam grauiter iam olim in praefatione sua ad Plautum perstrinxit verus vates, et quasi futura prospiceret et ex paucorum temeritate coniiceret de furore seculi proximi, Gronouius pater his verbis. *Versuum comicorum leges quem condidissent, duram scilicet ipsi sibi prouinciam imposuerunt, sub istas leges omnem Plautum cogendi. Quum igitur saepe parum cederent accurati illi, quos requirebant versus, ius sibi dederunt passim inserendi particulas, pronomina, verbum substantiuum, et similia, alibi eadem exstirpandi, interdum voces transponendi vel in eodem, vel de versu in versum, secus atque in MSS. et priscis editionibus inuenerant. idque non pudenter ac raro, sed quotquot paginis.* Vides, lector, imaginem nostri temporis, et Criticorum audacium veram formam, quos imitetur, qui velit: Ego certe, qui inhibere manum et vnguem ab vlceribus insanabilibus didici, et contentus adhuc vulgaris et tralatitiae doctrinae vsu, in arte Critica, quae coniecturis et suspicionibus fere constat, nullos adhuc tam certos et euidentes canonas et leges reperire potui, quae Mathematicorum effata et ἀποδείξεις aequare, vel superare possint. Quare cum nondum pro concesso et probato nouam hanc in rebus incertissimis adfirmandi confidentiam sumserim, hariolorum me potius in classem, quam Mathematicorum adscribi patiar. Emendationes quoque plerasque a falsis, vel certe dubiis et controuersis, initiis profectas, veras esse non ante agnoscam, nisi praeter leges has nouas confirmet eas Linguae Latinae pro-

proprietas et elegantia, feculi, quo fcripfit auctór, confuetudo et vfus, et ipfius denique fcriptoris peculiaris dictio et color. Immo vero, fi inextricabilis et plane deprauatus locus incidat, ad laudem illuftrius, et ad ftudiorum noftrorum dignitatem praeftabilius effe credam, ignorantiam et ingenii minus perfpicacis ftuporem profiteri, quam rifum praebere pueris, qui in tirociniis adhuc detinentur. Cum Horatio, non fcribendi modo, fed et commentandi et aliorum fcripta explicandi vnicum principium et fontem effe fapere et bonam mentem habere, mihi perfuadebo, et cum poft vngues morfos, et caput diu fcalptum, nulla lux mihi in loco adfecto et defperato appareat, relinquam eum felicioribus ingeniis curandum, cum vfus ipfe et veterum fcriptorum adfidua tractatio me docuerit, infinita veterum loca, vel non intellecta olim, vel perperam follicitata a principibus in arte Critica viris, poftea vel ope codicis melioris, vel ingenio noui commentatoris, feliciffime effe correcta vel explicata. Acuamus potius induftriam literatorum, qui poft nos vix cogi poffunt noftra probare, fed qui vel neglecta et praeterita, vel perperam tentata a prioribus gaudebunt fe noua luce perfundere, et hinc adorantes veftigia magnorum Heroum, religiofe tractare venerandae antiquitatis monumenta pergent, et numquam ex temeritate et confidentia audaciorum Criticorum, exempla infaniendi et ineptiendi capere audebunt. Praefertim iuuenes ab hac contagione et blandienti pefte funt prohibendi, ne illis a maiorum gentium Criticis, vt *Acidalio* ab ipfo Cl. *Bentlejo*, νεανικὸν καύχημα iure obiiciatur. Hi potius antequam ad vexanda loca veterum accedant, omnes eruditionis partes multo ante meditentur, et huc fe parent, haec cogitent, ad haec fe exerceant, et omne tempus ponant in verfandis veterum nocte et die fcriptis, vt eum fibi vfum fermonis Romani, Eloquentiae veram fpeciem et colorem, comparent, et Poëticae voluptatis

non vmbram, sed solidam et expressam imaginem, amplectantur, vt deinde sponte illis subnascatur de locis sanis vel adfectis promta iudicandi facultas, nec altius euolare prius conentur, quam quo vires efferre eos possint. Vt tamen verum fatear, aliquem quoque in hoc malo, et emendandi omnia pro arbitrio cupiditate et morbo, vsum esse deprehendi; immo gratias etiam a me nouae huius disciplinae conditoribus habendas lubens agnosco. Exhausta enim dudum omnis commentandi ratio videbatur; nihil feré industriae posterorum reliquerat priorum interpretum industria. Tot editiones omnium Latinorum Scriptorum cumulatae, tot codices manu exarati vndique collecti, excussi, excerpti, tot notis et commentariis, et separatim editis, et in vnum collatis, illustrati scriptores exierunt, vt nihil, vel certe parum nouae diligentiae in hac studiorum parte, superesse diu sit visum. Recensum agamus omnium, quae ex naufragio seruatae fuere, tabularum; tanta cura, tam improbo labore concinnatae, emendatae et expolitae sunt, vt quo cresceret industria sequentium interpretum, vix appareret. Adiice his alia studiorum adminicula, non modo ignauorum instrumenta et vnicam fere supellectilem, sed doctorum etiam, si quid vel exciderat memoria, vel non animaduersum elapsum erat, subsidia, Lexica, Thesauros, Indices et sub diuersis titulis, omnis generis Collectanea. Quid in hac quaeso instrumenti literarii lautitia et copia legenti veteres difficile vel inexplicabile obuenire hodie potest? Sacra et cerimonias, ciuilia Vrbis Romae instituta, leges, magistratus, iura publica et priuata, vitam domesticam et mores militum, ducum et imperatorum munera, praemia, poenas, et quaecumque scriptores de vniuersae ciuitatis statu, conditione et fatis tradunt, in notis et commentariis hodie enarrare, putidi et molesti sane interpretis videtur insania, qui in operoso commentario statim vel priores commentatores compilare, vel ex

iustis,

iustis de Antiquitatis vniuersae capitibus, voluminibus, furari centies dicta arguetur. Vrbium, fluminum, montium et locorum origines, situm, varia nomina et fortunas, ex Geographicis Lexicis, et de Orbis antiqui situ innumeris descriptionibus, sublegisse dicetur. Historiam ipsam et Gentis Romanae varias in regno, republica et imperio, vicissitudines et conuersiones, si collatis variorum scriptorum locis illustrare quis conabitur, quid aliud agere, quam ex infinitis recentiorum voluminibus, quorum pleraque, quae tempore sunt posteriora, priorum scrinia compilarunt, inutilem congerere farraginem, soli moli augendae vtilem, iure videri poterit? Adde his tot Historica Lexica, quae omnium fere virorum et mulierum vitas et fata non enarrant modo, sed auctores, vnde plenior illarum notitia repeti possit, demonstrant. Quid de verborum et locutionum vi, elegantia, proprietate et differentia ad singulos auctores commentari attinet, cum tot Linguae Latinae quotidie adhuc cumulentur Lexica, tot de elegantia sermonis, de vi et vsu verborum, de particularum etiam potestate, libri et libelli producantur, ad quos lector non satis exercitatus statim recurrere poterit? Nihil ergo viris etiam industriis et doctis hodie relictum est, qui Furum et Compilatorum exempla sequi nolint, nisi vt, relicta veteri et occupata iam commentandi ratione, illos, qui nouos nobis auctores recudunt, et pro acumine ingenii sui lectiones diuersas a prioribus in ipsum contextum inducunt, et refutandi et antiquas lectiones adserendi partes suscipiant. Multum ergo debere nos his innouatoribus fateri cogimur, sine quibus esset, vt vel a scribendo abstinere, vel ad ignobilem, et obscuram *Daceriorum, Pitiscorum, interpretum Delphinicorum etc.* diligentiam; immo etiam *Minelliorum, Iunckerorum et Walchiorum* pueriles notas descendere deberemus. Nunc vero amplissima iterum nouo operi fabricando silua et materia congeritur, si non nouas ex codi-

codicibus aut ingenio lectiones Orbi obtrudendi, certe olim proditas et receptas vindicandi, commenta inaudita refutandi, et omnem ſine MSS. auctoritate, contextum innouandi audaciam contundendi. Neque inutilis plane hic et infructuoſus labor cenſeri debet, quo et ſerpenti iam latiſſime huic peſti occurratur, et ſimul iuuenum animi a fallacibus his ſtudiorum deuerticulis, ad regiam viam reuocentur, ne, cum Criticorum incertas fere omnes, multas etiam vanas et falſas eſſe coniecturas viderint, huius gloriolae imagine auferri ſe ſinant, ſed id potius operam dare velint, vt legendi et meditandi fructum vnicum credant intelligere Hiſtoricos, Oratores et Poëtas antiquos, et ad eorum exempla et praecepta ſtudia ſua ordinare et diſponere. Ex his praeterea doctorum concertationibus diſcant, nihil temere adfirmandum, niſi ex linguae vi et natura probetur, nihil reiiciendum, niſi aperte monſtretur rationi et proprietati ſermonis veteri et vſui vero repugnare. Legant veteres Auctores, non eo ſolum animo et cupiditate, vt inueſtigent vitia librariorum, quae ſaepe finguntur, ſed vt dicta Oratorum et Poëtarum acuta, ſubtilia et elegantia adſequantur et imitentur, naturalem Hiſtoricorum ſimplicitatem a Declamatorum tumore et inanibus ſententiis diſtinguant; vt in vnoquoque ſcriptore ſingularia et propriam formam obſeruent, obſcura et difficilia loca diu verſent et agitent, antequam in obuia et faciliora verba vel locutiones mutata depravent et eneruent. Diuerſam in primis Hiſtoricorum, Oratorum et Poëtarum dictionem, et in ſingulis propria quadam nota ſignatam manum, et ſcribendi rationem diſcernant. Vnicuique etiam ſeculo loquendi et ſcribendi ſuam fuiſſe conſuetudinem et quaſi characterem, quo dignoſcitur Scriptorum aetas, animaduertant. Quibus initiis vbi imbuta fuerit tenerior aetas, ex frequenti deinde veterum auctorum vſu et tractatione expolita, nihil poſtea facilius ſibi fore experientur, quam de Criticorum

corum meritis sententiam ferre, et temerarios et audaces hariolos et coniectores a religiosis et modestis interpretibus secernere. Et hanc, Lector aequissime, mihi vnicam huius noui commentarii in Phaedrum, tenuis quidem et modici, sed non plebeii tamen et inelegantis stili Poëtam, elaborandi fuisse, credas velim: non vt ex certamine cum summis in republica litteraria Viris gloriam reportem, sed vt Iuuentus, et in primis quae nostrae curae est credita, ab inceptis his periculosis, et audaci temeritate retrahatur. Vidimus enim, et inter disciplinae nostrae alumnos egregiae quosdam indolis et diligentiae numerauimus, qui prurigine illa noui aliquid proferendi illecti, antequam in omnibus doctrinae variae partibus tirocinia deposuissent, hoc praecipue sibi negotii in legendis auctoribus datum esse persuadebant, vt loca quaedam deprauata, et quae medicina egere ipsis videbantur, eruerent, quae cum coniecturis variis sollicitassent, easque mecum communicassent, pudore suffundebantur, vbi facilius a me refutatas, quam a se excogitatas deprehenderent. Qui etiam postquam maiores sibi assidua lectione vires comparassent, omnes mihi gratias egerunt, quod frenum isti furori et impetui iniecissem. In eadem vero caussa esse ὀψιμαθεῖς, quos *studiorum seros* vocat Horatius, patet: Hi enim, cum pueri adolescentes nullam fere humanitatis partem attigerint, vel leuissime saltem delibauerint, sed statim ad grauiores disciplinas animum applicuerint, procedente aetate nudas illas et indotatas artes necessariis elegantioris disciplinae ornamentis et apparatu esse commendandas et decorandas videntes, ad Oratorum et Poëtarum lectionem et interpretationem, tamquam ad obuia et facillima studia, subito transvolare solent. Vbi cum omnem scribendi et loquendi rationem novam et insolitam offendunt, et longe a sordibus illis et vilitate verborum, quibus omnes fere sublimiores artes hodie sunt inquinatae, veterum ingenia abhorrere deprehendunt,

eos

eos ad ſuas, quas de loquendi et ſcribendi ratione ex Logica et Dialectica imbiberunt, opiniones et formulas ſcribere debuiſſe contendunt. Poëtas intra anxias et circumſcriptas Philoſophorum definitiones et diſputationes concludere, Oratores et Declamatorum hodie ſacrorum ineptias et verboſa praecepta exigere, omnem denique antiquitatem calumniari et carpere non deſiſtunt. Familiam certe in hoc genere inſanorum, qui ex ſacris et grauioribus diſciplinis non perennem ſatis et praecipuam ſe gloriam et famam, niſi et variae doctrinae laude celebrentur, conſequi poſſe credunt, ducit famoſus ille *δοκησίσοφος* et vere *ὀψιμαθὴς Clericus*, qui volutatus per omnem aetatem in Scholaſticorum ſordibus, poſtquam ad ephemeridas reipublicae literariae ſcribendas conductus, omnis generis auctores, nullo diſcrimine, ne primis quidem literarum elegantiorum initiis imbutus, verſare, et de iis temere iudicare inſtituit, repente etiam Criticus, et ſi diis placet, Poëtarum interpres et cenſor exſiluit. Immo qui eo vanitatis nuper progreſſus, vt cum facultatem Criticam naturae magis benignae et felicis munus, quam conſummatae doctrinae opus eſſe praedicet, paucosque, vt *Scaligerum* et *Tan. Fabrum*, hanc naturae beneficio *εὐστοχίαν*, vt vocat, ſortitos, ſe tertium illis addere non erubeſcat, et nullas hodie ephemeridas emittat, quibus novam alicuius veteris ſcriptoris editionem excutit, quia vnam et alteram e ſua penu coniecturam interponat. Poſito tamen pignore cum quouis contendere auſim, nullam eum adhuc euomuiſſe emendationem, quam non aut ineptam, aut inelegantem, aut falſam, aut denique aliis furto ſubreptam oſtendere poſſem, et cuius certiſſima in hoc ipſo commentario ſpecimina prodidiſſe me lector deprehendet. De Poëtarum vero ſpiritu, et diuina quadam omnia fingendi, et ex ſe ſuoque ingenio producendi licentia, et nullo niſi ſanae rationis freno coërcita libertate, adeo nihil diiudicare poteſt, vt ne ipſa quidem

verba,

verba, quibus a plebe et vulgo remotis vti vates ſolent, intelligat. Sed hanc eius ſtultitiam in clariſſima luce nuper poſuimus, cum Albinouani, omnibus numeris abſolutum, Epicedion in mortem Druſi, ab eius interpretationibus ineptis, et puerilibus vindicaremus. Nec tamen Icari huius caſu deterriti, ipſo etiam *Clerico* ſtupidiores, alii a Poëtis interpretandis manum cohibere poſſunt, ſed facilem hanc palmam et in medio poſitam eſſe credentes, non difficiliorem hodie Poëtarum expoſitionem, et commentationem exiſtimant et iactant, quam ſi ſcriptoris cuiuſcumque et Hiſtorici ſimplicem et nudam narrationem, aut etiam Philoſophorum placita, communibus et e medio arreptis verbis in vulgus proiecta, explicare ſuſcipiant. Sed cum ſaepe tenuis variae eruditionis apparatus non ſufficiat notis et commentariis in iuſtum modum elaborandis, cautius illi ſibi et famae ſuae conſulere videntur, qui tantum editores Poëtarum veterum haberi volunt, et collectis priorum commentariis et notis in vnum, nihil fere vel parum de ſuo adiicere inſtituunt, aut tralatitia et vulgari opera variis lectionibus et editionum varietatibus, quod vel tiro non plane rudis praeſtare poſſet, congeſtis, magnificis tamen verbis multorum annorum curam et diligentiam mentiuntur. Et hi tolerabiles ſatis forent, ſi nihil aliud, quam ſilvam, eruditorum labore expoliendam, comportarent. Sed quis ferat eo impudentiae quoſdam progredi, vt vnicuique librario nouam cuiuſcumque auctoris editionem molienti, operam ſuam venditent et addicant? Quis vero poſthaec de repetitis in patria noſtra, magnae ſuae pecuniae impenſa curatis, munditie etiam chartae et characterum nitore oculos attrahentibus, editionibus benigne exiſtimare poterit; vbi a lucri devotiſſimis librariis conquiri vndique, qui editioni novae curandae praeſiciuntur, non ex ſecundo modo eruditorum Ordine, ſed ex infima etiam claſſe operarios videat? qui Auctoris veteris recenſionem ſuſcipere non dubitant, quem ante illud tempus,

non

non dico, ne inſpexerunt quidem, aut verſauerunt, ſed cuius ne codicem quidem vnquam in ſuppellectile libraria habuerunt. Qui poſt captum de edendo ſcriptore ſubitum et temerarium conſilium, quem nec Librarius in taberna, nec editionis ſuſceptor vnquam in bibliotheca ſua viderat, vndique per officinas inueſtigare, ab amicis emendicare, et in auctionibus, quae rariorum librorum copiam exponunt, animoſe coëmere editiones, quas renouare inſtituunt, conſpiciuntur. Et hinc vix inſpecto, multo minus perlecto auctore, congeſtis temere et properato ſtudio variorum commentatorum adnotationibus, ſe operi accingunt, et ex tempore hic et illic pueriles quaſdam obſeruationes, quas omnibus fere ſcriptoribus, vbi eadem vel ſimilia verba aut res deprehenduntur, adlinere potuiſſent, magna tamen cum confidentia, adiiciunt. Immo videas, qui vel conſortibus operum adſcitis, enorme et inconcinnum extruant aedificium, vel qui, vt in Academiis Profeſſores tirones, publica profectuum ſpecimina exhibere volentes, moderari et auſpicia ſua commodare ſolent, pueris vix initiis literarum imbutis, ſed pecunioſis et prodigis, operam ſuam locare, et foetus ſuos immaturos ſterilibus ingeniis ſupponere, tam aperte, vt nemo ignoret, non erubeſcant. Sed irato fucos illos relinquamus genio, qui manifeſtum ſatis omnibus brevi facient, quis non poſſit, aut quis fecerit, et ex ſapore mellis, et forma faui auctores diiudicabunt eruditi iudices, an inertes, an induſtrii opus illud elaborauerint. Nos longae ſatis iam praefationi, ſed ad inualeſcentem contagionem, et morbum late graſſantem indicandum et ſanandum, ſi poteſt, neceſſariae finem imponamus; poſtquam nos ſolo vtilitatis publicae reſpectu, et adoleſcentiae, quae ſacris Muſicis operatur, per veram et rectam eruditionis viam ducendae ſtudio, hunc nouum in Phaedri fabulas commentarium emittere, ſincera, quanta fieri poſſit, adfirmatione teſtificati iterum ſumus. Et ne deterendae Viri adhuc illuſtris in

repu-

republica literaria famae, aut gloriae ex tam nobili adversario captandae cupiditate transuersos nos agi quis opinetur, publice profiteor, me extra hunc corrigendi omnia etiam sana et integra pruritum, agnoscere in Cl. *Bentlejo* eruditionem summam, et acumen ingenii rarissimum, nec vmquam eius laudibus detrectaturum, vbi verae et felici criticae litasse mihi constiterit. Et licet grandes mihi in Anglia minas intentari vndique nuntietur, nec hae quidem tenacem propositi terrore demouebunt, quo minus in studiis ex animi sententia vindicandis pergam, paratus etiam manum dare, si me errasse conuicerit aduersarius quicumque, etiam asperrimus. Nec defuturam in me irruendi materiam prospicio, cum plurima iam ediderim, licet non ita quidem properata, vt negligentiae nimiae crimen extimescam, sed non ita quoque expolita, vt vellem. Et praecipue Ouidianis notis contigisse hanc felicitatem magno emissem, vt ante decem et plures iam exiissent annos, quot fere adfectae et magnam partem typis descriptae iacuerunt; quia forte iam secundis curis magis elaboratas edendi facultas data fuisset. Sed nec sic quoque criticos seueros, modo aequos se praebeant, extimesco, vt qui sciam probe vbi cedendum, et vbi pugnandum sit, et ad vtramque aequo animo sortem subeundam paratus sim. Cur vero nouam nunc rationem instituerim, et sine aliarum notarum comitatu meum solius commentarium praeter morem prodiderim, paucis, Lector beneuole, accipias velim. Prima et praecipua fuit huius instituti caussa, vt editioni, quam iam bis cum doctissimorum virorum, *Gudii*, *Rittershusii*, *Rigaltii*, *Neveleti*, *Heinsii*, *Schefferi*, *Praschii* integris, & aliorum excerptis adnotationibus emisi, suus maneret honor et pretium, neque Librariis, quorum impensis illa curata fuerat, mea culpa, de damno aut lucri imminutione querendi caussas praeberem. Altera etiam me impellebat ratio, quod in eam excreuisse cernerem commentarium hunc nouum magnitudinem, vt si alio-

 rum

rum notis subiiceretur, in tantam volumen molem exiret, vt commode tractari vix posset, et notis & commentariis immensis exiguus ita obrueretur libellus, vt Phaedri verba saepe quaerenda forent lectoribus. Nemo tamen de his ipsis, vel meis, vel Cl. *Bentleji*, vel eius Aemuli notis recte se existimare, aut sententiam ferre posse credat, nisi ante oculos sibi posuerit priorum interpretum dicta, ad quae saepe ablegaui lectores, ne inutili chartae dispendio, ab aliis praecepta iterarem. In primis vero adhibendae vbique fere erunt acutissimi *Gudii* notae, qui primus audaciae in Phaedro plura, licet multo modestius, quam hodie factum videmus, innouandi viam fecit. Deinde *Bentleji* et *Aduersarii* eius notae et obseruationes ad meum commentarium vt diligenter, et sine vllo studio partium exigantur et comparentur peto; quod vt facilius fieret, quia paucis apud nos et extra Angliam Editionis Bentleianae, et Epistolae Criticae ipsi oppositae copia est, prouiderunt Librarii in patria nostra primarii, *Wetstenius*, qui Terentium et Phaedrum ipsius Cl. *Bentleji* consensu, eleganter et non sine accessione grata, recudit, et *Luchtmannus*, qui Epistolam Criticam, licet initio repugnarem, eadem forma, qua commentarium meum, vt coniungi in vnum volumen possint, iterum produxit. Denique, si quid id est, tertia me mouit ratio, ne aliorum notis constipatum et inuolutum, sed solum et incomitatum commentarium hunc ederem, vt os calumniantibus quibusdam, et semper et vbique obliquis orationibus me et nostri ordinis viros carpentibus, quocumque demum modo aut forma veteres auctores proderentur, obstruerem. Si enim variorum notis instructa volumina producantur, nihil facilius esse iactant multi, succlamantes *Clerico* suo, seculi nostri Momo, in Biblioth. Antiq. et Rec. Tom. XX. pag 338. quam diuersorum adnotationes congerere, eisque hic et illic aliqua de suo interponere, nulla saepe habita ratione, an lauta manu effundantur, an parca depromantur. Ita enim

librum

librum fieri clamitant, et hoc experiendo didicisse *Clericum* ipsum, cum ad *Albinouani* et *Seueri* carmina, et ad *Hesiodi* opera, *Scaligeri*, *Heinsiorum* et aliorum principum purpurae pannos suos et centones adsuerit, satis constat. Sin vero negligas priorum notas, et eas tamen aut noua obseruatione augeas et confirmes, vel refellas, iam ambitionem incusant censores et Ephemeridum curatores, et repeti saepius eadem magno verborum ambitu calumniantur, quibus facile parci potuisset, si in eadem pagina priorum notae oculis se exhiberent. Ita vt quocumque modo prouinciam veterum auctorum edendorum administres, obtrectandi numquam maligno censori et obtrectatori materia deesse possit. Ego vero, vt pro re et tempore vtramque rationem cum laude et vtilitate communi inire posse puto, & nulli hic leges posse dici, quo minus honesta libertate vtatur, ita nunc, cum ad manum sint etiam parata et obuia exemplaria Phaedri omnium notis instructa, sine indignatione ea possidentium, aut querela Bibliopolarum, qui in ea prodenda impensas fecerunt, me repetere vix potuisse olim a me curatas editiones censebam, quibus hoc nouo commentario ita nihil decedet, vt potius necessitas eas comparandi lectoribus, si non habeant, maior imponatur. Praefationes etiam priorum editionum, Iudicia de Phaedro et reliquum omnem apparatum, qui et ornandis editionibus, et Lectori erudiendo adiici solet, neglexi, solo indice, hic et illic etiam emendato, contentus. Denique ita omnia feci, ut nulli fraudem facerem, aut vllius querelas concitarem, sed soli vtilitati publicae et literarum gloriae me studere omnes faterentur.

Sed cum manum de tabula tollere iam cogitarem, et Phaedrum ex officinis typothetarum emittere, Ecce descripto iam non modo integro auctore, sed huius ipsius Praefationis quatuor iam foliis absolutis, manum iniicit properanti minime exspectatus, quamuis gratissimus ex Italia nuntius, quo Phaedri nostri reliquias quasdam,

 dam,

dam, licet crudeliter laceratas, esse forte fortuna repertas, certior sum factus. Quis vero vel per somnium coniicere potuisset, post tot annorum decursum, et tam diligenter excussos omnium Bibliothecarum angulos, quaedam adhuc Phaedri nostri scripta latere? Suspicionem quidem dudum natam fuisse doctis nouimus, et de qua nos in prioribus editionibus amplius egimus, Phaedri fabulas ideo fere periisse, quia senariis versibus conscriptae, indoctis et rudibus librariis sermone soluto credebantur ab eo proditae. Quia etiam nulla fere secula effluxerunt, quibus non fabulas fingere, et Aesopi ad exemplum, hoc scripti genere sui temporis mores notare instituerint viri mediocriter eruditi, qui vestigia Phaedri prementes, vel ipsas Aesopi fabulas interpolauerint, vel eius nomen interponentes auctoritatis gratia, affectus proprios in fabellas transtulerint, hinc fabulas in immensum fuisse multiplicatas diu constitit. Quotquot enim materiem paratam reperirent, et fabulas ab aliis iam proditas legerent, vel maiori verborum ambitu eas amplificare, vel, vt viderentur a se fictae, aliis verbis efferre, vel mutatis saepe personis, et animantium sermonibus, exempla et argumenta fere eadem exhibere instituebant. Et hoc modo vera Phaedri, inter tot adulteratas et fucatas a monachis et morum magistris, merx periit: Vt enim penitus ignoraretur operis antiqui dominus, Promythia et Epimythia etiam abiiciebantur, aut ad religionis Christianae placita accommodabantur, et inde etiam saepe alia verba, mores, ritus et personae substituebantur, et si quae fabulae, etiam breuissimae, gentium superstitionem saperent, plenis taedii et fastidii disputationibus, ad docentium ex cathedra morem, extendebantur. Hinc natae illae *Aesopi fabulae moralisatae*, quo titulo codices multi in Bibliothecis adhuc publicis et priuatis supersunt. Hinc sub *Rimicii*, *Romuli* et nescio quorum vel obscurorum virorum, vel nomine carentium, titulo fabulae multae, omnes quidem reli-

quias

quias quasdam veterum auctorum et vestigia seruantes, sed variis interpolatae modis, prodierunt. Verus vero Phaedri labor, vt triticum spinis et vepribus suppressum et suffocatum, ita plane intermortuus iacuit, vt nisi a *Pithoeo* excitatus fuisset, et codex vnus, nec ille integer, et deinde schedae quaedam mutilae, inuentae fuissent, in hunc vsque diem, solo nomine, non fabulis fuisset notus Poëta. Huic calamitati accessit fraus et ambitio quorumdam eruditorum, qui cum fabulas nunc varie inter se discrepantes, nunc eisdem fere verbis conscriptas legerent, et in omnibus fere falsae mercis propolis obscura quaedam Poëticae orationis vestigia, eaque facili saepe labore in pedes suos redire deprehenderent, quasdam edere, tamquam a se non quidem inuentas, sed versibus et metro coërcitas, instituerunt. Cuius fraudis insigne vestigium, post editum a *Pithoeo* Phaedrum (antea enim nemo potuisset consequi) agnouit *Petrus Scriuerius* in notis ad Martial. lib. III. 77. vbi docuit *Nicolaum Perottum* fucum insignem fecisse viris doctis, qui in Cornucopiae ad Martial. lib. I. Ep. 77. (vel, vt ipse numerat, CV.) iactat se adolescentem ex *Auieno* in fabellas suas Iambico carmine transtulisse fabulam de arboribus in tutela Deorum, quae nunc in Phaedro legitur lib. III. 17. et quae, paucis verbis immutatis, tota quanta fuit Phaedri. Ignoratum ad hunc vsque diem fuit, an *Perottus* plures fabulas vel ipse condiderit, vel ex Phaedro transtulerit. Sed verosimile puto, illum incidisse in codicem, si non Pithoeano similem, certe a Rimiciano aut Romuleo, aut anonymi, non discrepantem, et qualem magno cum rei literariae emolumento edidit nuper Vir egregius *Ioh. Frid. Nilantius*, hac in vrbe 1709. vel forte alium, qui magis ad Phaedri veram manum accederet. Quidquid sit, nunc demum patuit, *Perottum* coepisse ab adolescentia ex suo illo volumine fabulas varii generis describere, quae postea sub suo nomine exirent. Hanc vero fraudem indagandi et eruendi

 felicitas

felicitas seruata fuit Iuueni praestantissimo, qui post egregie in hac Academia nauatam studiis humanitatis et iuris operam, adolescentiae tempus non vtilius collocari posse, quam in erudita peregrinatione, recte censuit, *Iacobo Philippo Doruillio*, quem, si Deus, quod vouemus, vitam et aeuum extenderit, principibus litaratorum olim adnumerabit Batauia nostra. Hic per Britanniam et Franciam diu multumque circumlatus, nunc in Italiam, studiorum et ingenii matrem olim et nutricem, delatus, vt Incunabula ipsa elegantiae et humanitatis adoraret, & si qua aliorum oculos et manus fefellissent, detegeret, laetissimo me, dum in eo sum, vt imposita summa manu Phaedrum emitterem, nuntio exhilarat; se vidisse ipsum *Perotti* codicem, in quem ille omnis generis fabulas Aesopias, Phaedri, Auieni et suas, non vno carminum genere contulerit. Vt vero ipse statim ad eius conspectum exsiluit gaudio, (mea enim caussa nullam non occasionem omisit indagandi, quae mihi aliquid molienti vsui esse sciret) ita diu hoc me ignorare noluit: sed specimine ad me Perottiani laboris transmisso, tanta me voluptate perfudit, vt licet omni beneuolentia, officio, immo pietate me semper sit prosecutus, hoc nuntio tamen insigniter me demeruerit: et, quamuis nihil praedicare de eius erga me amore possim, quin id virtus eius superet, hoc publicum tamen, licet tenue, gratae mentis in eum testimonium exstare voluerim. Cumulatum vero fuit beneficium, cum excerpta ex codice ipso ad me transmittere se paratum ostenderet, simul ac me id desiderare intelligeret. Inter has vero commeantium vltro citroque literarum moras, per integros fere tres menses iam typis absoluto iacente Phadro, dum anxius inuenta illa exspecto, et nescio quae gaudia de integrando Phaedro meo mente praecipiebam, ecce tandem excerpta ipsa sub finem Aprilis mensis ad me cursus publici ope adferuntur: quorum conspectus licet non meritum amici industrii, laetitiam tamen antea conceptam non parum imminue-

minuebat. Corruptum enim non modo longa aetate codicem, sed mutilatum et vitiatum offerebat menti, et summa cum cura et superstitiosa diligentia excerptae scripturae facies me commouebat. Initio et fine vacuas reliquerat *Perottus* paginas aliquot, destinatas pluribus etiam a se conscribendis fabulis, et earum indici subinde augendo. Atramenti vero quodam genere fuerat usus, quod aeuum ferre non posset, sed quo expressae olim literae partim in viridem colorem abierant, partim exoletae ita plane euanuerant, vt legi omnino non possent. Praeterea parum diligenter seruatus codex ex aqua, forte per rimas tecti destillante, vel alio humore, vitium contraxerat ita, vt media magnam partem chartae area vel nullas vel euanescentes literas ostenderet. Quod ergo gaudio nostro nunc deest, vtinam melior posthac fortuna expleat, et ipse codex fabularum, vnde *Perottus* sua transtulit, servatus in aliqua Italiae bibliotheca a literarum nostrarum studioso eruatur! In quam curam incumbere illos velim, quos summo simul opere rogo, et hortor, qui quo scripta *Perotti* et supellex libraria abierint, in Italia viri docti indagare possunt. Vitam, et scripta *Perotti* non pauca numero, recenset Vir eruditissimus *Nicodemus*, in additionibus ad *Toppii* Biblioth. Neapol. pag. 182. et de Episcopo hoc Sipontino memorabilia quaedam, et vulgo ignota profert. Fabulas vero ab eo scriptas aut editas non memorat, vt nec *Iacobillus* in Biblioth. Vmbriae pag. 210. vbi *Perotti* nostri mentio fit, neque quisquam alius, quod sciam. Sed seculo proximo ex gente *Perotta* superfuisse *Torquatum* Episcopum Amerinum, qui in animo habuerit edere scripta *Nicolai*, didiceram, iam ante *Nicodemum* visum, ex *Leonis Allatii* Apibus Vrbanis pag. 350. Ed. Germanicae. cum vero ille floruerit sub Vrbano VIII. forte in Italia curiosior et diligentior aliquis scripta eius relicta et supellectilem literariam indagare posset. *Torquatum* hunc celebrat idem *Iacobillus* in Bibliothec. Vmbriae pag. 261. Sed vt cum lectoribus aliquid communi-

cemus ex inuentis his, licet carie exesis, thesauris, notitiam quamdam eius codicis, vnde de *Perotti* ingenio et furtis liqueat, subiungemus. Inscripsit has fabulas *T. M. Veltrio* Viterbiensi, quem *conciuem* suum vocat, vnde confirmari potest *Nicodemi* certissima sententia, qui non Capuanum, vt *Toppius* credebat, sed Saxoferratensem fuisse probat, quod clarissime etiam docet epigramma, quod hoc in codice legitur de Saxoferrato.

> *Vilem Sentinam veteres dixere Latini,*
> *Saxoferratum secula nostra vocant.*
> *Hinc quia progenies gentis fuit orta Perottae,*
> *Saxea quae nimis est, ferrea quaeque nimis.*

vbi nescio, vnde nomen illud *Sentinam* petierit. cum *Sentina*, quae frequentius *Sentinum* dicitur, a Saxoferrati situ longius sit remota. nisi sentinam vocauerit, vrbem obscuram et sordidam. Ex praefatione vero apparet, has fabellas immixtis aliis carminibus ab adolescente in chartas coniici coeptas, deinde vero seniorem eas edere constituisse: Sed vix dimidia praefationis pars legi poterat. Post praefationem sequebatur: NICOLAI PEROTTI *Pontificis Sypontini Epitome Fabellarum ad* PYRRHVM PEROTTVM *Fratris filium. Index incipit feliciter;* qui continebat inscriptiones vel titulos ante ipsas fabulas in codice positos, in quibus hoc animaduerti, *Perottum* omnia, siue Promythia, siue Epimythia abiecisse, sed ex illis argumenta fabularum conflasse, et ipsis praeposuisse titulos sermone plane pedestri, sed in quibus saepe vestigia Phaedrianorum versuum deprehenduntur. Deinde relictum erat spatium, in quod plures fabellas referre posset, si quas forte postea componeret: nam ab adolescentia vsque ad aetatem maturiorem, subinde recurrebat ad hoc opus. Sequebatur titulus ipsius operis.

NICOLAI

NICOLAI PEROTTI

Epitome fabularum Aesopi, Auieni et Phaedri, ad Pyrrhum Perottum Fratris filium, Adolescentem suauissimum. Incipit feliciter.

Tunc ipsa ad hunc *Pyrrhum* praefatio, et haec mutilata, sed quae aperte tamen ostendit, *Perottum* habuisse Phaedri nostri codicem, vnde sibi furatum plurima, et metri fuisse non admodum peritum, nobis Phaedrum ipsum iam habentibus, se prodit: eam hic dabo.

Non sunt hi mei, quos putas, versiculi,
Sed Aesopi sunt, et Auieni et Phaedri,
Quos collegi, vt essent, Pyrrhe, vtiles tibi;
Tuaque caussa legeret posteritas.
Quas edidissent viri docti fabulas,
Honori et meritis dicaui illas tuis,
Saepe versiculos iaterponens meos,
Quasdam tuis quasi insidias auribus.
Solet quippe iuuare ista varietas.
Hos si leges laetabor: sin autem minus
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
Nunc . . . .
Breui . . . .
Quia vuae v . . . .
Affectus prope . . . .
Calumniamque fictis . . . . . .
Redeo vnde discessi . . . . . .
Hunc obtrectare si volet malig . . .
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi magna laus est, quod tu, quod similes . . . .
Labores libenter legant vsque meos.
Dignosque longa iudicent memoria.
Semper fugatae plus vetustati fauet
Inuidia mordax, quam bonis praesentibus.

In quibus facile versatus in Phaedro lector deprehendet, quae *Perottus* ex praefationibus lib. III. et V. in suos

vsus transtulerit, vnde etiam quaedam immutasse et interpolasse constabit. nam ne molestus sim singulis excutiendis, in versu a fine quinto apud Phaedrum legitur hodie, *mihi parta laus est,* in Perotto, *magna.* Vtinam vero integros Prologorum Libri V. versus, qui hodie corruptissimi circumferuntur, dedisset, ex quibus vltimos tres sibi sumsit. Hinc sequebatur Fabula de Vulpe et Simia, quam ex Anonymo, Rimicio et Romulo, in Appendicem n. XXII. olim conieci, et in metrum redegi, nimis, vt nunc suspicor, multis versibus vsus, quia interpolatores illi, quos secutus fui, verbosiores nostro Phaedro, qui breuitatem semper iactat, exstitere. Quare in reliquis me fabulis, quibus Appendicem instruxi, longius saepe a Phaedri manu aberrasse, licet multae voces et locutiones eius sint seruatae, nunc libens agnosco. Quod vt apertius constet lectoribus, a *Perotto* eamdem fabulam concinnatam, et sine dubio Phaedri verbis conuenientiorem, hic dabo.

Auarum etiam quod ei superest non libenter dare.

Vulpem rogabat partem caudae simia,
Contegere honeste posset vt nudas nates,
Cui si maligna: longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Quam tibi impartiar paruum quamuis. . . .

vbi in titulo legendum, *sibi superest,* et in vltimo forte versu, *quam tibi impartiar paruum quamuis pilum.* Hinc ad Lectorem iterum adlegat tria disticha Elegiaci carminis, et deinceps partem maiorem fabulas, aut ex Phaedro et Auieno nobis cognitas, aut ex suo codice vel aliunde translatas, interiectis etiam epigrammatibus ad varios, continet; vt, exempli gratia ad Amicum, qui calculorum ludo ab eo victus anseres duos cum pullis anniculis miserat, Epigramma, quo anseres illi loquuntur. deinde Epigramma ad *Adrianum Contrarium* Vene-

Venetum, de diuitiis et paupertate; Iocus ad Theodorum impudicissimus, nec sane dignus Episcopo; praeterea Epigramma ad Nicolaum V. Pontificem, Apostropha ad Vrbem Viterbium, et alia quaedam inserta leguntur. Sed quid in illis moremur? videamus potius quas ex Phaedro fabulas transtulerit; et an quid inde fructus et vtilitatis ad nostra studia redundare possit. Triginta fere in illo codice ex Phaedro, vt nunc habemus, descriptas deprehendi fabulas: nullam vero ex Libro primo, sed ex quatuor vltimis quasdam, quas ordine suo recensebimus, et si quid varietatis occurrat, adnotabimus breuiter.

Lib. II. Fab. 6. Tres priores versus deerant. vers. 8. *opimam inquit praedam.* gaudeo vero me, licet vers. 10. *lassabis* defendi posse ostenderim, obsecutum fuisse MSS. nam et hic *lassauit* pro *lassabit* legitur. deinde exhibetur,

Promissa parte, vadens vt scopulos super
Ab astris duram illidat, monet, corticem.

vs. 15.

Simul magistrae large dimisit dapem.

vs. 16.

fuerat naturae.

Fab. VII. 2. *Phiscos.* 3. *tumentis multos.* 5. *iactat.* 8. *sauciant*, vt Heinsius. 12. *sum passus vulnera.*

Fab. VIII. Versu primo, *nemorum excitatus*, dein pro *et opportuno* in MS. est, *et inter bubulos rust. . . .* deinde, *huic eo latenti, quid nam . . . . .* vs. 7. pro *hominumque* non male *hominisque.* vs. 10. *spatium dein:* 11. *affertur, nihil videt.* 13. *nemo eum aduertit.* 14. *tum gaudens ceruus bubus quietis agere coepit gratias.* 16. *quia praestarent*, non male. 17. *te volumus quidem.* 19. versus hic deerat. 25. *conspicatur cornua.* 27. *Praedamque tollit, quam parauerat casus.* reliqua deerant; sed finiebatur hoc versu fabula,

Tunc recte fieri omnia, cum per nos facimus.

Sequenti Epilogo praemissus erat titulus, *Ingenio et virtuti veram gloriam tribui*, et, quo vel solo nomine huius codicis pretium absoluitur, primo versu diserte edebatur, vt Gudius coniecerat, et nos confirmare studuimus,

Aesopi

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,
Seruumque collocarunt aeternae basi.

vers. 3. *honori.* post versum quartum vero nihil adiectum fuerat a Perotto.

Lib. III. Fab. I. 3. *Sparserat.* vs. 5. *quale te dicam bonum,* quod etiam placere iure potest, et ab Heinsio ex coniectura repositum erat.

Fab. II. deest primus versus. vers. 4. *miseriam.* 6 *panem, sustinentes spiritum.* 9. *vires vi refecit.* vnde videmus illud *vt* et *vi* permutari, vt notatum ad Lib. I. 11. 12. vs. 13. *ipsius pastores.* 16. *Et cuncta vertens saeuit irati impetu.* 17. *At illa,* vt Heinsius et Schefferus correxerant. 17. *Saxis petierit.* 19. *Laeserunt:* et hoc recipi potest.

Fab. III. promythium abest vt semper. vs. 6. *ad consultandos.* vs. 8. *auertendum esse victima periculum.* 10. *et illegitimos significat liberos.* 11. *expiare p. maiore.* 13. *maiore augent.* 14. *Aesopus ibi stans narrare incipit.*

Naturam nequaquam verba cuiquam dare.

de quibus cogitandum puto: nam certe semper in illo versu haesi, nec, quomodo natura non potuerit Aesopo verba dare, id est fallere, intelligere potui. Natura enim aperte et simpliciter agit, et procreat foetus, qui parentes produnt. et hinc natis ouibus his monstruosis, Aesopus Naturae viam et rationem intelligens, pastorum scelus statim deprehendit. quare forte melius legeretur.

Aesopus ibi stans, naris-que emunctae senex
Sciens, naturam verba nequaquam dare,

sciens naturam non fallere, sed aperte prodere, productione sua, caussas veras, deprehendit scelus pastorum.

Fab. IV. 2. *obsonium.* 5. *aestimo.*

Fab V. 2. *lapides.* 3. *fio quo, inquit,* 4. *mehercules.* 10. *soluit sceleris.*

Fab. VI. vs. 3 *dolosa.* 6. *iugum flagellans temperat collo meum Et ora.*
quae fortasse lectio non inepta videri posset, si modo *temperare iugum collo* possit significare, moderatur me, qui impositum collo iugum gero. vt, quoties ego illud excutere tentem, flagello me coërceat. vide an huc aliquid facere possit Martialis Epigr. lib. I. 105.

Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbaeque tigres
Indulgent patientiam flagello.

sed iterum fateor, vix concoquo

coquo illud *iugum tempe-rare*. nisi probetur, vt freno ora, ita flagello iuga potuisse coërceri, aut temperari. sed nondum mihi satisfacio in hoc loco. vs. 9. exhibet

Vbi sit turdandum et vl-tro currendum, scio.

qui interpolatus est a Perotto, qui verbum *strigare* expulit.

Fab. VII. vs. 3. *deinde salutati inuicem*. 9. *quale inquit ille. custos si fueris liminis*. vs. 10. *tuearis noctu*, abiecto τῷ *et* vs. 16. confirmatur Heinsii et Bentleji correctio *caui*. 17. *dic, sodes, tamen.* 19. *nox cum venit*. 20. *vager*. 21. *famuli*. 25. *si quo abire vis*. 26. *Non .... fruere his, quae laudat, canis*. 27. *regnare nolo, nisi libertatem habeam*.

Fab. VIII. vs. 3. *insignem pulchra*, vt viri docti etiam correxerant. 4. *His* deest: *vt post* ... 7. *fratris sustinet*. 9. *decurrit, laesura iuuenem*. 11. deest. 12. *ille amplexus*. 14. *continue, inquit ille, speculis vos vti volo*. 15. *nequitia*.

Fab. X. 2. *ponam*, quod tolerari potest, si *breuiter exemplum ponam* legatur. ita et Romulus III. 8. *auctor posuit talem fabulam*. 5. *veritas semper prius*, quo fastidio Cl Bentleji occurri potest, si recipiatur. 6. *stulte praua*, et hoc posset defendi satis, et ita olim etiam conieceram, sed quia mutare religio fuerat, receptam lectionem retinui, et deleui in notis hanc coniecturam, ex qua tamen per imprudentiam mansit pag. 137. col. 1. *et ita* praua sententia *esset ablatiui casus*. pro *stulta*, quia deletis quibusdam verbis, hoc mutare neglexeram. 7. *sed fabulosam ne vetustatem asseras*. 8. *quod memoria*. 9. *maritus castam*. nescio an a Phaedri, an Perotti manu. certe mox vs. 14. sequitur. 10 *puram compararet filio*. 11. *a liberto est suo*. 12. *heredem fieri se proximum*. 13. *Hic cum de puero*. 16 *amantem*, 19. *in oppido suo sedit, dehinc noctu* etc. 21. *cubiculum infelix petens*. 22. *natum mater*. 24. *concursat familia, ad lectum vadit*. quod impetum furentis irae magis exprimit: vid. ad IV. XVII. 12. vs. 27. *vt sensit*. 35. *magna insontem*. 37. *possidet*. sed vs. 39. agnoscas Episcopi manum, quae *diuum Augustum* dici non passa, dedit, *Pontificem maximum rogarunt iudices*. 41. *quando ipsos terror*. vers. 42. deest, et sequenti habet, *qui postquam fontem*, 44. *poenas pessimus libertus*. 45. *simul ac*. 47. *Quod si delatum bene scrutatus crimen*, vnde video non inepte me inter varias coniecturas, pro *da-mnandu*

mnanda, etiam *delata* lectori propofuiffe, quamquam nondum poenitet alterius *donanda*. 52. *putas*. a verfu 54. vt folet, reliqua omifit.

Fab. XI. vf. 2. *qui fuper*. 5. *integritati*.

Fab. XII. 4. *tui* deeft. 5. *priftinum* confirmat Perottus. 6. *Ego quod inueni, cui potior eft cibus*, deinde etiam *poteft*. forte fcripferit, *ego, quo te inueni?* vt *quo* fit pofitum, quemadmodum, *quo mihi fortunam* et fimilia, quae plena manu dat Heinfius ad Ouid. II. Ep. 53. et faepe alibi.

Fab. XIII. 3. *Lis deducta ad forum eft, vefpa indice*. 4. *nofcet quam*. 13. *protulit fententiam*, quo recepto omnes euanefcent conatus criticorum. 14. *et quis fecerit:* fed haec fabula bis in Perotti codice occurrit: et diuerfa fcriptura: nam in altera legitur. vf. 1. *fecerant quercu*. 13. *pertulit*.

Fab. XIV. 4. *Vt deriforem potius deridendum oftenderet*.

8. *quaeftionis poiae*. 9. *tum vero Aefopus*. imperitiffime nunc video Laurentium edidiffe, *victor Aefopus*, crudeliter metro vim faciens. 10. *arcum fi . . . . .* 11. *laxaueris*. 13. *ad cogitandum vt fic melior redeat*.

Fab. XV. 5. *dein fert onus*. 7. *admodum vbere:* forte pro *admotum vberi*. fed vulgata rectior. ita Virg. IV. 367. *Hircanaeque admorunt vbera tigres*. vf. 9. *Tamen illa potior quae peperit, non ita eft*. vnde firmatur faltem mea coniectura, qua *te* eieci 11. *Age porro parere fi voluiffet feminam*,

Quid profeciffet, cum crearer mafculus.

12. *fane magnum*. 13. *in oras*. 15 *miferta*. 17. *parentem*.

Fab. XVI. Titulus: *Non effe fponte alicui faciendam iniuriam:*

> *Nam qui humanitati fe non accommodant,*
> *Plerumque poenas dant fuperbiae*.

4. *agebat*. 7. *clamare occepit*. 9. *contemni data*. 11. *quoniam non funnt*. 12. deeft. 13. *putare fi animus*. 15. non aufus fueram mutare *ardebat*, in *arebat*, fed Perottus exhibuit. 16. *fimul gaudebat*.

Fab. XVII. quam nobis iam dedit Perottus in Cornucopiae, ad Epigr. LXXVII. ipfi vero CV. Martialis, iactans fe ex Auieno in fuas fabellas iambico carmine transtuliffe, hoc vero a Phaedri edita difcrimine. 3. *Phoebus laurus*. 4. *Pinus Neptuno*. 5. *fterileis* in editis, in Codice fuo *fterilis*. 6. *interroganit caufam. dixit*. 7. *honorem fructu*

ctu ne videantur vendere legitur in Cornucopiae, in scripto, *honorem fructus ne videamur*. 8. At *mehercules, inquit, quod quisque voluerit*. 9. *fructum, fructus est* in edito. 10. *Tum sic*.

Fab.XVIII. 1. *Pauo Iunonem conuenit*. quod ferri potest; ita enim Terentius, Cicero, et alii passim loqui amant. 2. *Luſciniae*. 3. *auibus* retinet. 6. *sed forma vincis et magn*. 9. *cur mihi, inquit, ſpecies ſi*. 10. *vobis ſunt datae*. 11. *Luſciniae*. 13. *omnes quae pr. ſ. contentae dotibus*. quare et hoc recipi facile nunc patiar, et non tantum de vocis dote, sed et de illis, quae vnicuique animali sunt propriae, vt vires aquilae, etc. capi posse concedam; ne quis me pertinaciae accuset. 15. *densa* .... ceteris euanidis.

Fab. XIX. *Aesopus domino cum eſſet ſolus*. 3. *domos aliquot luſtrauit*. 7. *redire*. *Quidam*. 8. *quid cum lumine?* vt Rittershusius censuerat.

Lib. IV. post *fab. XIX*. p. 259. Ed. nostrae Poëtae verba sua fecit, hoc discrimine prodita. vs. 22. *gemitus*. 23. *quadrante augeas patrimonia*. 25, *funeri*. quod tolerari posset, et a criticis auide arripietur, vt et sequens *lucri*. deinde sequebatur fab. XIX. hoc versu praemisso

Fabellae noſtrae parum aures accommoda.

vers. 1. *vulpes*. 2. *pluris*. 3. *intimam*, vt Bentlejus confecit, quam cum Perotto conspirationem viro acuto gratulor. 8 *fructum rapis*. 11. *ab ſummo*.

Fab. XX. tres versus priores ita immutauit Perottus, et in duos contraxit

Heu quantus eſt ſemper mortalium livor!
Sunt, qui quidquid putant dignum memoria.

4. *dicunt*, et 5. *contendunt*. 6. *quem*, vt primo scripserat, correxit in *quos*. vltimum versum reiecit.

Fab. XXI. reiecto priore versu, incipit, *Simonides* etc vs. 7. *redire in patriam*. 10. *ſimul vetuſtas*. 13. *Simonide, inquit, tu nihil ex* .... 15. *nam plures*. 17. *Clazomene*. 22. *Sermone ipſo*. 33. *receptum*. 25. *obuios*, quod firmat Salmasii coniecturam. 27. *periit*.

Fab. XXIII. *Nihil agere* etc. deerat hic versus. 9. *contigit*. 10 *plane conuictus*. 14. *paſci video*. 15. *abieris*. 16. *ideoque nihil habes*. 17. *ſuper etiam*. 18. *cur bruma ſiles*, non inuenuste. 21. euanuerat vox *retudi*, vnde non patet, quomodo legerit Perottus, cum et tres versus reliquos more suo abiecerit.

Fab.

Fab. XXIV. Tres priores versus omisit Perottus. 3. *Simonides ille, supra de quo retuli.* 5. *victori laudes:* quo confirmatur correctio Gronouii et Schefferi, quibus noluerunt obsequi viri docti. 8 *vsus Poëtae et licentia est,* vnde posset fieri, vt versui consulatur, *vsus Poëtae more est et licentia,* quamquam malim, *vsus Poëta more est et licentia.* Poëta, scilicet ipse Simonides, vsus est more et licentia; qua Poëtae fere omnes vti solent. 10. *Auctores apte similis referens gloriae,* etiam tolerabiliter, si *apte* legatur. 13. *sunt partes duae.* 14. *verum vt sine irate dimissum te sentiant,* ex quo probabilis lectio potest effici, *verum vt sine ira te demissum sentiant.* ne Castores sentiant me inuidisse laudibus eorum, aut te ideo iratum dimisisse: quam certe lectionem meae etiam coniecturae nunc praeferre non dubitem. vs. 15. *ad coenam mecum veni,* quod non accedit ad elegantiam vulgatae lectionis. 19. *redit.* 20. *populis.* 21. deerat totus versus. 22. *duo cum.* 26. et 27. desiderabantur. 29. *ruina domus.* 32. *omnes dixerunt.*

Lib. V. Fab. I. 3. *ruit.* 6. *taciti gementes.* 8. *repunt.* 10. *in quis.* 12. *vestitu fluens,* vt Heinsius conieceerat, vt *fluens vestitu* sit, pro in fluenti veste, vt supra, *insignis facie,* vide Broukh. ad Prop. II. XXII. 26. 15. *in conspectum meum.* Finem fabulae ita exhibet.

> *Hic est Menander scriptor m . . .*
> *Homo inquit f . . eri non potest.*

vnde quid effici possit, non video.

Fab. II. initium ita exhibet,

> *Duo cum incidissent in latronem milites,*
> *Vnus profugit, alter autem restitit,*
> *Et vindicauit* etc.

Quae si vera sunt, debet intelligi, gloriosum illum militem in via fortiter locutum, quae omisit Phaedrus, quasi satis per se intelligi possint ex sequentibus. 2. *Latrone occiso.* 3. *deinde.* 7. deest versus. 11. *scio quam,* vt Gronouius conieceerat. reliqui duo deerant.

Fab. III. 3. *hunc illa irridens.* 10. *optem carere.* 11. et reliqui desunt. quorum sensum, vt ego constitui, confirmat titulus fabulae, *His, qui casu peccant dandam esse veniam, qui vero consulto delinquunt, eos esse puniendos.*

Fab. IV. 1. *Quidam cum immolasset verem sancto Herculi.* 3. *relliquias,* et *ordei.* 5. *li-*

5. *libenter istum prorsus appeterem cibum*, vbi Bentleji mens iterum; cum Perotti manu conspirat, et vnde conficere possit, *istum* etiam δεικτικῶς poni, quod ad lib. I. fab. 1. nolebat admittere. 6. *illo est*; inepte *eo est* edidit Laurentius. 8. et reliqui desunt.

Fab. V. tribus omissis, versu 4. habet, *diues quidam et nobilis.* 6. *nouitatem faceret* 8. *scurra vnus urbano sale.* 11. *ciuitatem conuocat.* 12. *turba.* 17 *porcellum voce imitatus est sua* 22. *mehercules.* 25. *degrunnit.* 26. *Et derisurus sedet.* 28. *clamorem.* 29. *tum.* 31. deest. 32. *aurem porco, quem.* 36. *de sinu.* 37. *exprob.* . . .

Atque haec sunt, beneuole lector, quae nunc tecum communicare e re Phaedri nostri visum fuit, editione potius, dum ea nanciscerer, dilata, quam in scriniis meis reposita seruare, quum nesciam, an ea publicandi postea non intercipi posset occasio. Eo enim semper fui animo, vt publicae vtilitati omnia, quae scribam et prodam, inseruiant, nihil mihi sepositum condens, quod depromtum aliorum conatus adiuuare possit, immo ipsis etiam aduersariis et laboris alieni obtrectatoribus arma subministrare paratus, vnde copias suas instruant. Quare haec communia etiam aliis esse volui, vt si nouas inde coniecturas possint excudere, auctoritate aliqua se munitos ostendant. Denique lectores omnes rogatos volo, ne me eo arrogantiae peruenisse credant, vt de doctrina et ingenii acumine cum quoquam, nedum cum Cl. *Bentlejo*, quem inter principes dudum venerata est respublica literaria, decertare, et puerilem quamdam voluptatem ex refellendis aliorum cogitatis aucupari et captare velim. Vnica haec prodendi caussa fuit, vt traditam a magno magistro meo *Graeuio* disciplinam et rationem literas et elegantiores artes colendi et tractandi seruem et propagem, et omnem confidentiam et temeritatem, qua Critici hodie in praecipitia auferuntur, adolescentibus non modo, sed omnibus, fugiendam remis velisque esse ostendam. Fe-

licitatem vero ſcribendi et ingenii vbertatem licet nulli inuideam, ego tamen, vt exſpectationi profeſſionis noſtrae ſatisfiat, non ſufficere haec naturae bona credo tractanribus omne omnino ſcriptorum genus, niſi infinitos labores exhauriendos ſimul ſibi proponant, et ex diuerſae notae ſcriptoribus, diuerſam quoque ſingulos interpretandi, et emendandi rationem addiſcant. Sed quid ego homunculus ex meo animo coniecturam capio de Heroibus, aut celeritatem ſublimiorum ingeniorum ad tarditatis meae conſcientiam exigo? Fateor et publice prae me fero, magis magisque timidiorem in dies accedere ad emendanda veterum ſcripta, quia non ab aliis modo facile coniecturas, ſi quas cepi, refutari poſſe experior, ſed ipſe ſaepe ad vineta mea caedenda impellor. Denique cum ſummos olim in republ. literaria viros, poſt tot annorum curas et diligentiam, vix ſecundum hodie inter eruditos locum tueri, immo in ordinem redigi a tironibus etiam videam, quid ni mirer felicia illa ingenia, quae poſt ſemel conſtitutam famam et eruditionis non vulgaris opinionem, deinde triduano ſaepe, aut certe paucorum dierum labore, et commentatione palmam Criticis omnibus extorquent, et Caeſaris inſtar tot Interpretibus doctis et laborioſis in tranſcurſu ſubactis, ſoli dominantur. Scilicet, quod

> *Alterius eſſet gloria et ſummum decus;*
> *Iter eſt Achillis.*

Vale, Lector, et ne prauo fauore labaris, caue. Leidae, Idibus Maiis cIↃ IↃ CCXXVII.

PHAE-

PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLARVM

AESOPIARVM

LIBRI QVINQVE

PHAEDRI,

AVGVSTI LIBERTI,

FABVLARVM

* AESOPIARVM

LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.

AESOPVS auctor quam materiam reperit,
Hanc ego poliui versibus senariis.

Duplex

PETRI BVRMANNI

NOVVS AD PHAEDRVM COMMENTARIVS.

LIB. I.

* *Aesopiarum*] Sine dubio rectius *Aesopias* fabulas, quam *Aesopi* vocari constat. Fabius tamen Lib. I. de Inst. Orat. cap. 9. *Igitur Aesopi fabellas, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro condiscant.* Vbi merito mirari licet, nullam Phaedri nostri mentionem fieri; sed videtur ibi tantum praescribere Grammaticis Fabius, vt Graecas fabellas Latino sermone narrare doceant pueros; apud Macrobium quoque lib. I. in Somn. Scip. cap. 2. *vt sunt illae Aesopi fabulae elegantia fictionis illustres.* Vbi Schefferus legit *Aesopiae*, et ita in antiquis editionibus quibusdam

Duplex libelli dos est: quod risum mouet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.
5 Calumniari si quis autem voluerit,

Quod

extare ait, quod merito se probaturum si membranae adiuuarent, testatur Gronouius. Vtrumque in vna periodo effert Hesych. Αἰσώπου γελοῖα. Οὕτως ἔλεγον τοὺς Αἰσώπου μύθους καὶ ἐν τοῖς κοινοῖς δικαστηρίοις ἐστὶν ὅτε τοῖς Αἰσωπικοῖς ἐχρῶντο μύθοις Vnde et illustratur altera *dos* fabularum, quae *risum mouet*. Habet vero Phaedrus partim *Aesopi* fabulas, id est, ab eo fictas, sed Latine versas, vt I. Fab. 3. 10. et infinitas alias. Partim etiam *Aesopias* a se fictas et inuentas.

PROLOG.

3 *Dos est*] τὸ *mos* tuetur Gebhard. lib II. Crepund. 6. Heinsius ad Ovid. XII. Met. 450. *los* scriptum fuisse pro *laus* suspicatur, sed non multum huic coniecturae ipse tribuit.

4 *Prudenti vitam consilio monet*] *Prudenti* etiam recte tuetur Gebhard, 11. Crepund. 6. quae enim superbia Phaedri foret, si prudentem monere sibi sumeret? Durior vero locutio visa Heinsio, *vitam monere*, quare ille *fouet* malebat. sed aeque insolens mihi apparet, *fouere vitam consilio*. quare hic *vitam* capio pro ipsis hominibus, qui cum maxime viuunt, seculum praesens: quo sensu centies apud Plinium occurrit, vt lib. VIII. 16. *vita non decreuerit*. lib. XV. cap. 1. *cultum agrorum docenda vita*, vbi *docenda vita*, vt hic *monenda*: quod imitatus videtur Orientius lib. 1. 16.

Vita docenda mihi est.

Idem Plinius lib. XXXIV. 14. et *vita ipsa non desiit honorem mitiorem ferro habere*. Vide Gronov. ad Praefat. lib. XIX. Ita et Lucan. VI. 910.

— *nec sancto caruisset vita Catone.*

Martial VIII. Epig. 3.

Agnoscat mores vita legatque suos.

Vnde videmus circa Phaedri tempora hoc sensu vocem fuisse hanc frequentissime vsitatam, quam a Cicerone etiam vsurpari iactant quidam. sed non dissimili ratione dixit Tibullus lib. II. Eleg. I. 39.

Rura cano, rurisque deos: his vita magistris
Desueuit querna pellere glande famem.

Vbi ex Lucretio adferunt interpretes similia loca, vbi *vita*, et *vita humana* non admodum dissimili significatione occurrit. Manilius, aeuo optimo proximus Poeta, eodem modo vsus lib. I. 66.

Nam rudis ante illos, nullo discrimine, vita
In speciem conuersa, operum ratione carebat.

Vt vero hic fabulae dicuntur *monere vitam consilio*, quod proprium est sapientis vitae magistri, ita eleganter Imperatores Valentinianus et Martianus in Leg. 9. C. de Legibus dicunt, *Leges sacratissimas constringere hominum vitas*. vbi non opus cum Rittershusio ad Querolum pag. 84. et in Prooem. ad Ius Iustinianeum cap. II. §. 23. emendare *omnium vitas*, cum mox *omnibus* sequatur, ingrata repetitione.

Quod arbores loquantur, non tantum ferae;
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

(I) FAB. I.

Lupus et Agnus.

Ad riuum eumdem lupus et agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat lupus,
Longeque inferior agnus: tunc fauce improba

A 2 Latro

6 *Quod arbores*] Cl. Bentlejus *quod et arbores.* quod minime necessarium recte ostendit Vir doctus. Sic Ouid. I. Art. Amat. 384.

Corpore, non tantum sedulitate, placet.

XII. Met. 456.

Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum: Mopso iaculante biformis
Occubuit etc.

Sed nimis liberalis est Anonymus vir doctus, qui inuersa locutione si Phaedrus dixisset, *non tantum ferae, sed et*, vel *etiam, labores loquantur*, correctioni manus daret. nam licet saepe ita loqui soleant Poëtae, tamen frequenter has particulas negligunt: Ouidius Epist. X. 79.

Nunc ego non tantum quae sum passura recordor;
Sed quaecumque potest ulla relicta pati.

I. Met. 137.

Nec tantum segetes alimentaque debita diues
Poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae.

XIII. 831.

Nec tibi deliciae faciles, vulgataque tantum
Munera contingent, etc.
Inueni geminos etc.

plura sine dubio in promtu essent exempla, si umquam suspicari potuissem, Critico alicui talia in mentem ventura. Haec pauca familiaris Ouidius meus memoriae subiecit; ex Virgilio etiam illud huc facit Eclog. V. 48.

Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.

nec soli Poëtae, sed et ita loquitur Liv. I. 4 *non tantum subsistere, sed in latrones impetus facere.*

7 *Fictis Fabulis*] Satis ostenderunt Viri docti *Fabulas et μύθυς* esse *τῶν μεσῶν.* sed et licet *fabula* tantum ea esset, quae fingitur, non tamen epitheton ficta culpari mereretur, cum et ipse Cicero I. de Nat. Deor. 2. dixerit, *fictam simulationem*, vbi Dauisius non plane otiosa talia epitheta esse docet; et nos saepe ad Ouidium. vide ad lib. IV. Fab. vlt. vs. 30.

FAB. I.

3 *Tunc face improba*] Vexatissimus locus, de quo praeter ceteros etiam videndus Ampl. Cuperus lib. II. Obseru. 29. Quicumque τὰ *Face* defendere volet, posset capere pro rabie ventris, quae Βυλιμία Graecis

Latro incitatus, iurgii caussam intulit.

Cur,

Graecis dicitur, de qua plurima congessit Illustris Spanhemius ad Callimachi Hym. in Cerer. 68. Claverius ad Persii Satyr. III. in fine, de Furiis capit, quod huic loco minime conuenire puto, satisque quod agant Furias habere puto, dum homines exagitent, ne de Lupis cogitent. magis iuuaret Seneca in Thyest. 170. de siti:

> *Qua cum percaluit sanguis et igneis*
> *Exarsit facibus etc.*

Fame incitatus secutus Rittershusium Bentlejus praefert. quod non ideo improbem, quia de siti praecessit: sine dubio enim agni quoque carne famem sedare ardebat: sed primo quia contra codices omnes editos et scriptos non libenter admitto nouas coniecturas. Miror vero non adduxisse pro hac lectione viros doctos illa Ouidii I. Trist. V.

> *Vtque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris*
> *Incustoditum captat ouile lupus.*

Deinde si *fame* scripsisset Phaedrus, nullus credo librarius mutasset obvium et facile verbum; cum contra ποιητικώτερον et durius visum τὸ *fauce* facile ad mutandum sciolos inducere potuisset. Caeterum *fauce* vtrique, et siti, et fami conuenit; et loca ex Virgilio, Statio et aliis a Gudio et ceteris adducta firmant certissime eam lectionem. sic Lucanus lib. VI. 553.

> — *Morsusque luperum*
> *Exspectat, siccis raptura e faucibus artus.*

et de siti Lucretius v. 1019.

> *Flumen item sitiens, aut fontem propter amoenum*
> *Adsidet, et totum prope faucibus occupat amnem.*

Improba vero est insatiabilis, vt *profunda gula* apud Suetonium Vitell. cap. XIII. et alios. *improbi* vero et impudentis esse puto semper, vbi singulares quaedam locutiones occurrunt, quales vnicuique scriptori esse solent, exigere ab interpretibus earumdem exempla plane similia; hac enim calumnia nullus insolentior loquendi modus euadere poterit Criticorum innouandi cupiditatem. nam et *improbam ventris rabiem*, si quis in Virgilio culpare vellet, an ille conuinci non aliter posset, nisi ex alio Scriptore similis locus proferretur? et recte Gudius Phaedrum variasse, ne plagii crimen incurreret, locutionem notavit. Lupo quoque, μηλοφόνῳ Oppian. Cyneg. III. 266. tribuit γαστρὸς ἄφυκτον ἐρωὴν, et ἀρπακτῆρα, vt noster *Latronem*, vocat, et Virgilius *raptorem*. Vnde quoque apparet inepte Scioppium *Lucronem* hic reponere. cum et *Latrones* lupos vocet Antiquus Scholiastes Statii lib. V. 167. vbi vide Barthium. et eadem ratione venatorem dicat *Latronem* Virgil. X I. Aeneid. 7.

4 *Iurgii caussam intulit*] Vide de hac locutione Gronov. Diatr. Stat. cap. XLV. quam et vindicat Iulio Caesari D. Vossius ad lib. I. de Bell. Gall. 39. loco a Praschio laudato, et Dauisius ad Hirtii Bell. Hisp. c. I. ita et Orosius lib. II. 13. *Seruitutis caussam intulit*: sic *inferre sermonem* Cicer. I. de Orat. 8. et I. de Offic. 40. vt ita εἰσφέρειν vtitur Lucas Actor. XVII. 10. vbi vide Pricaeum et eodem sensu Aelian. XII. 64. πολλὴν εἰσεφέροντο φιλονεικίαν. et ita Iurisconsultis familiare est *inferre crimen*, vt leg. XXXIX. §. 1. ff. ad Leg. Iul. de Adult. et l. XII. ad L. Cornel.

de

5 Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi

de Fals. vt Graecis Ἐπιφέρειν. sic *ἐπιφέρειν αἰτίας γελοιοτάτας* Herodian. lib. V. 7. et Herodot. I. 26. *ἄλλοισι ἄλλας αἰτίας ἐπιφέρων.* vid. Budaei Comm. L. Graec. in ipso initio.

5 *Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi istam bibenti?*] Nescio quas turbas excitent viri docti, quasi non satis liquide intelligatur *aquam* innui, quam *δεικτικῶς* lupus indicat, vt millies solet fieri, et bene indicauit Hoogstratanus noster. vid. ad Petron. CXII. Cl. Bentl. pro *istam*, *obstans* reponit. Sed hoc verbum maioris est violentiae et roboris, quam vt de inermi et imbelli oue posset intelligi, qui longe a lupo distans, non impedire lupum poterat, quo minus biberet, vt recte vir doctus animaduertit. neque Neueleti anonymus, qui *πίνειν αὐτὸν μὴ ἐῶντα* dixit, de obstante agno capi potest, sed quod turbulentam faciens aquam, non sineret illum bibere, vt praetexebat, aquam puram. Nihil ibi de vi, qua impedire conabatur. At nec *istam*, vt *δεικτικὸν* hic capi posse credit Cl. Bentlejus, quia *hanc* debuisset dicere. Sed lupus quaerens et inferens caussam iurgii, non dicit agnum aquam superiorem, ad quam stabat lupus (id est *hanc*) turbulentam facere, sed *istam* inferiorem, quam monstrabat agno. si enim *hanc* dixisset, debuisset agnus stans inferius, superiorem turbasse aquam. quare agnus calumniam facile refellit, qui possum, inquit, Lupe etc. nam licet iam turbulentam fecissem inferiorem, non tamen superior inde turbida posset esse; quia *a te decurrit ad meos haustus liquor*, id est, aqua liquida. vt, I. fab. XII. 4. lupus ergo, *istam* dicendo, inferiorem, spatio distante, demonstrat; et *iste* demonstratiue sumi apparet ex III. VI. 5. et VIII. 16. et IV. X. 5. et aliis locis: nihil itaque innouandum. Mirum alicui merito accidere posset, Cl. *Bentlejo* neganti *τὸ iste* non posse *δεικτικῶς* sumi, non venisse in mentem loci Terentiani ex Adelph. III. 3. vnde recordari* potuisset, hoc pronomen *δεικτικῶς* poni, de re paullo longius a nobis posita, quam de qua *hic* sumere solemus. Cum ibi vs. 34. Demea dixisset, *ISTAEC iam penes vos est Psaltria*, mox Syrus vers. 50. dicit, *Adortus est iurgio fratrem apud forum de Psaltria ISTAC.* Vir egregius non ferens idem pronomen geminari, quia praecesserat *istaec*, deinde corrigit *hac*, rationem addens, quia in priori loco erat ruri et procul, in altero in iisdem aedibus. Quae obseruatio, cuiuscumque sit momenti, certe ostendit, virum doctum *istaec δεικτικῶς* accepisse, et dici de iis, quae non sunt in propinquo, credidisse: siue enim ruri, siue apud Micionem erat Psaltria, praesens tamen non erat ante oculos, et ideo ne *haec* quidem dici poterat: praeterea perit omnis illa venustas, quam Donatus in Syri, illudentis fere Demeae, repetitione eorumdem verborum obseruat. Sed praeterea, non semper pronomen *iste* demonstrare homines aut res longius remotas, apparet ex infinitis locis, quibus dicitur, ab hoc, *his oculis vidi*, vt apud Terent. Adelph. III. II. 31. Hecyr. III. III. 3. ab alio, *istis*, vt Apulej. II. Metam. *sub istis oculis miser iugulatus est*, qui et ante dixerat, *Ego te meis istis* (quas sine dubio gestu demonstrabat) *manibus educaui.* et apud Terent. Heaut. III. III. 29. *Tu pol istas comprimito manus.* Deinde Terentius in eodem versu,

de

Iſtam bibenti? Laniger contra timens,
Qui poſſum, quaeſo, facere, quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
10 Ante hos ſex menſes male, ait, dixiſti mihi.
Reſpondit agnus: equidem natus non eram.

Pater,

de eodem homine praeſente agens in Eunuch. IV. V. 56. vtroque pronomine vtitur, *Credes HVIC quod dicat.* P. *Quid ISTI credam?* Quare tales leges edicere de vſu harum vocum periculoſum eſt, nec licere puto, niſi quis eam arripuerit fiduciam, ſe omnia veterum loca, quibus tales voces occurrunt, excuſſiſſe, et hinc ſibi conſtiterit, perpetuo veteres haec diſcrimina obſervaſſe. Certe nos accedere tamdiu his emendationibus, ſine vlla codicum auctoritate, differemus, donec nobis ex perpetuo veterum vſu euidenter demonſtratum ſit, τὸ *iſte* numquam δεικτικῶς poſitum eſſe, et niſi hoc fiat, hoc quoque loco *iſtam* retinebimus, et τὸ *obſtans* auctori ſuo remittemus.

6 *Laniger*] Ita pro ariete etiam Ouid. VII. Met. 313. et in Catalectis Pithoei p. 168. Codices habent

Laniger aſtrorum ductor,.

vulgo *corniger*.

7 *Quod quereris*] Licet *querere* ſatisfaciat metro, ne tamen contumax videar, obtemperabo monitoribus, qui *quereris* praeferunt. non ideo quoque *quaeris* hic locum habere negem, quaſi non conueniret Lupo, ſed oppreſſo agno; atqui nondum oppreſſus erat, ſed blandis verbis calumniatorem, de iniuria querentem, mitigare ſtudebat. De conſtructione huius verbi egimus ad Petron. cap. XCI.

8 *A te decurrit*] Neſcio cur hic vir doctus, quod in Bentlejo toties culpat, *cum* requiri putet, quod minime neceſſarium, et ingratiſſimam in initio verſus facit eliſionem, duabus monoſyllabis in vnam coaleſcentibus.

9 *Repulſus*] De hoc verbo pluribus ad Ouid. I. Met. 759. egimus.

10 *Ante hos*] Proxime elapſos. Liuius XXVII. 11. *Decretum, vt C. Hoſtilius Praetor Ludos Apollinis, ſicut his annis voti factique erant, voueret faceretque.* Quinctil. VI. 3. *dies hi longiores ſunt.* vide ad Petron. cap. XXXVIII.

10 *Ante hos ſex menſes male, ait, dixiſti mihi*] Grande piaculum et morte luendum, quod Gudius, et qui magna conſpiratione eius tranſpoſitionem laudarunt, viri docti commiſerunt: ſed quod egregie vindicauit doctus Hoogſtratanus, qui ad hunc locum conſulendus. Saepe vero videas quosdam MSS. religionem ad inuidiam craſpare, vbi alius quis coniectura probabili, et non moleſta, medicinam affecto loco facit, ſed nulla veneratione codicum antiquorum moveri, vbi ridiculas et ineptas lectiones ipſi effingunt. ſed cur Gudianarum notarum cenſor Fab. III. 7. ſequitur auctoritatem Gudii in tranſponendis verbis?

11 *Equidem natus non eram*] Hoc argumentum inter probationes inexpugnabiles refert Quinctil.

Pater, hercule, tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat, iniusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
15 Qui fictis caussis innocentes opprimunt.

ctil. V. de Inst. Orat. 10. *respondit* vero non mouerem, non tantum ob caussas a viro docto allatas, sed et quia non video verba cetera esse praesentis temporis, nam et *intulit*, praecessit. sed *inquit* et *ait* dicet esse praesentis: sed cur non et praeteriti possint esse temporis, licet de τῷ *ait* quidam Grammatici dissentiant. certe Probus in Catholico pag. 1482. Edit. Putsch. *ai*, *aisti*, *ait*. et Alcuin. p. 2118. *et ait praeteritum perfectum*. quae ergo ista cetera praesentis temporis verba? nulla, nisi sequentia *lacerat*, *opprimunt*, vt sine dubio decebat.

12 *Pater, hercule*] Cl. Bentlejus *hercle tum tuus*. Anonymus, *At pater hercle tuus*, sine caussa vterque, cum omnia satis sibi constent, sine vllo additamento; nam sine dubio, hodie non maledicebat pater, sed ante natum agnum maledixerat, vt lupus, repulsus veritatis viribus, nunc obiicit innocenti agno.

13 *Lacerat, iniusta nece*] Cum Schefferus hic distinguendum esse voluerit post *lacerat*, quia *lacerare nece* dici non putabat, arrepta hinc corrigendi occasio Cl. Bentlejo fuit, vt legeret, *mactat iniusta nece*. Sed recte Vir doctus, id aeque insolenter dici notat. Hic vero corrigit, *lacerans iniuste necat*; superuacua certe cura: nam quis dubitaret Lupum *lacerasse* agnum, nec insecutam fuisse necem, nisi hoc adderetur. quare et in illa correctione *necat* superfluit. in Schefferi vero distinctione, sensus egregius et proposito fabulae conueniens. *lacerat* enim notat genus mortis, quo Lupi solent grassari, vt Ouidius Ep. XI. 112.

Natali dilacerate tuo.

et alii passim. deinde addit iudicium suum poëta, quo hanc necem iniustam pronuntiat. et hanc distinctionem secutus sum in secunda editione, quam in Schefferi editione quinta ipsa neglectam video, nec Hoogstratanus, Gronouius, nec alii exhibuerunt, qui videntur coniunctim posita verba satis Latina putasse. Nam licet ipsam illam locutionem *lacerare nece*, exemplis firmare non potuerint, an ideo damnanda? minime puto, cum proxime accedit, *accidit tristi nece* lib. II. fab. VI. 17. cur nec hoc mutatur? sed et ita Ouidius Epist. XIV. 12.

Vt qua non cecidit vir nece, nupta cadat.

Necem vero an pro *caede* explicare liceat, vt Vir doctus hunc locum ex lib. II. fab. 8. et vicissim illum ex hoc illustrat, nescio: Nam si liceret, eodem iure rogaret Schefferus et Bentlejus, exemplum, quo *lacerare caede* magis Latinum appareret, quam *lacerare nece*. Deinde ad lib. II. fab. 7. docuimus ex *caede* non semper mortem sequi, quia proprie dicitur de plagis et verberibus, quae inferuntur, cum hic agatur de laceratione morsu et dentibus peracta, et ita sine ictu, pulsatione, aut caede proprie sic dicta. et ita Festus docet *Occisum a necato distingui* a quibusdam, quod *alterum a caedendo, atque ictu fieri dicitur, alterum sine ictu*. *lacerat* ergo *nece*, rectius esset, quam *caede*.

(2) FAB. II.

Ranae Regem petentes.

Athenae cum florerent aequis legibus,
Procax libertas ciuitatem miscuit,
Frenumque soluit pristinum licentia.

Hinc

caede. Vnde et *neci datum* idem Festus obseruat *proprie dici, qui sine vulnere, vt veneno, aut fame interfectus est*, quamuis, vt obseruat Hoogstratanus, hoc neque Phaedrus, nec quisquam fere obseruauerit. Sed *necem* de omni genere mortis, etiam de naturali Ouidius, Iustinus et alii posuerunt. vid. post alios Vavass. de vsu et vi Verb. Latin. pag. 39. rarior est vero vsus huius vocis apud Vlpianum in leg. IV. ff. si quis omiss. causs. testam. *in necem legatariorum*, id est, vt nihil ex testamento capiant.

FAB. II.

1 *Aequis legibus*] Vide Gronov. Diatr. Stat. cap. XI. non tam Solonis, quam Thesei instituto, vt multis ex Plutarcho, Demosthene et aliis ostendit Meursius in Theseo cap. XVIII. qui ex Pausania ad Pisistrati tempora Δημοκρατίαν siue Ισηγορίαν mansisse probat. quamuis etiam Solon eam renouauerit. vnde Senec. Ep. XC. *Solon, qui Athenas aequo iure fundauit.*

3 *Licentia*] Scheffetus vltimo casu accipit, et ipse etiam olim ad Vellej. lib. II. cap. 28. ita explicabam, de quo nunc dubito: nam vt *procax libertas*, id est, qua abuterentur Attici, *miscuit* ciuitatem et aequalitatem illam turbauit, ita inde nata *licentia*; qua leges infringerentur, *soluit* pristinum illud frenum legum, quo continebantur olim. et hoc confirmat egregius locus Horatii IV. Od. 15. de Augusto

— — *tua Caesar aetas etc.*
— — — — *ordinem*
Rectum euaganti frena licentiae
Iniecit.

nam ibi etiam similis licentia Romanorum soluerat frenum, vt apud Athenienses: Seneca in alia re Epist. LXXIV. *licentia opes suas praecipitat atque vrget. Libertas* vero et *licentia* pro hominibus, qui procacirer abuterentur libertate, et licentia praecipites acti leges rumperent, capienda. et ita solet Phaedrus: inf. fab. XXII.

Quorum priuata seruit vtilitas sibi.

XXIII.

— *subita me iubet benignitas Vigilare.*

et ita centies noster. Cicero vero, Tacitus et alii *libertatem immodicam et licentiam* solent coniungere, vt vel Lexicographi docent. Sed et hic molestus quidam Criticus mallet, *vinclumque soluit*, quae locutio magis obuia et propria, et satisfaceret egregie proposito, et τῷ *miscuit* optime responderet, sed nos singularia sua Phaedro relinquimus, cum forte et alii, licet nobis iam non occurrant, ita locuti fuerint.

Hinc conſpiratis factionum partibus,
5 Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus;
Cum triſtem ſeruitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille; ſed quoniam graue
Omne inſuëtis onus, et coepiſſent queri;
Aeſopus talem tum fabellam retulit.
10 Ranae, vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere a Ioue,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret.

4 *Hinc*] Cl. Bentlejus, meam profeſſus editionem ſe ſemper, niſi moneat, ſequi, edidit *Hic;* quod eſt Heinſii, qui ita inuenerat in margine Pithoeani codicis. hoc monuiſſe oportuerat, ſed talia plura occurrunt.

4 *Conſpiratis*] Claudianus Bell. Gild. 313. vt in MSS. legitur.

Vos conſpiratis opibus iunctosque tuliſſent.

Ammian. Marcell. XV. 4. *omnes ſuos conſpiratis mentibus ciebant ad pugnam* XXI. 5. *in crebritate bellorum contra conſpiratas gentium copias conſideratus et cautus.* Tertul. de Spectac. cap. X. *Duo iſta daemonia conſpirata et coniurata inter ſe ſunt, ebrietatis et libidinis.*

8 *Omne inſuetis*] Ita correxit Heinſius, cum ante *omnino* legeretur, et inuenit omnes fere interpretes adhuc ſuffragatores haec emendatio, praeter Cl. Gronouium, qui Poëtica a Poëtis captari iubet: ſed ego eos puto magnum famae periculum adire, qui non Poëtae, in poëtas commentarios aut notas ſcribere audent. Neque tamen Poëticae licentiae haec eſt emendatio, ſed neceſſaria, cum aliter non conſtet ſenſus elegantiſſimo Phaedro. non enim erat *omnino* et ſine exceptione graue onus Tyrannis Piſiſtrati, ſed re ipſa leue, per eius clementiam et humanitatem. Sed libertati et aequalitati adſuetis, *omne onus,* etiam leue, videbatur graue: nec eſt haec generalis ſententia, vt in promythiis vel epimythiis poni ſolet, ſed rei Atticae, vt tunc erat, viua deſcriptio et narratio. *Inſuetis* enim non de omnibus hominibus, ſed de Athenienſibus ſolis hic capi debet.

10 *Liberis paludibus*] Dictum pro, *Ranae liberae vagantes paludibus*, vt lib I. XII. 8. XXIII. 7. et alibi. non vt Walchius, quod paludes eſſent liberae ab aliis animalibus aquatilibus, quales fingi vix poſſunt, cum vbi Ranae ſunt, etiam aliae aquatiles ſint. ſed Ranae liberae erant ſine rege, et procaces, vt Athenienſes ante Piſiſtratum, garruli et petulantes in vrbe quieta, et nulli obnoxia.

11 *Regem petiere a Ioue*] Marcil. ad Horat. I. Epiſt. 3. legit, *clamore magno regem a Ioue petiuerunt:* alii aliter, nos praetulimus, *Regem petiere a Ioue:* non *petierunt Iouem*, quia licet duplex accuſatiuus, ſalua Latini ſermonis elegantia, poſſet admitti, vt vidimus ad Ouid. VII. Met. 290. hic dubiam ſententiam facerent, quaſi ipſum Iouem ſibi regem voluiſſent habere. *ab Ioue* etiam Heinſium voluiſſe video. de quo ad Ouid. I. Faſt. 236.

12 *Vi compeſceret*] Rigaltius prima

Pater Deorum risit, atque illis dedit
Paruum tigillum; missum quod subito vadi
Motu

prima in editione, *vt compesceret*. Marcilius dicto loco, *mores tis compesceret*, quod vix capio, et forte malam manum sunt passae illae notae. *Vi* recte puto legi et a Scheffero explicari. Ita passim ICti *vim* pro potestate, auctoritate et imperio ponunt. vide Alciat. I. Parerg. 28. et Ian. a Costa ad Instit. de Tutel. §. I. ita *vis imperii summi* Ciceroni II. Verr. 5. est auctoritas: et Cap. 10. *quae vis erat in Volcatio tanta*. et millies alibi. ita *vim dominationis* Vellej. II. 68. dixit. vide Heins. ad lib. II. cap. 30. Librarios vero saepe hanc voculam permutasse cum *vt*, docet Gudius ad Fabul. XI. et ipse centies deprehendi: ita apud Ouid. XVII. Epist. 186. et VI. Metam. 690. pro *vi* quidam codices habent *vt*. apud Statium II. Achill. 361. pro *aspernatusque Tonantem est Vt generum*, Barthius et alii legunt *vi generum*. vide etiam ad Quinctil. X. 1. plura exempla alias dabimus. Hoc vero fraudi fuit Vlitio, idem hoc loco tentanti. hunc vero versum Rigaltius loco suo monit, et post vs. 22. inseruit, improbante Meursio, et aliis, laudante vero Barthio XLVII. Adv. 10. et in ipsa etiam editione sua ita collocante Hoogstratano. Ego mihi id non sumo, vt contra codices tale audeam, cum hic tueri locum suum summo iure possit. Nam *vagantes liberis paludibus*, indicat *ἀναρχίαν*, et dissolutos mores, quos vt compesceret, regem petunt. nec magis erant dissoluti mores post *Tignum* missum, quam antea, sed ideo petierunt alium, quia inutilis esset prior ad compescendos mores solutos. et ita duplici petitioni duplex ratio additur, cum traiectione illa admissa prioris legationis nulla Ioui caussa adferretur, quod Phaedri diligentiae non conuenit. Taceo, quod vir doctus ostendit, apud Anonymum et Romulum sedes suas his verbis dari.

14 *Paruum tigillum*] Romulus, *valde magnum truncum* dedisse scribit. sed Anonymus Nielantii *tigillum* quoque habet. Rimicius, *lignum magnum tigillum*. Serv. ad Virg. I. Georg. 178. vbi hanc etiam fabulam laudat, *breuissimum lignum* exhibet. vbi et *tignum* posset legi, nisi noster etiam mox *lignum* vocaret.

14 *Missum quod subito vadis*] Ita video in editionibus quibusdam legi, sed quis ille alter codex sit a Cl. Bentlejo laudatus nescio. Deinde Gebhardus lib. III. Crepund. 10. non legit cum Meursio *totum sonore*, vt narrat Schefferus, sed *motus sonore*, licet vitio operarum editum sit *sonoret*. Ioannes vero Clericus Biblioth. select. tom. XXIII. pag. 445. vt libidini maledicendi satisfaceret, et Hoogstratani nostri, quem a Brouckhusio laudari aegre semper tulit, laudibus obstreperet, et denique liuore et malignitate omnium Criticorum ingenia detrectaret, hunc quoque voluit locum tangere; sed cum nihil noui attulisset, Rhemensis codicis scripturam tantum probat. Heinsii coniecturam quod reiiciat facile ignosco: vitio enim operarum in prima mea editione legebatur, *vadi moto sonore*, pro *moti sonore*, vt deinde edi curaui. Nos secuti etiam Rhemensis codicis auctoritatem, non opus esse credimus, vt *τῷ missum* addatur *vadis*. quia hic ponitur. vt inf. lib. V. 7. *Aulaeum missum*, et centies *fulmina* et similia *missa*: licet non addatur *terris*,

15 Motu sonoque terruit pauidum genus.
Hoc mersum limo cum iaceret diutius,
Forte vna tacite profert e stagno caput,

Et

terris, vt in Horatii loco, vbi tamen alii controuersiam faciunt lectioni vulgatae. Deinde non vt *fulmina missa polo* dixit Ouid. IV. Fast. 834. pro ex polo, ita *terris* deberet capi; sed pro *in terras*. Cuius locutionis scio quidem exempla dari, sed Phaedro talia vsurpara fuisse deberet probari. Certe simpliciter *mittere fulmina* dixit Ouid. II. Trist. 33. vt et *iacere* L. ex Pont. II. 128. et *missum fulmen* III. Ep. 64. et ita idem Ouidius V. Met. 12. *mittere* absolute pro hastam iacere dixit. Vid. et fab. XXII. deinde dubito an *subito*, vt Vir nuper doctus, tamquam adverbium, hic capiam, et τῷ *missum* coniungam, an vero τῷ *motu*, vt sit nomen. sed parum interesse credo, non tamen, nisi aduerbium esset, quod ante *missum* debere poni video. inclino tamen, ob adducta a Gudio, magis in eam partem, vt *subito motu* sint coniunctim comprehendenda. Ita enim, licet in alia re, Ouid. II. Fast. 501.

Cum subito motu tremuere cacumina siluae.

nec dissimile illud lib. I. Met. 202.

Attonitum tantae subito terrore ruinae.

Ex Anonymo Nielantii hausisse iam apparet Richterum, quam prodit in specimine Animad. Critic. pag. 63. lectionem.

Missum quod subito leui Motu sonoque.

quam non contemnendam iudicat vir doctus; nisi quod in Anonymo legatur

Quod subito missum, leui etc.

Sane possemus ita explicare, vt *licet leuis esset motus, tamen pauidum genus terreret*. sed quia Iupiter est, qui mittit, nec ille leuiter solet ex coelo aliquid mittere, hoc natum puto a librario. Deinde si *leuis* motus fuisset, non addi opus fuisset *sonoque*, quod idem est ac *motu sonoro*, scilicet maximo, qui leuis esse non potest; quare nos scriptis inhaerendum propius hic censemus, praesertim si nullus inde absurdus, sed aeque commodus, si non commodior, sensus oriatur.

16 *Hoc mersum*] Hic aliqua veri specie liceret recipere Cl. Bentleji emendationem, quam mihi valde blandiri et arridere diffiteri nolo.

Immersae limo cum laterent diutius.

Nec rationes a doctissimo aduersario eius oppositae facile me demovent sententia. Sane, cum ipsi non contemnenda videretur lectio *leui motu*, non debuisset ille *mersum limo tigillum* praeferre *mersis ranis*; nam licet missum tigillum fingas satis vehementer, non tamen ita limo immersum latuit, vt non extra aquam a fundo remissum exstaret, et quod exploratum mox insilirent ranae. praeterea *adnatant* ranae, quod per limum, si eo mersum lignum iaceret, non facile foret, sed per aquam satis in superiore parte liquidam, factum credi debet. Fraudi fuit viris doctis quod lacum aut stagnum plane limosum et coenosum conceperint, cum nihil aliud notet, nisi stantem aquam, quae profluenti et viuo flumini opponitur. vid. inf. fab. VI. et quid notius? Liuius L. 4. *effusus lenibus stagnis amnis*, et ita millies alii: vnde Horat. III. Od. 27.

Stantes

Et explorato rege cunctas euocat.
Illae, timore posito, certatim adnatant,
20 Lignumque supra turba petulans insilit:
Quod cum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iouem,
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero

Corri-

Stantes paludes dixit: Quare vellem modo codicis auctoritate firmaretur Bentleji emendatio, statim commodiorem amplecterer in ea, quam in vulgata sensum. nunc quia et antiqua lectio satis intelligi potest, me contineo. nescio autem an Praschius sua illa transpositione vocum *limo et stagno*, dederit Cl. Bentlejo emendandi occasionem, nam certe in limo latere solent ranae; sed, hic e stagno, id est aqua, protulit caput vna illa rana, ceteris adhuc in limo latentibus. miror vero, cum hodie ita de laude scientiae metricae certetur, nihil nec hic nec inf. IV. fabul. de voce *diutius* notare viros doctos. nam in *diutinae* secunda produci solet, vt apparet ex Plauti multis locis et Terent. Phorm. V. IX. 23. apud quem semper, vt hic, *diutius* claudens versum iambicum secundam corripit. ratio vero longam exposceret, cum in *diu* vltimam numquam corripi sciam. confugit hic Wasius ad synaeresin Cap. IX. de Licentia veterum Poëtarum p. 113. sed quid faciet τῷ *diuturnus*, quod sine vlla synaeresi secundam correptam apud Ouidium et alios habet, quare haec ad solum vsum et consuetudinem esse exigenda censeam, nec Grammaticorum angustiis Poetarum spiritus esse coërcendos facile putem.

18 *Euocat*] Anonymus et Rimicius *aduocat*. sed male: ex latebris enim euocat vt fab. XI. *Asinum euocat*. Ouid. II. Fast. 821.

Grandaeuumque patrem fido cum coniuge castris
Euocat.

22 *Alium rogantes*] Quidam *rogantes* nominatiui casus capiunt, et *misere* absolute positum esse volunt. Sed miror iis accedere Cl. Bentlejum, cum certum sit, ita capienda haec esse, *misere* scilicet ranae, *rogantes*, scil. legatos, accusatiui casus: quare hic recte eius correctio reprehensa fuit. pari modo Iustin. lib. XXXI. 7. *legatos pacem petentes mittit*.

24 *Misit illis hydrum*] Caligulam innnui cum aliis interpretibus, immo Phaedrum post Caligulae imperium scripsisse credit Tristan. comment. T. II. pag. 303. neutrum mihi placet, primum ob rationes a Scheffero adductas, alterum quod recte vir doctus credat librum tertium post Sejani statim ruinam exaratum. Vid. ad Prolog. lib. III. vbi tamen ex silentio Senecae Tristanus posset sibi praesidium petere. Sed Tiberium qui tigillo adsimulari posse putet, et qui contumelia inquinari se a vili plebe sineret, nae ille ipse lignum et stipes esset. hinc vero sua sumsit Pierius Valerianus in carmine, quod in electione Hadriani VI. Papae composuit

Deum

25 Corripere coepit ſingulas; fruſtra necem
Fugitant inertes; vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem,
Adflictis vt ſuccurrat. Tunc contra Deus;
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum;
30 Malum perferte. Vos quoque, o ciues, ait,
Hoc ſuſtinete, maius ne veniat malum.

— Deum vis haec, Deum,
Deum abditum haec arbitrium eſt,
Vt, qui natantis deſpiciunt regnum trabis,
Parere diſcant viperae.

Hydrum vero recte Phaedrus inducit: hic enim maxime ranas appetit. vnde Aratus in Dioſem. vſ. 215.

Ἢ μᾶλλον δειλαὶ γενεαὶ, ὕδροισιν ὄνειαρ,
Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.

vbi Theon. Ὁ ὕδρος οὗτος εἶδός ἐστιν ὄφεως, ὃς τοὺς βατράχους σιτεῖται, ὡς ἔχομεν παρὰ Νικάνδρου. διὰ τοῦτο ὕδροις ὄνειαρ τὸ τῶν βατράχων γένος, αὐτοὺς γάρ σιτοῦνται. Nicandri locum innuit in Theriac. 416. vbi de Hydro ſiue Chelydro ait.

Ἀγρώσσων λειμῶσι μολουρίδας ἢ βατραχίδας.

25 *Singulas*] Non omnes, vt exponit Kittershuſius, ſed vt Faber et Schefferus, alias poſt alias: Vegetius Art. Veterin. I. 26. *Huiusmodi autem cura numquam niſi ſingulis pedibus adhiberi debet.* Iuſt. II. 12. *maiore labore ei ſingulas conſectandas.* Horat. III. Od. 11.

Quae velut nactae vitulos Leaenae
Singulos eheu! lacerant.

Ouid. I. Amor. V. *ſingula dum miror.* vide infr. ad Fab. XXXI. dictum vero hoc velut illud Flori I. 9. *proximis quibusque correptis.*

26 *Fugitant inertes*] *Inermes* mallet Gudius: vid. inf. Fab. XXXI. ſed rectius hic *inertes* dici puto, quia ignauiam earum tangit: vt ita paſſim *inertia* pecora dicuntur, vid. Philarg. ad Virg. IV. Georg. 25. et Serv. ad IV. Aeneid. 158. *Inertes* ergo, qui non audent reſiſtere regi, qui ſe non mouent; vt ita fortibus opponi docuit Muretus ad Cicer. I. in Catil. 2. ſaepe vero *inertes* et *inermes* a librariis confundi patet ex Heinſii notis ad Ouid. V. Met. 175.

26 *Vocem praecludit metus*] Ex Sophocle Antig. 511.

Εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλείσοι φόβος.

Senec. Oedip. 736.

Continet vocem timor.

29 *Ferre*] Senec. Thyeſte vſ. 307.

Leue eſt miſerias ferre, perferre graue.

31 *Ne veniat*] *Eueniat* emendabat Heinſius: ſed idem ad Ouid. Epiſt. IV. 113. docuit *venire* etiam mala, poenas et ſimilia eleganter dici. nulla ergo mutandi ratio, eſt vero *τῶν μέσων*: nam et bona, haereditates et ſimilia *venire* dicuntur. Ita Senec. II. de Benef. 27. *eo maiora cupientes, quo maiora venerunt.*

FAB.

(3) FAB. III.

* *Graculus superbus & pauo.*

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus superbia,

Pennas,

FAB. III.

* *Graculus*] Hanc fabulam Nicephorus Basilaces exhibet n. 3. ab Allatio in Excerptis variis Sophistarum editus, sed qui ambitione ductum Graculum, vt regnum obtineret in aves, se exornare fingit, &, cum creatus esset rex, demum fuisse spoliatum. Quod forte ex Pindaro possit firmari, qui Ode Nem. III. vs. 141. Aquilae, quae Rex avium habetur, sublime volanti, & praedam inde vnguibus corripienti opponit Graculum clamosum, & humilia depascentem:

Κραγέται δὲ Κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

vbi Scholiastes Pindarum, se per Aquilam, per Graculos aemulos sibi & praecipue Bacchylidem intelligere notat. quare & hanc fabulam Poëtis plagiariis accommodare licet. Simili etiam modo idem Pindarus Corvum garrulum opponit Aquilae, id est, notante Scholiaste, Bacchylidem vel Simonidem sibi Od. Olymp. II. 157.

1 *Ne libeat*] Elegans vsus & vis huius verbi, quo certus animi habitus indicatur, quo a consuetudine & natura quasi recedentes, aliquid facimus antea non soliti; quod Galli aliquando exprimunt per *faire de gayeté du coeur*. in Prolog. lib. II.

Sed si libuerit aliquid interponere.

id est, si impetum illum cepero. & ita Virgil. Eclog. II. 28.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas.

III. Georg. 436.

Nec dorso nemoris libeat iacuisse sub herbas.

Ouid. XIII. Met. 766.

Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam.

2 *Suoque potius*] Meursium emendantem, *suo quin*, sequitur Cl. Bentleius, quod displicet adversario, quia nullum exemplum profert talis verborum collocationis *suo quin*, quod leve; & quod denique *quin* cum verbo infinito construatur. sed posset repeti τὸ *libeat*. Emendatio vero illa nata, quia post *ne*, sequi debere videbatur *sed potius*. cuius vim an *quin* habeat nescio. saepe vero fallax illa emendandi ratio, quae nititur nostro arbitrio, non consuetudine veteri loquendi. quia vero post negativam particulam *nec* vel *non*, saepe *et* et *que* sequi deprehendimus, vt contra aliter sentientes ad Ouid III. Met. 492. probauimus, hic quoque post *ne* recte *que* posse sequi credimus: ne libeat gloriari alienis bonis, et potius libeat suo habitu degere. in quibus nulla cum sit difficultas, nulla etiam corrigendi caussa.

5 Pennas, pauoni quae deciderant, sustulit,
Seque exornauit: deinde contemnens suos
Formoso se pauonum immiscuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt aui,
Fugantque rostris. Male mulcatus Graculus
10 Redire moerens coepit ad proprium genus:
A quo repulsus tristem sustinuit notam.

Tum

5 *Pauoni*] Anonymus Nielantii, *Pauonum*, sed hoc sequitur.

6 *Seque exornauit*] Anonymus habet, *seque exinde ornauit*, vnde forte coniici posset Phaedrum scripsisse, *seque inde ornauit*. notum enim est illa aduerbia *hinc*, *inde* pro pronominibus poni. ita *inde* apud Ouid VI, Met. 650. VII. 515. et alios. Mallem tamen hic legere:

Seque exornauit: inde contemnens suos.

Inde pro *deinde*, vel pro *ideo*, quia iam ornatus melior & maior sibi videbatur, suos contemnere coepit. ita Ouid. II. Met. 152.

— *et inuito grates agit inde parenti.*

id est ideo, propter illas.

7 *Immiscuit se*] Marcilius ad Horat. I. Ep. 3. legit, *immiscet se*, quem sequitur Cl. Bentleius. Vir doctus Heinsii sequitur lectionem. Buchnerus *immiscuit* retinet, sed τὸ *se* delendum censet: nos Gudli lectionem recepimus. posset tamen et legi,

Se miscuit pauonum formoso gregi.

nam Anonymus habet *miscuit se p. f. g.* et Horat. I. Od. I. *me hederae Dis miscent superis*, quod laudat Hoogstratanus, & Ouid. XIII. Met. 866. *sic se tibi misceat.*

8 *Eripiunt*] Rimicius habet, *vi eripiunt*, sed hoc natum ex vltima syllaba τῦ *aui.*

9 *Fugantque*] *Figuntque* Heinsius cutis secundis ad Ouid. II. Amor. V. 24. atque ita Marcilius ad Horat. d. l. iam correxerat, sed non probo. agitur enim de sedibus nouis, in quas Graculus, suis desertis, irrepere volebat: primo igitur eripiunt pennas, et tunc nudum fugant. quae est illa contumelia, in fine memorata. deinde repulsus a suis, ad quos redire coeperat, alteram notam sustinet.

9 *Mulcatus*] Ita recte Heinsius. vide de hoc verbo Gronov. ad Liuii lib. XXVIII. 30. et Graev. ad Sueton. Caes. XVII. reddendum id etiam Valerio Max. I. IV. 6. vbi de Aquila, *ea quae a patre fuerat, male mulcata fugit.* vulgo, *multata.*

11 *Repulsus*] Nec hic facile emendantibus accedo; nam et Anonymus *repulsus* habet. nec verum puto, *notam* minus recte absolute poni: certe Propert. I. XVIII.

Nunc in amore tuo cogor habere notam.

id est, infamiam, notam turpitudinis, vt ex Cicerone vir doctus producit: et de Propertio Ouid. II. Trist. 466.

Districtus minima nec tamen ille nota.

Ouid. VI. Fast. 609.

— *dictus Sceleratus ab illa*

Vicus, et aeterna res ea pressa nota.

insolentior vero videri potest locutio, *sustinuit notam*; nam alio paullum

Tum quidam ex illis, quos prius despexerat,
Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et, quod natura dederat, voluisses pati,
15 Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

paullum sensu dixit *sustinere iocos* lib. III. 8. et varie vtitur Phaedrus hoc verbo *sustinere*, vt saepe notabimus. Sed puto hic poni, vt *sustinere caussam*, *crimen* et similia, quod Graeci αἰτίαν ὑπέχειν dicunt, vt ex Budaeo init. Comment. ad Ciceronis lib. XIII. ad Att. Ep. 10. docent commentarii. et vt αἰτίαν ἔχειν, ita Latinos etiam dicere *crimen habere*, vt docui ad Ouid. III. Art. 454. & quod Propertius dixit *notam habere*, & noster, magis ad forensem Graecorem morem, *sustinere* dixit.

13 *Contentus sedibus*] Nihil hic mutandum puto. vt enim supra dixit, *redire coepit ad proprium genus*, de auibus, vt de hominum genere loquens, ita hic illis dat etiam *sedes*. Horat. I. Od. 2.

Nota quae sedes fuerat columbis.

Senec. Herc. Oet. 1632.

—— —— —— sedibus pulsae suis
Volucres pererrant nemore succiso diem,
Quaeruntque lassis garrulae pinnis domos.

Ita enim recte constituerunt hos versus viri doctissimi. de Piscibus quoque Ouid. Halieut. 92.

Descripsit sedes varie natura profundi.

Virgilius, imitatus Lucretium, eadem ratione dixit, II. Georg. vs. 209. *Antiquas domos auium*. Et ipse Phaedrus infr. Fab. 80. formicae receptaculum vocat *copiosam domum*, et testudinis fab. 37. *corneam domum*. sic pro nido *domum* posuit Valer. Flac. IV. 48. et Statius IX. Theb. 36. Et ne solos Poëtas citem, Cicer. II. de Nat Deor. 48. *naturalem domum aquam anatibus datam* scribit. Quae omnia etiam apud Graecos frequenter occurrunt, vt δῶμα σφήκων, *Vesparum domus* Lycophr. et Homer. Iliad. ✱. 261. Vespis οἰκία tribuit. et in Anthologi. I. 20. Rami arborum οἰκία τεττίγων dicuntur. sed de illis, vbique obviis, plura collegerunt Pricaeus ad Lucae Euang. XIII. 19. Salmas. ad Tertul. Pall. p. 223. Gataker. Aduers. II. 17. et Ampl. Cuperus III. Obseru. 18. et ita *statio* infra fab. XXX.

14 *Voluisses*] Non probo Heinsii *potuisses*. superbiae enim voluntariae dat poenas. & elegantiam illo verbo *velle* videbimus infra ad fab. XXIX. est ergo idem quod passus fuisses aequo animo. & ita nec III. fab. VI. pro *vis* reponendum *quis*.

FAB.

(4) FAB. IV.

Canis per fluuium carnem ferens.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.
Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:
Aliamque praedam ab alio ferri putans,

Eripere

FAB. IV.

2 *Dum ferret*] *Cum* Schefferus, quod non reiicio. vid ad lib. III. fab. 10. et ita Anonymus. qui non natantem inducit, sed super fluuium ferentem carnem.

3 *Lympharum in speculo*] Anonymus, *Nympharum speculo vidit*, et saepe *Nymphas* et *Lymphas* commutarunt librarii. vid. Heins. ad Ouid. Epist. 31. et ita apud Germanic. in Arat. V. 151.

Hinc Nymphae tenues, tunc est tristissima tellus.

vt in MSS. legi Grotius testatur. Similiter Salmacis apud eumdem Ouidium IV, Met. 312.

Et quid se deceat spectatas consulit vndas.

et apud Virgil. Ecl. III. 25. Corydon.

— nuper me in litore vidi,

Cum placidum ventis staret mare.

male vero τὸ *in* omittit Anonymus, vt et quidam codices omittunt apud Horat. IV. Od. 10.

Quoties te in speculo videris alterum.

et Ouid. XV. Met. 232.

Flet quoque, vt in speculo rugas adspexit aniles.

vbi et in *speculum* quidam codices. et IX. Ep. 118.

Vidit et in speculo coniugis arma sui

In *speculum inspicere* dixit Plaut. Amphit. I. 1. 286. et Terent. Adel. III. 4.

4 *Aliamque praedam ab alio*] Laborare versum constat, deficiente syllaba. Marcil. ad Horat. I. Ep. 3. legit *ferri deputans*. *Danetus* secutus editionem Meursianam exhibet,

Aliamque praedam ab alio perferri putans.

Non male; cum constet ratio metri, quam corrumpit tamen, dum licet *perferri* legatur, *m* elidi non velit. quare merito insignem rei metricae peritiam in eo miratur Hoogstratanus. Cl. Bentleius

Aliamque praedam ab alio cane ferri putans.

quam non modo eius aduersarius probat coniecturam, sed sibi furto sublatam indignatur. quam controuersiam ego non diiudico, quum facile vnicuique talis emendatio in mentem potuerit venire, qui commentatores in Phaedrum, etiam plebeios, inspexerit, qui *ab alio* interpretantur, *ab alio cane*. Sed miror neminem, nisi Doctissimum Cuninghamum, facilem ex Anonymo medicinam arripuisse, qui, *alteramque praedam ab altero ferri*

 putans

5 Eripere voluit: verum decepta auiditas
Et, quem tenebat ore, demisit cibum,
Nec, quem petebat, adeo potuit adtingere.

putans, exhibet, vnde facile est facere,

Aliamque praedam ab altero ferri putans.

vnicum, quod mouet scrupulum, est, an *alio* praecedente recte *alter* sequatur, cum soleat plerumque *alius* geminari, et ita etiam *alter*. quamuis non dubitem se non semper his vinculis adstrinxisse scriptores. certe *alius* saepe pro *altero*, et vicissim *alter* pro quouis *alio* occurrit. vid. Cl. Graev. ad Cicer. pro Quinct. cap. 5. et Broukh. ad Tibull. IV. 1. 18. vbi ex Seuero Endeleicho habet locum vbi *alteri* et *alii* sibi opponuntur. et promiscue auctores vti his vocibus apparet. sic Ouid. I. Met. 293.

Occupat hic collem, cymba sedet alter adunca.

et idem in Nuce vs. 103.

Aestibus hic, alius spoliatam frigore credit.

vt legendum docui. illa vero emendatio, *ab alio cane* ad quam viam quoque ostendit Heinsius, qui *ab alio se*, vel, *alio ac se* legebat, et explicabat *ab alio cane*, non displiceret, si necessario *canis* repeti deberet: quare nihil superest, nisi vt, seruata veteri lectione, confugiamus ad *m* non elidendum. quod multis exemplis probant viri docti. vid. Broukh. ad Tibull. I. 5. v. 133. & his acquiescam, donec meliora docear.

6 *Demisit*] *Dimisit* edidit Cl. Bentleius cum in mea *demisit* editione legatur. perpetua vero in his verbis est et in scriptis et editis confusio. *demittere* potest ideo probari, quia est mittere aliquid in inferiorem locum, deorsum mittere, vt *demissus funis* Virg. II. Aeneid. *demissa pallia*. Ouid. III. Amor. II. 25. vbi eadem varietas vid. ad I. Met. 261. *dimittere* vero potest aeque admitti, pro emittere, omittere, de re quam tenemus, et elabi sinimus, vt lib. V. X. *Praedam dimisit*. et Ouid. VI. Fast. 705. *Et modo dimittit digitis*. ita vt hic altercari non lubeat, et quamcumque lectionem quis tueri velit habeat, quo defendat. vt et notaui ad Val. Fl. lib. V. 692.

7 *Nec quem petebat adeo potuit attingere*] Varie succurrunt laboranti versui. quidam *potuit*, alii *adeo* in duas syllabas contrahunt, alii transponunt *potuit adeo*, alii legunt *tangere*. Heinsius adscripserat margini *e vado*, sed postea, vt videtur, meliora doctus nihil mutandum subiecerat. ego relinquendum censui, vt in scriptis & editis adhuc est lectus, locum, vt multa corrupta praestat exhiberi, quam incertis coniecturis interpolata. elegantissimus vero hic vsus istius particulae *adeo*, quae significat canem non tantum cibum, quem tenebat ore, non obtinuisse, sed et multo minus aliam praedam potuisse attingere. vt apud Tacit. III. Ann. 34. *Pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent*. id est multo minus socios. et lib. VI. 15. *ne tecta quidem vrbis, adeo publicum consilium, nunquam adiit*.

FAB.

(5) FAB. V.

Vacca et Capella, Ouis et Leo.

Numquam est fidelis cum potente societas:
Testatur haec fabella propositum meum.
Vacca et Capella, et patiens Ouis iniuriae,
Socii fuere cum Leone in saltibus.

FAB. V.

1 *Potente*] Vir doctus malit *potenti*, ne tot syllabae breues concurrant. Sed hac specie multa mutari possent in Phaedro. et saepe tribrachys, pes frequentissimus, eiici, sic fab. seq. vs. 8. *que miseras arida* tribrachyn faciunt. vt et I. XII. 6. *que nimiam tenuitatem.* fab. IX. 13. occurrit iambus cum duplici tribrachy *videtur opera tibi*, et quae plura possent, sed non sine taedio, adduci. in his vero, vbi duplex flexio datur nominibus, consulendas sine dubio aures puto, et ideo hic *potente* mihi blandius accidit ad aures, quam *potenti*. Nam in tribrachy *te soci* tres diversae vocales, in *ti soci* bis *i* occurrit. et ita recte reprehendi Bentleium puto inf. fab. XXX. qui pro *caput ita*, vbi tres vocales variant, reponit *ita caput*. vbi *a* iteratur ingrato sono. contra vero apud Ouidium I. Met. 671. *virgamque potenti* praefero, cum ne duae voces in *e* exeant, tum quia vltima versus syllaba longa debeat esse, ita vt si natura sit breuis, propter locum, quem occupat, producatur. Sic I. Met. 53. *onerosior igni* praestat *τῷ igne*. infra lib. IV. VIII. 4. pro *altiore* etiam Heinsius, *altiori* profert. non ego.

2 *Propositum*] Familiaris est vox etiam Ouidio, sic III. Fast. 544.

Fabula proposito nulla tacenda meo.

Et lib. I. 296. vt in multis scriptis.

Propositi pars sit et illa mei.

vid. ad II. Met. 104.

3 *Patiens iniuriae*] Sic Senec. I. de Clement. 14. nisi *magnae et multae iniuriae patientiam euicerint.*

4 *Socii fuere*] Non placent haec Heinsio. forte offendit illum *in saltibus*, quia *socii in saltibus fuere* non eleganter dici videtur. sed *fuere in saltibus*, est idem ac si dixisset, socii, id est, qui societatem inierant, fuere in saltibus, pro venere, abiere. Rimicius corrupte exhibet, *cum in saltibus silvis* venissent, vbi *siluis* est expositio praecedentis vocis. Anon. Nielan. *obuiam fuerunt cum Leone in saltibus.* sed societas inita non patitur, vt forte quadam & casu obvii sibi fuisse fingantur. *esse* vero eleganter pro venire saepe dicitur. vt passim, *obuius esse alicui* occurrit. Ita in *conspectu*, vel *conspectum fuisse* Suetonio restituit Casaubonus Aug. XVI. et Curtio VI. 5. Modius, qui et in *Ciliciam fore*, pro venturum esse dixit lib. III. 15. vid. ad lib. V. fab. 1. Ordo vero est vacca etc. cum Leone fuere socii in saltibus. Societas vero haec fingitur more venatorum, qui ad feras capiendas societatem, pacto etiam de praeda diuidenda inito, contrahebant. ita Claudian. I. de Laud. Stilich. 34.

Si quando sociis tecum venatibus ibant.

et ta-

5 Hi quum cepiſſent ceruum vaſti corporis,
Sic eſt locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo;

Secun-

et talis ſociorum venatio apud Arrian. de venat. cap. XX. et illa omnibus poëtis decantata Meleagri: et hos eſſe, qui ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι in leg. IV. ff. de Colleg. et Corp. dicuntur, pace virorum doctorum, quos haec lex exercuit, puto: ita etiam Diogen. Laërt. Lib. VI. 33. συνεξιέναι ἐπὶ τὴν θήραν, quod repetit cap. 55. Fraudi fuit omnibus viris doctis, qui plures hanc legem vexarunt, et inter eos, qui de ſocietate militum in praedam exeuntium, vel nautarum piraticam exercentium cepere, vt Germ. Valent. ad Virg. III. Aen. 223. intelligi putat, quod *praedam* et λείαν tantum de bellica praeda, non de venatica intellexerint, vide ad lib. II. fab. I. ſi tamen de ea Lex illa capi debeat, placeret prae omnibus expoſitio Laur. Gronouii ad Baſin marmor. T. VII. Antiq. Graec. p. 470. qui de ſocietate mercatorum, de praeda emenda inita, cepit.

5 *Hi cum*] Si quid mutandum, facile reuocata litera *c* ex τῷ *cum*, *hic* poſſet fingi, ſed aſperior illa literae *c* geminatio facit, vt vulgatae lectioni acquieſcam, niſi legamus *quum*, vt praeſtat: ſed vulgatam firmat Anonymus.

6 *Partibus factis*] Vid. Gronou. Diatr. Stat. c. XIII.

7 [*Ego primam tollo, nominor quia Leo*] Vexatiſſimus locus, et ſpecioſa ſane ſunt, quae profert Gudius, quibus adſtruat ſuam emendationem, *nominor quia Creon.* ſed licet Hoogſtratano et Broukhuſio etiam placuerit haec, iactara multis ſermonibus, correctio, non tamen puto facile eſſe recipiendam; et data opera ſingulas eius rationes docte & egregie excuſſit Cl. Wolfius. Ego breuiter meam ſententiam aperiam. *Creon*, ſi idem notare poſſit, vt vult Gudius, quod *Rex*, pariter frigida et languida eſſet ratio, ſiue dicas, *nominor quia Leo*, ſiue *Creon.* ſi vero proprii vicem nominis fungatur, inſolens certe, nomen hominis tribuere animali, ideo, quia, vt *Creon* ſic dictus fuerit abſolute poſt regnum acceptum, licet antea habuerit aliud nomen, ita quoque Leones (non hunc vel illum, ſed omne genus Leonum) *Creontes* vocare. Cuius rei an exemplum alibi exſtet, vehementer dubito. nam eodem iure tunc *vulpem* liceret *Ulixem* vocare, et ita porro. Praeterea eadem difficultas in vltimae ſyllabae *quia* modo manet. niſi illam produci propter ſequentes duas literas *Cr* dicamus, quod aeque procedere, atque ante *Leo*, puto. Contrahi vero poſſe in vnam ſyllabam *quia*, licet apud Terent. Maur. notauerit Barth. lib. XV. Adv. 2. non facile perſuadebitur rei metricae peritis. nec tranſpoſitio, qua Cl. Heumannus, teſte Richtero, putat ſubueniri verſui, *Ego primam tollo, quia nominor Leo*, placet, quia, ſi vltima in *ego* producatur, tres primae voces abſoluent pedes ſingulos, et ſine vlla caeſura verſum inficerent, et cuius in Phaedro neſcio an vllum exemplum exſtet, nobis exhibebunt. Deinde an vltimam in *ego* producere liceat, dubium eſt, certe meliores poëtae corripuerunt, vt et noſter Phaedrus. Vid. ad Ouid. epiſt. XIII. 135. Quare cum et Anonymus habeat *nominor quia Leo*, et tres priores

res

Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;

res caussae, quas Leo vt praeferatur adducit, reuera sint ineptae, iniustae & imaginariae, et ad vnam violentiae et roboris facile possint referri, ideoque Phaedrus ex persona Leonis, qui non pondere, sed numero argumentorum volebat videri vincere, ταυτολογῶν dedita opera sit credendus, ego vulgatam lectionem hactenus retineo; nam *quia sum Leo*, *quia sum fortis*, *quia plus valeo*, vnum idemque argumentum non a iure, sed a vi & potentia desumtum efficiunt. quia tamen versus laborat, vt ei succurratur ex Anonymo vna modo mutata litera posset legi:

Ego primam tollo partem, quia dominor Leo.

et haec certe mollior est medicina, quam Cl. Benrleii, qui scabra elisione et sono, et intrusis duabus voculis, *hoc* et *sum*, edit: *nomine hoc, quia sum Leo*, qui vel ex mea nota poterat colligere, τὸ *nominor* suspectum fuisse mihi: Medicinam autem, quam fecit Richterus in specimine Animaduersionum, et deinde vt suam prodidit etiam vir eruditus, *quoniam nominor Leo*, talis est, vt simili modo omnia affecta loca facile possimus sanare. *Dominor* vero illustrari posset ex lib. IV. fab. 12. & huic fabulae, quae eum vt Tyrannum et dominatorem inducit, est accommodatissima. Vnde etiam *dominum et regem nemorum*, Leonem vocat Martial. I. Epig. 61. Quod vero offendere possit τὸ *dominor* ita absolute positum, nihil est. ita et Cicer. IV. Acad. 14. dixit *Solem dominari*, et de Nat. Deor. 153. *Quinque eos, qui in vagis stellis dominantur*. praeterea si absolute *libido dominari*, vt Cicero saepius, *iniuria*, vt Valer. Max. IV. 3. 1. et alia passim dicantur, cur non Leo, Rex ferarum, superbe possit dicere, *quia dominor*, in vos scilicet et omnia animalia: sed adferamus exempla ex paucis multa. L. XVII. C. de Judaeis et Coelic. *Judaeorum primates, qui in vtriusque Palaestinae Synedriis dominantur*, vbi notandum est in L. XXIX. Codicis Theod. eod. tit. legi *nominantur*, quod contra Cunaeum defendit Gothofredus, de quo hic non disceptamus, sed ostendit facilem eius verbi permutationem. *dominari inter alios*, *in aliis* et similia obuia sunt etiam in Lexicis; et proprie de illis dicitur, qui excellunt potentia inter suos. vt ita *dominari inter Nymphas*. Ouid. III. Amor. VI. 63. sic vt Jupiter in coelo dominatur, agrestes Dei in montibus *dominari* se iactant apud Ouid. III. Met. 315. si quid adhuc scrupuli superfit, certe melius eum eximet altera Gudii lectio, quam longe praefero τῷ *Creonti, nominor Rex quia Leo*. et ita respexisse posset ad illa Horatii II. Sat. III. vs. 187. vbi fingit ita aliquem cum Agamemnone, vel sub eius persona, cum impotenti disceptantem, et ita rogantem.

Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?

respondet Agamemnon,

Rex sum.

& simili colore Ouid. de Remed. Amor. 881. vt obseruat. Cl. Bentleius,

Nam, si Rex ego sum etc.

Dum Commentarium hunc remissiore cura, et festinantius elaboro, excidit mihi ad hunc vexatissimum a Criticis versum lectori lepidum et acutum *Clerici* acumen commendare, quo sibi

Tum quia plus valeo, me ſequitur tertia;

Malo

ſibi ita placuit et iactauit, vt bis orbi literato obtruſerit, et in Biblioth. Select. Tom. IV. pag. 258. et, quia tam ſuauia bellaria, vt reliquiae ex heſterna coena, bis adponi merentur, iterum cap. IV. Siluarum Philologicarum, libro, ſi quis vnquam ab eo exiit, futili et miſerabili. Hic, vt Philoſophorum mos eſt ſomnia ſua ex hypotheſi fingere, primo inauditum Literatoribus παράδοξον obtrudit. *Latinos*, ſcilicet, *ſcriptores non tantum ſententias et ipſos loquendi modos e Graecis deſumſiſſe, ſed etiam ad Graecorum linguam occultius aut apertius adluſiſſe.* Hoc ſibi ſumens ſine dubio debuiſſet, ſi fidem tam nouo effato voluiſſet facere, apertis et extra controuerſiam poſitis exemplis oſtendere, et ita ſibi viam munire, ad Phaedri locum corrigendum. Sed nihil horum: ne vnico quidem adducto exemplo, illud, quod eſt ἐν ὑποθέσει, probare conatur dubio et controuerſo loco Phaedri. Fingit praeterea nouam et nemini vmquam, quod ſciam, traditam vocis *Leo* etymologiam, quaſi a λεία ſiue *λεία praeda*, deducta fuit, hanc addens Dictatoribus propriam rationem, quia *malit* hoc, quam cum reliquis a λάω deducere. Species vero additur, quia Leo praedas agit, et greges infeſtare ſolet. Sed an ſolus, immo an praeter alias feras, Leo praedas agere umquam ita dictus, vt inde nomen ipſi ſit impoſitum? immo vero hac dote eum longe ſuperabit Lupus, qui non modo a Poëtis et a noſtro Phaedro I. Fab. I. ideo latro, et paſſim dicitur, ſed ex quorundam ſententia etiam *praedator* Lib. II. Fab. I. vbi et Leo ſimul agit partes ſuas, nec tamen eo titulo honeſtatur. Denique quam putidae operae eſſet cumulare loca, vbi de Lupo dicitur *praedari*, *praedas agere*, *oues* et *gregem vaſtare* et *infeſtare?* nec tamen nomen ſuum *Lupus* a λεία habet. Quare haec vaniſſima & puerilia ſunt Philoſophicae leuitatis documenta. Aſſumta tamen hac ὑποθέσει iactat Phaedrum (qui, licet in ipſa pene Schola ſe natum iactet, tamen haec ignorauit) in illo verſu

Ego primam tollo, nominor quia Leo.

reſpexiſſe originem nominis, et hoc velle, ego *Leo*, quia apud Graecos nomen traho a λεία, quae Latinis *praeda* dicitur, primam partem *praedae* tollo. Sed quia verſus in hac etiam explicatione laborat, ſuccurrit ei legendo, *quod nominer Leo.* Vellem ad digitos exegiſſet, ſi callet, pedes; forte, vidiſſet ſe in idem incurriſſe vitium, in quod *Richterus*, et tres voces primas, nudas ſine caeſura, ita metiri, vt tres faciant pedes, quod deteſtabile et monſtruoſum eſt in verſibus, et numquam Phaedro vſurpatum. prius ergo leges diſcat carminum ὁ σοφὸς, et ita ad Poëtas accedat. Sed ſi hoc commentum de origine vocis *Leo* placet, liceret credo Belgae Poëtae Fabulas Aeſopias fingenti, et in ſimili caſu, inducenti Bouem, in diuiſione ipſi haec verba tribuere,

Ik neme de benen (Latinis *oſſa*) vel, *de mont* (os) *om dat ik os ben genaemt.*

hoc aeque ingenioſum foret, iudice *Clerico*, ac ſi Latine loquens *Leo*, diceret ego primam *praedae* partem tollo, qui nominor *Leo*, a Graeca voce λεία. Admiremur illam εὐστοχίαν Criticam, quae nulli olim, niſi *Scaligero* et *Fabro*, nunc ſingulari munere Dei magno *Clerico* contigit. Sed quam non ridiculos homines Logica talis facit?

9 *Plus valeo*] Hoc quaſi diuerſum eſſet a *fortis*, Leo iactat. nam *fortis*

10 Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic. totam praedam sola improbitas abstulit.

B 4 FAB.

fortis posset capi de velocitate, qua adsequi potest feras, vt videbimus infr. lib. V. fab. 10. *plus valeo* vero de robore corporis & viribus, quibus comprehendit et deiicit feras. ita Senec. Ep. LXXVI. de illis, quae communia sunt homini cum animalibus. *Valet? et Leones: formosus est? et Pauones: velox est? et Equi.* et ita *valentes* Cic. pro Milon. 20. et alibi, qui robore corporis excellunt. Male Gallicus interpres *a cause de mon courage.* ita aliqua specie *fortis* posset verti, quia et hoc de animo dicitur: sed *quia plus valeo* hunc sensum non recipit. de robore corporis nos capiendum putamus.

9 *Me sequetur*] Vis verbi est, vt facilitatem sine magno labore et molestia notet. vobis non multum repugnantibus tertiam partem mihi vindicabo. Ita saepe Quinctilianus. vt lib. IV. 6. *refert autem in quantum dictus tropus auctorem sequatur.* et alibi. vid. ad Lib. II. 14. Sallust. fragm. lib. I. Hist. *vbi malos praemia sequuntur, haud quisquam gratuito bonus est.* Vellej. Pater. I. 2. *Codrum aeterna gloria, Athenienses secuta victoria est.* et latius de hoc genere loquendi agentem vide Barthium lib. LII. Adverf. 16.

10 *Malo adficietur*] Gudius dubitans, an *malo adfici* Latine dicatur, *adfligetur* rescribi iubet, quem Hoogstratanus secutus, in ipsum textum Phaedri coniecturam incertissimam recepit: nollem factum: vindicauit enim egregie Gronouius ad Senec. de Ira. I. Cap. 16. ad quem remittit etiam, indicium meum secutus, Aduersarius Cl. Bentleii, et indignatur, viri summi auctoritatem neglexisse illum, cum debuisset refutare, et ita viam munire ad nouam emendationem: *male accipietur*, quod non est Phaedrum emendare, sed ita nos malle loqui, quam quo olim modo voluit Phaedrus, declarare. Quid vero magis obuium apud Ciceronem et alios, quam *affici calamitate, morte, ignominia, exilio etc.* quorum exempla Nizolius suppeditabit. *affici vulneribus, clade* et similibus Cl. Graeuius, et plena copia illustrauit Celeberr. Dukerus ad Flor. II. 18. Terentius Phorm. II. 4. *Quanta me cura atque sollicitudine adficit gnatus.* Cicer. pro Quinct. 11. *Difficultatibus adfectus atque adflictus.* quod ostendit aliquod discriminis inter haec verba intercedere. *Adflictum malo* quidem dicit Fabius lib. VI. De Inst. Orat. prooemio; sed longe alio sensu, atque hic. si vero *malum* non modo apud comicos millies, sed alios et ipsum Phaedrum pro damno, calamitate, clade er poena sumatur, vt *malum dare* lib. I. fab. 16. *malum concinnare* II. 5. etc. quae, cauillatio, quaeso, est, si *damno, clade poena adfici* Latinissime dicatur, negare *malo adfici* recte dici? atqui Cicero II. de Off. cap. 5. *tanta poena adficiamus, quantam aequitas humanitasque patitur.* sed tem, puto, conficiet locus Senecae, vbi *malum* et *poena* coniunguntur. libro de Const. sapient. cap. XII. *aliquando illos tamquam pueros malo poenaque admonet et adficit.* Apulej. Apolog. p. 69. Ed. Pric. *Volui et Aemilianum damno affici:* vbi Pricaeus ex Glossis profert, *Affici damno,* ζημιοῦσθαι haec si nondum sufficiant, aeterno per omnia Lexica et indices quaerendi labore conficiendos trado, donec tandem *adfici malo*, eodem, quo Phaedrus, sensu reperiant.

11 *Improbitas abstulit*] Cum toties Phaedrus similibus locutionibus

(6) F A B. VI.

Ranae ad Solem.

Vicini Furis celebres vidit nuptias
Aesopus, et continuo narrare incipit:

Vxo-

bus delectetur, vt omnes agnoscant, qualis habenda Meursii sit prurigo emendandi, *solus improbiter abstulit*, ex Fabri notis discere est. sed nihil mutandum docet imitatio aperta auctoris Queroli p. 26. *omnes fructus paucorum, improbitas capit.*

F A B. VI.

1 *Vicini Furis celebres etc.*] recte Vir doctus Cl. Bentleio hic non accedit, *vt*, et *sic* seq. versui infarcienti: nam Phaedri concinus narrandi mos has particulas non admittit. non enim caementum et vinculum orationis, vt fab. seq. ait, illud *vt* est, quod elegantius saepe abest, quam intrusum elisione scabrum et insuauem versum facit. Denique Phaedrus non semper amat eodem modo loqui: nam particulam addit infra fab. XXI. 8. *asinus vt vidit.* et III. 16. *noctua vt vidit.* et VI. 17. *vultum vt viderunt Jouis.* Omittit vero fab. XIII. *hunc vidit vulpes, deinde sic coepit loqui.* et XX. *viderunt canes; coepere bibere.* et ita saepe. nec Phaedro soli placet illud *vt* omittere, et sequentia connectere per *et*, sed aliis. Ouid. II. Met. 32.

Sol oculis iuuenem, quibus adspicit omnia, vidit,
Quaeque viae tibi caussa? quid hac, ait, arce petisti.

hic quoque lege, *Sol oculis iuuenem vt, q. a. o. vidit*, et *sic ait*, *quae caussa viae*, et vide an caementum illud structuram carminis concinniorem faciat. Lib. III. 327.

—— —— octano rursus eosdem
Vidit, et, est vestrae si tanta potentia plagae
Dixit.

vbi ergo legemus, *octano vt rursus eosdem vidit.* lib. V. 278.

—— —— vidit euntes,
Nostraque fallaci veneratus numina cultu
Mnemonides (cognorat enim) consistite, dixit.

fatemur centies apud Ouidium occurrere, *vt vidit*, sed semper apte, nec insuauiter elisa vocula. Nec se ille adstringit certae formulae. sic cum lib. III. Met. 370. dixisset. *vbi vidit, et incaluit*, addit *sequitur* etc. Fast. lib. II. 307.

Vidit et incaluit, et *dixit.*

non *vt*, vel *vbi vidit.* Idem Fast. V. 71.

Romulus hoc vidit, selectaque pectora, patres
Dixit.

vbi legendum etiam esset, *Romulus vt vidit.* Amor. III. El. VI. 51.

Hanc amnis rapidis animosus vidit ab vndis.

et mox sequitur:

Atque ita, inquit.

neque etiam sequenti fabula; *viderat* requirit *vt*. nam et ita Ouid. I. Met. 455.

Viderat adducto flectentem cornua neruo;
Quidque tibi, lasciue puer, cum fortibus armis
Dixerat.

lib. XIV.

Vxorem quondam Solem velle ducere,
Clamorem Ranae sustulere ad sidera.
5 Conuicio permotus quaerit Jupiter
Caussam quaerelae; quaedam tum stagni incola;
Nunc, inquit, omnes vnus exurit lacus,

 Cogit-

lib. XIV. 698.

Viderat a veteris generosam sanguine Teucri
Iphis Anaxareten, humili de stirpe creatus.
Viderat, et totis perceperat ossibus aestum.

sed, vt videat lector diuersa Criticorum ingenia, Nic. Heinsio minime placuisse illud, *vt*, si elisum redderat insuauem versum, appatet ex III. Art. Amat. 155. vbi editiones aliae, *sic capta vt vidit in vrbe:* ille edi iussit, *sic capta vidit vt vrbe*, cum maxima pars Codicum eiiciant *vt*, et exhibeant, *sic capta vidit in vrbe*, sed tunc non sequente, *et*, male cohaerenti orationi debet *vt* caementi vice iniungi. vide ad quam minuta descendere cogamur, sed semel haec molestia devoranda fuit, vt Phaedro nitorem suum conseruemus. nam infinitis locis illud suum *vt*, et, vbi nullus illi locus est, *quum* intrudere voluit vir celeberrimus.

1 *Celebres*] Recte castigata est versio Francica, quae exhibet *vne nopce celebre*, cum debuisset reddere, *ou il y avoit grande compagnie.* certe pueri hodie sciunt loca, vias etc. *celebres* dici, in quibus est magna frequentia hominum. ita Ausonius Carm. L.

Rufus vocatus Rhetor olim ad nuptias,
Celebri (vt sit) conuiuio.

Ita *celebres ludi* Ouidio saepe, sed talia obuia mittamus.

3 *Solem velle*] *Sol quum* multi viri docti, quibus calculum suum adiecit Heinsius et Bentleius; sed construendum ita. *Ranae sustulere clamorem, solem velle ducere vxorem.* scilicet clamantes, vid. Gud. et Hoogstrat. ad lib. I. fab. XIII. vs. 11. et alibi:

6 *Quaedam incola*] Ita Plin. lib. XII. cap. 3. *Peregrinas arbores, incolarum numero esse coepisse* dicit. et Ioseph. Iscanus lib. I. vs. 128.

—— —— Gens incola fatum
Ipsa facit.

eodem modo, sed masculino genere, *mures* vocat *domuum incolas* Plinius lib VIII. cap. 57.

7 *Vnus exurit*] Solus. Terent. Eun. I. 2. *Ego cum illo, quocum tum vno rem habebam, hospite abii huc.* Liu. I. 18. *Quo praesidio vnus per tot gentes peruenisset.* elegans vero illa oppositio, *vnus omnes*, quae vim eius notet. Catull. I. *vnus Italorum omne aeuum explicare.* Virg. III Aen. 716. *Aeneas omnibus vnus narrabat.* et XII. 282. *omnes amor vnus habet.* et denique nota, quod non vnus omnes tantum *vrat*, sed *exurat*, id est, teste Seruio ad Virg. I. Aeneid. 39. *Ita vrat, vt nihil supersit.* vide ergo Phaedri exquisitam elegantiam, et vt etiam egregie ex Virgilio haec illustrat Schefferus. Eadem vero varietas, quae in Virgil. III. Georg. 432. in verbis *exurit* et *exhaurit*, est apud Stat. III. Theb. 259.

Tacent exhausti solibus amnes.

vbi alii MSS. *exusti*. sic *exurere herbas* Ouid. II. Met. 792.

Cogitque miseras arida sede emori.
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

(7) F A B. VII.

Vulpis ad Personam tragicam.

Personam tragicam forte vulpis viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc

8 *Emori*] Non mutarem, quia composito verbo *exurit* eleganter eiusdem notae verbum *emori* subiicitur, cuius vis, vt mortem, saepe subitam, per pestilentiam aut similes, vt hic, calamitates illatam, et non naturalem notet, vt contra Capperonnerium ostendimus, in Epistola ad eum pag. 39.

9 *Quidnam futurum*] Sollemnis formula, de timente & praesagiente peiora. Terent. Heaut. III. 1. *Quid te futurum est, quem assidue exedent?* Liuius II. 1. *Quid enim futurum fuit, si plebs agitari coepta esset Tribuniciis procellis?* et III. 64. *Quid futurum, nondum firmatis legibus, si nouos Tribunos per factiones suas consules adorti essent?* et millies alibi.

9 *Crearit*] Vid. infr. lib. III. 15. sed de matribus, quae pariunt filios, hoc quoque verbum vsurpatur. Flor. I. 6. *Matre serua creatum.* et in lapide apud Gruter. DCCLXIX. 9. et Catal. Pithoei p. 121. de Claudia, *Gnatos duos creavit.* vid. Muncker. ad Hygin. fab. III.

F A B. VII.

1 *Vulpis*] Ita legendum, non *vulpes*, quod saepe mutatum a librariis imperitis apud auctores. Auienus e MSS. fab. 40. *Pardus et vulpis.* et Bongarsius in variis lectionibus ad Iustin. lib. XII. notat in MSS. eius scriptoris inueniri *caedis*, *Alcibiadis*, *indolis*, *subolis*, *cladis*. Ita et apud Propertium IV. X. 44.

Torquis ab incisa decidit vnca gula.

pro quo et *torques* apud alios. Contra *Canes* pro *Canis* reperitur. Vide Voss. de Analog. lib. I. cap. 15. Pierium ad Virgil. V. Aeneid. 148. et quae notauimus ad Petron. C. LVIII. et mox fab. seq. *gruis*.

2 *O quanta species*] Janus Broukhusius, teste Hoogstratano ad lib. III. 12. legebat,

O quanta species, inquit, cerebrum non habes.

habes etiam Schefferus, quod arripuit quoque Bentleius; sed improbante eius aduersario: nec ego caussam vllam video mutandi, nisi solam omnia nouandi libidinem. Nam et Romulus, qui de *Lupo* et *capite* reperto in agro fabulam fingit, habet, *o quanta species ait; et cerebrum non habet*, *neque sensum*. Ceterum laruas olim non solum faciem, vt hodie fere, sed et caput fere omne, sed vacuum retulisse, hinc patet, quia cerebrum in eo quaerebat vulpis, et hinc Horatius I. Od. 18. *vacuum verticem* eleganter dixit: et hinc recte reprehensus interpres Gallicus, qui *visage* vertit *speciem*. Hoc quoque amplissimus Addison didicisse

Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

(8) FAB. VIII.

*Lupus et * Gruis.*

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat; primum quoniam indignos adiuuat;
Impune abire deinde quia iam non potest.

Os

cisse se ex antiquis in Italia Laruis inspectis docet in itinerario suo, vt didici ex Parisinis Ephemeridibus tom. XLIII. pag. 353. qui laruas instar cassidis rotum caput texisse refert, et inde se hunc Phaedri locum demum recte intellexisse profitetur. et ita *larua argentea*, quae totum cadauer referebat, apud Petron. cap. XXXIV. vbi vide notas, et ad cap. XLIV Praeterea hanc fabulam spectare puto Principes in aula viros, tam ciuilibus, quam militaribus honoribus ornatos ab Imperatore. illos *Honor*, hos *gloria* respicit. et Phaedrus, vt in plurimis, hic tangit sui feculi illustres amicos Imperatorum, vt et puto fecisse sequenti fabula.

4 *Sensum communem*] Vide Budae. ad L. 1. ff. de Iust. et Iur.

FAB. VIII.

* *Gruis*] Ita legendum. sic in notis Tyronis pag. 179. *Gruis* legitur. Vide de similibus nominatiuis praeter ea, quae huc adtulit Rittershusius, plura apud Muncker. ad Hygin. Fab. CXXXIX. et quae nos ad Quinctil. declam VI. cap. 17. adnotauimus.

1 *Pretium meriti*] Id est mercedem beneficii et operae praestitae. Multis exemplis huius vocis *pretii* vsum illustrat Illust. Nic. Heinsius ad Ouid. Epist. VI. 146. et Metam. II. 701. *Meritum* autem hic beneficium et gratam operam denotat. plus autem quam *officium* valet, vt ostendit Manut. ad Cicer. I. ad Famil. Epist. I. sic *officii pretium*, vt rei leuioris Ouid. I. Art. Am. 155. dixit. Aliquando etiam pro munere apud auctores sumi docet Donatus ad Terent. Eunuch. III. 2. vide infra III. 15. vs. vlt.

3 *Impune abire Deinde quia iam non potest*] De sensu huius versus interpretes altercantur. Barthius Aduers. XLVII. 10. putat *peccati* vocem hic ambiguae significationis esse, et priore loco culpam, posteriore errorem designare. Errorem vero in eo consistere, quod deinde in societatem mali veniens et liber dimissus, non videt se satis magnum beneficium accepisse, quod a perfidi hominis consortio integer et inuiolatus redire potuit. Hoc ex Lupi ad Gruem verbis in fine huius fabulae recte effici putat. sed vt ea sententia his verbis adfingatur, legendum monet, *iam nunc potest*, vel concinnius *iam tunc*, quod tamen nemini adhuc persuadere potuit. Heinsius margini adscripserat, *Quianam non potest*. Gebhard. III. Crepund. 10. legit, *impune abire deinde inanis non potest*. sed nec ille facile lectores in suam senten-

Os deuoratum fauce cum haereret Lupi,
5 Magno dolore victus, coepit singulos
Inlice-

sententiam trahet. non animaduerterunt viri docti vim particularum *iam non*, quae notant, iam non potest securus abire sine damno aut noxa, vt potuit, antequam medicinam fecisset lupo. haerente enim osse in fauce lupi, ille nocere non poterat, sed cum stultus Grus eius gulae credidisset collum suum, sublato osse, antequam penitus extraxisset collum, potuisset, libera lupus iam gula, arripere et deuorare Gruem: periculosam ergo sibi facit, alteri vtilem medicinam, et bis peccat, iuuando indignos, et se in periculum, vnde non potest, si alter velit, impune abire, coniiciendo. vide quae de *iam non* notauimus ad Quinctil. VI. Praefat. et ad Ouid. II. Art. 93. Donat. ad Terenr. Adelph. II. 1. 21. *i nunc iam*, dicit *iam* esse *sero*, *post plagas* acceptas. et esse tarditatis excusationem. *Impune* vero hic notat sine periculo, aut damno. vid. Seru. ad Virgil. XI. Aeneid. 134. loco a Scheffero laudato, et Barth. ad Stat. V. Theb. 621.

4 *Os deuoratum fauce cum haereret lupi,*

Magno dolore victus] Deesse hic ad constructionem *is* vel *ille* censet Cl. Bentleius. sed eius castigator recte ostendit, hoc omitti posse, quia τὸ *victus* de alio, quam de Lupo, accipi nequit, et aptissimum ex lib. V. 3. subiecit exemplum. Quot vero locis veterum medicina temeraria esset facienda, si particulas illas, *is*, *ille*, *qui*, quae deficientes ἀνακόλουθον videntur efficere, vbique intrudere vellemus? vitiosum ergo in Liuio est I. cap. 23. *en res exciuit Mettum. ducit qua proxime ad hostem potest.* vbi infarserunt, *is ducit*. vide similia apud Gronov. ad Liu. I. 1. et hic aliter animatus fuit Heinsius, qui multis locis ea pronomina eiecit, vt elegantior, sine odiosa illa suffultura particularum, flueret oratio, vt apud Ouid, lib. XIII. Met. 723.

——— ——— ——— *intrant*
Sicaniam: trinis excurrit in aequora linguis.

vulgo erat, *tribus haec excurrit.* vide eum ad lib. III. Fast. 387. et infinita talia obseruarunt viri docti. potest et subintelligi, *qui*, dolore victus. de quo vid. ad II. Epilog. vs. 17. sed vellem simul docuisset Vir doctissimus in prima emendatione, *Os deuoratum fauce cui haerebat, lupus Magno, d. v.* metrum Phaedro constare: quod non video nisi τὸ *cui* integrum absorbeatur a sequenti syllaba prima *hae*, in *haerebat.* atqui eius exemplum iure flagitamus. cum Poëtae saepe quidem bisyllabum faciant, aliquando etiam in vnam syllabam contrahant, vt semper Phaedrus noster, sed elisisse totam vocem nescio. nam, vt docet Terent. Maurus de Syllabis p. 39. et ibi Brissaeus ex antiquis Grammaticis, *Cui* vel constat duabus breuibus, vel per synaloephen in vnam syllabam contrahitur. non vero Diphthongus fieri potest, ergo nec elidi. sic duabus breuibus extulit Martial. lib. VIII. 52.

Drusorum cui contigere barbae.

XI. 73.

Collatus cui Gallus est Priapus.

et XII. 49.

Et credit cui Postumilla diues.

Video quo euadere posset vir doctus: esse nimirum anapaestum ce cui, elisa vocali *i.* per *hae*, in *haerebat.* sed eius quoque insigne aliquod

Inlicere pretio, vt illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo.
10 Pro quo cum pactum flagitaret praemium:

In-

quod exemplum desidero, cum studiose Poëtas vitasse videam, ne *cui* facile ante vocalem poneretur. Certe in toto Virgilio, Tibullo, Propertio, Ouidio, Martiali, et nescio an non reliquis, non omnino degenerantibus ab aureo seculo Poëtis, vellem mihi monstrari *cui* ante vocalem, et elisa vltima litera *i*. quod, cum millies ea particula vtantur, casu accidisse nemo sanus dicet. et hoc forte sentiens vir, metri callentissimus, alteram lectionem profert, et exhibuit in ipso textu; sed ibi distinctione leviori, in notis vero puncto a reliquis verbis diuellens.

Os deuoratum fauce cum haereret lupo.

Sed an haec lectio medetur orationi, male, vt putat, cohaerenti? non et sic quoque deberet sequi, *ille* magno dolore victus coepit. quare cum nihil in his omnibus sit praesidii, veteri acquiescamus lectioni. *haerere* vero *fauce* recte dici, aeque ac *fauci*, vel *in fauce*, vidimus ad Ouid. IV. Met. 27. et XI. 403. si vero *lupo* esset in exemplaribus scriptis, non mutarem in *lupi*, nec nunc *lupi* in *lupo*: vterque enim casus potest adhiberi, vt in similibus saepe ad Ouidium vidimus. vid. ad VI. Met. 659. et inf. III. III. 13. et VII. 16.

5 *Magno dolore victus*] Neminem vidi, qui ad hunc locum adhaesit, aut eum credidit illustratione egere, nisi nuper Walchius, qui Minelli ad modum edere se emendationes et commentarios professus, pro *impulso, adducto, permoto* capi quidem posse credit, sed mauult tamen per *impotem* interpretari; quia Serv. ad Virg. IX. Ecl. 5. dicit, vt *victores* compotes voti, qui quod volunt faciunt, dicuntur, ita *victos* impotes dici, qui non possunt facere quod volunt. quae et in Lexico Fabri notantur: et hic impotem lupum dici, quia sibi non poterat opem ferre. sed huc quid illa faciant non video. nam additum epitheton *magno* docet, non potuisse diutius ferre dolorem, sed superatum et coactum magnitudine eius decurrisse ad alios. an non Ouidius erat hic adducendus? qui de Aiace XIII. Met. 386.

Inuictumque virum vincit dolor.

vt contra VIII. 517. Meleager

Magnos superat virtute dolores.

8 *Gulaeque*] Miror et hic non aliquem criticorum, qui videns Phaedrum non magnam rationem iambi habere in secunda sede, emendasse, *Gulae quae credens etc. fecit*, quod certe maiori specie posset defendi, quam sexcenta alia, licet necessarium non putem. Nunc vero ita Fabrum edidisse video in tertia editione.

9 *Periculosam*] Sine dubio respectu gruis, vt ex promythio *abire impune*, vt explicuimus, et ex lupi dictis, quae *caput incolume abstuleris*, satis colligitur. *lupo* ergo construe cum *fecit*, non cum *periculosam*.

10 *Pro quo cum facto flagitaret praemium*]

Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postulas.

F A B.

praemium] Recepimus certissimam, vt nobis apparet, Gudii emendationem,

Pro quo cum pactum flagitaret praemium.

et ita Faërnus fere expressit haec, *Ea pacta pretium.* et confirmat Anonymus Nielantii, qui habet etiam, *a quo cum pactum flagitaret pretium.* nam praecessit *illicere pretio*, et ideo hic alia res est, atque lib. IV. fab. II. de Simonide. saepissime vero *pactum* vitio librariorum transiisse in *factum* docebunt notae Heinsii ad Ouid. III. Epist. 115. et Graenii ad Flor. I. 15. Et quia omnes codices et editi hic habent *pro quo*, minime opus est cum aliis legere *a quo*. nam satis intelligitur a lupo: a nullo enim alio in hac fabula petiisse praemium, quam a Lupo potest Grus pro medicina. Mirum vero est, Cl. Bentlejum praereptas iam ab aliis emendationes hic nobis offerre, ea tantum specie, quia *pro quo*, non conuenit τῷ *medicina*, quod praecedit. quod etiam credo librariis imperitis caussam *pactum* in *facto* mutandi praebuisse. sed non opus credo tantum virum docere, nihil familiarius esse Latinis Scriptoribus illa generis mutatione. vt docebunt Gifanius in indice Lucret. in *Generis mutatio*, et quos plures laudo ad Quinctil. lib. I. prooem. p. 10. qui exempla satis multa suppeditabunt. si plura desiderentur, Gronouius ex Salustio producet, *satisfactionem, quae vera licet cognoscas*, et *earum rerum, quae prima mortales ducunt*, et alia lib. III. Obs. 2. Spartian. Adrian. XI. *rem referre, ex quo constet.* vbi vide Casaub. et ad cap. V. Quid insolentius illo Propertiano I. Eleg. XVIII. 23.

An tua quod peperit nobis iniuria curas?
Quae tantum tacitis cognita sunt foribus.

Vide tamen egregie haec explicantem Broukhusium: magnam etiam exemplorum copiam congessit nuper doctissimus Cortius ad Sallust. Catil. LI. et Excursu VIII. et ad Iugurth. XXIV. et infiniti alii. Nullus enim non auctor, qui non similia legentibus offerat.

11 *Ore quae nostro*] Interpolant viri docti, quasi non centies praepositiones, quae verbis coniunguntur, omittere soleant scriptores. et si hoc non placeat, quanto facilius hac ingrata elisione et cumulatione vocalis *e*, legere *extuleris*, vt Anonymus et Romulus habent. Anonymus vero non *ore quod nostro*, vt vir doctus exhibet, sed, *ori nostro quod caput incolume extuleris.* sed nec hoc opus. Ouid. III. Met. 390.

Manus complexibus aufer.

pro *a*, vel *de complexibus*. Trist. I. VII. 29.

Ablatum mediis opus est incudibus illud.

plura proferre liceret, sed video in multis dubium videri posse, an datiuus, an ablatiuus sit casus. vt XIV. Met. 811.

Ablatum terris imponere coelo.

sed calumniam effugiet Virgilii locus IV. Aeneid. 698.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

vbi datiuus et ablatiuus rem extra controuersiam ponunt. et in his variabant veteres pro arbitrio: Augu-

(9) FAB. IX.

Passer et Lepus.

Sibi non cauere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab Aquila, fletus edentem graues,
Leporem obiurgabat Passer: vbi pernicitas
5 Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes?
Dum

Augustus amabat geminare praepositiones iunctas verbis, teste Sueton. LXXXVI. contra Seruius ad Virg. I. Aeneid. 147. dicit honestam esse elocutionem, praepositionem detractam nomini, iungere verbo, vt *perlabi vndas*, pro *labi per vndas*. vt et Suetonius ibidem dicit *detractas gratiam augere*. *postulas* etiam praetulimus, quia iungi cum *ingrata es*, et suppleri debet, et insuper *mercedem postulas*.

FAB. IX.

1 *Cauere*] Recte ex Iuris Romani proprietate explicuerunt hoc verbum interpretes. apposite Ouid. I. Art. 84.

Quique aliis cauit, non cauet ipse sibi.

3 *Fletus*] Et hic omissa, vt videtur, copula, inducere potuit viros doctos, vt ex versu satis bene incedente, facerent duplicata elisione horridiorem. quasi non millia eiusmodi in auctoribus exempla occurrerent, et non saepe duo epitheta, siue adiectiua, cumularentur; sed Anonymus Niel. habet et *fletus dantem*. ac si ille in eadem periodo, non plura turbauerit. cur ergo etiam non legunt, *fletus et dantem* pro *edentem?* vt Ouid. II. Met. 340. *Fletus, et inania morti munera, dant lacrimas.* sed *edere* recte. vt noster infr. fab. XIII.

Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur.

vbi male locum sollicitant viri docti. sic Cicero II. Tuscul. cap. 15. *videmus rudem illum et inexercitatum, quamuis leui ictu, ploratus turpissimos edere.* et paullo ante cap. 8. Sophoclis verba vertens, *Heu virginalem me ploratum edere.* ita *questus edere*. Ouid. IV. Met. 587. et alii passim.

4 *Vbi pernicitas*] Elegantissimus in exprobrationibus et irrisionibus huius particulae vsus. Tacit. XV. Annal. 62. *Vbi praecepta sapientiae: vbi per tot annos meditata ratio aduersum imminentia.* Plurima exempla congesserunt Heinsius ad Ouid. Epist. IV. vs. 150. et Freinshemius ad Tacit. II. Ann. 2.

5 *Cessarunt*] *Cessare* non praecipue significat hic, vt Faber, quid pigri et tardi facti sunt? sed cur officium suum, strenue currendo, et te exitio eripiendo, non fecerunt? nam significat etiam *languide* et *negligenter aliquid* facere; vt docuit Vauass. de vi et vsu quorund. verb. sic apud Virgil. Aeneid. VI. 51.

—— —— *Cessas in vota precesque, Tros, ait, Aenea?*

Id est languide agis. sic Horat. I. Epist. II. vs. penult. opponit *strenuum anteire*, et *cessare*. vid. Calp. ad Terent. Heaut. III. I. potest et explicari

Dum loquitur, ipſum Accipiter nec opinum rapit,
Queſtuque vano clamitantem interficit.
Lepus ſemianimus mortis in ſolatio;
Qui modo ſecurus noſtra inridebas mala,
10 Simili querela fata deploras tua.

(10) FAB. X.

Lupus et Vulpis iudice Simio.

Quicumque turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.
Hoc atteſlatur breuis Aeſopi fabula.
Lupus arguebat Vulpem furti crimine:
Nega-

explicari deſiiſti a currendo, quieviſti; vid. ad Ouid. III. Triſt. VII. 26. vide ergo an recte ceperit Gallicus interpres, qui reddidit, *vos pieds ſont devenus ſi peſans.*

6 *Nec opinum*] Ita *nec opinans* Cicero XIII. ad Famil. 18. vbi Manut. vid. inf. V. 7.

8 *Semianimus*] Cl. Bentlejus, primus quod ſciam, *ſemianimis.* parum referre puto.

8 *Mortis in ſolatio*] Varie vexatus locus. vide Barth. XLVII. Adverſ. 10. Gronov. obſ. III. 8. et Periz. ad Sanct. Minerv. IV. IV. 27. qui *in ſolatio* vindicat. ſic *vltionis ſolatium* et ſimilia, de quibus Pricaeus ad Apulej. lib. II. Metam. I. et quae huc adfert Axenius. quibus adde locum Ouidii Metam. IV. 191.

Magna feres tacitae ſolatia mortis ad vmbras.

et Lucan. VIII. 1315.

- Sed magna feram ſolatia mortis.

Quis vero ferat Gebh. III. Crep. 17. attentare Phaedrum, et legere, *mortis cit.* (vel *init*) *ſolatium.* Tolerabilior eſt Heinſii coniectura, *en ſolatia,* quae placet etiam viro doctiſſimo.

10 *Deploras*] *Nunc ploras,* quia praeceſſit *modo,* vir doctiſſimus. et certe lib. V. fab. 2. poſt *adiuuiſſes modo,* ſequitur, *nunc conde ferrum.* ſed et omiſit *nunc* lib. IV. fab. 21. poſt *modo.* quare, cum *deplorare* plus notet quam *plorare,* et hoc τοῖς *queſtu vano clamitantem* et *fletus edentem graues,* melius congruat, nihil muto.

FAB X.

1 *Turpi fraude*] Similem apud Caeſar I. de Bell. Gall. 28. locum illuſtrat hoc et altero Phaedri loco V. fab. 5. *Scurra notus vrbano ſale,* Dauiſius. Ouid. IX. Met. 330. *Notiſſima forma Oechalidum Dryope.* I. Met. 198. *notus feritate Lycaon.* et paſſim. Appoſite magis idem Poëta lib. III. Am. XII. 7.

Fallimur? an noſtris innotuit illa libellis?

Plinius lib. XXXV. cap. 11. *Cteſilochus Apellis diſcipulus petulanti pictura innotuit.*

5. Negabat illa, ſe eſſe culpae proximam:
Tunc iudex inter illos ſedit Simius:
Vterque cauſſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe fertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe, quod petis;
10 Te credo ſurripuiſſe, quod pulchre negas.

5 *Culpae proximam*] *Obnoxiam* Heinſius. ſed communis lectio ſatis defendi poteſt, Cicerone auctore, qui ſaepe *adfinem culpae* dixit. vide Schefferi et aliorum notas: quibus adde Valer. Max. III. VII. 8. ſimilis locutio apud eundem lib. I. 1. 10. *propior publicae religioni, quam priuatae charitati.* Auctor declamationis, quae nomine Salluſtii in Ciceronem circumfertur, *is erat calumniae proximus,* vid. Salmaſ. ad Tertul. Pall. pag. 277. An vero non ita dixit Sophocles in Trachiniis vſ. 257. *Ἀγχιστῆρα τοῦδε τοῦ πάθους*, pro *auctore huius calamitatis?* Vide Heinſ. ad Val Flac. III. 392. illae particulae *huic*, et mox *hanc*, neſcio quid gratiae adferant orationi, cum certum ſit lectori de qua culpa et ſententia agatur. denique ita ſcribant, per me licet, qui nouas fabulas volent polire verſibus, ſed ſinant nos Phaedri manu et iudicio frui.

6 *Iudex ſedit*] Propert. IV. El. vlt.

Aut ſi quis poſita iudex ſedet
Aeacus vrna.

9 *Tu non videris*] Hac formula vſi videntur Romani iudices, quia ſaepe etiam in factis, vt apparet, euidentiſſimis, falli ſolent mortales, et in rebus humanis plurima incerta eſſe euentu docemur, quae pro certis haberi tamen ſolent. Plin. XIV. Hiſt. Nat. 13. *Cn. Domitius iudex pronuntiauit, mulierem videri plus bibiſſe quam valetudinis cauſſa.* ſed haec ſatis illuſtrata ab aliis.

9 *Perdidiſſe, quod petis*] Poteſt quidem hac ſententia vterque mendacii damnatus fuiſſe intelligi. ſed tamen, cum etiam vulpes *ſurripuiſſe* iudicetur, ego de lupo *perdidiſſe* ita explico, vt ipſe antea furto rem ſurripuerit, quam nunc vulpe iterum ab eo auferente, nihil videtur perdidiſſe, quia non erat res propria, ſed furtiua. ſimilis eſt ſententia Diogenis apud Laërt. VI. 54. quam dixit duobus iuris peritis, *τὸν μὲν κεκλοφέναι, τὸν δὲ μὴ ἀπολωλεκέναι* vbi male in verſione legitur, *alterum quidem nihil furatum eſſe, alterum vero nihil perdidiſſe*, cum in priori membro *nihil* expungi debeat, adduxit ibi Menagius hanc Phaedri fabellam.

10 *Surripuiſſe*] *Surpuiſſe* malebat Heinſius. vide eum ad Ouid. IV. Met. 556.

(11) FAB. XI.

Asinus et Leo venantes.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

FAB. XI.

1 *Verbis iactans gloriam*] *Gloriam* pro gloriatione, vt ex illo Gellii, *flare inanes glorias*, in lexicis etiam docetur; et hoc alii iam ostenderunt, vt Taubman. ad Plaut. Mil. Glor. I. 1. 22. et Gebh. ad Nep. Agesil. 5. sed non satisfacit haec locutio Doctissimo Bentlejo, qui *gloria iactans* vult legi. Sed rogare libet, quid iactet gloria? an ita loqui solent veteres? noster quidem fab. II. *licentia soluit frenum*, et fab. V. *Improbitas abstulit praedam*. et similia dixit, sed huic locutioni valde dissimilia. ego hominem iactantem gloriam interpretor, de ignauo et glorioso milite, vt a Plauto et Terentio inducitur, qui fortia facta sua iactat verbis, cum sit expers virtutis militaris. Hic Gallicus interpres rem tetigisse videtur, *qui vante ses beaux faits*, mallem tamen, *exploits*. *Gloria* enim proprie in bello acquiritur, vt Terent. Heaut. I. 1. *Ibi rem et gloriam repperi*. ita sup. fab. VII. *quibus honorem* (scil. ex dignitatibus et magistratibus) *et gloriam* (ex bello et rebus gestis,) *tribuit*. Vide quae ad Valer. Flac. I. vs. 77. notauimus. si Valerio Max. V. IV. Ext. 5. *Minuere*, vel *innoluere gloriam* Aetnei *montis*, id est, fratrum Siculorum, licuit dicere, cur non *extollere, laudare, iactare gloriam* vel suam vel aliorum liceat? *Laedere gloriam militarem*, ex eodem dici patet lib. II. cap. VII. exempl. 7. hoc ergo vult Phaedrus, qui iactant res suas bello gestas, quasi virtute sua gloriam illam militarem essent consecuti, cum sint virtutis ipsius expertes, ignotos quidem fallere, sed a notis irrideri. nam non iactare debemus gloriam, *quae*, teste Cicerone, *virtutem tanquam vmbra* sequitur: nec video plus difficultatis in hac locutione, quam in *inane meritum iactare* fab. XXII. quod idem fere notare potest: *iactatio virtutis* etiam, non tantum gloriae, immodica vitio datur, vt in Cratero notat Curt. VI. 8. multo ergo stultior iactatio gloriae sine virtute: iungi enim illa debent, non separari, vt saepe scriptores *virtutem et gloriam*, quasi indiuiduos comites, simul adscribere solent viris fortibus. Sic Liuius lib. XXII. 12. de Annibale, cum Fabius detrectaret pugnam, *increpans victos tandem Martios animos Romanorum, debellatumque, et concessum eis propalam de virtute ac gloria esse, in castra rediit*. et, qui locus confirmare posset τὸ *iactare gloriam* lib. XXI. 20. *quum verbis extollentes virtutem gloriamque Populi Romani, etc.* An *verbis extollere gloriam*, non idem est quod *verbis iactare?* ita *insolentia gloriae* Nep. Ages. 5. vide et Timoth. 1. Epam. 5. *gloria virtutis* Frontin. I. XI. 3. Quare si iam exigatur, vt iisdem verbis locutio similis ab alio producatur, *iactans verbis gloriam*, exigam vicissim, vt detur, nobis, *Gloria virtutis expers iactans verbis*, non addito quid illa gloria iactet; quae ellipsis dura et inaudita mihi videtur.

2 *Ignotos fallit*] Quibus erat ignotus. sic infr. fab. XIV. *Ignoto loco*.

Venari Asello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul,
5 Vt insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus

loco. et fab. LIV. *onus ignotum*. Ouid. Ep. IX. 155.

Exulat ignotis Tydeus germanus in oris.

et Epist. VII. 117. *Applicor ignotis.* vide Manut. ad Cicer. ad Fam. Ep. V. 12. et nos ad Petron. cap. CXII.

4 *Contexit illum frutice*] Non vno, sed in fruticeto eum latere iussit: quod saepe latebras feris et hominibus praebet, propter densitatem fruticum. Ouid. VI. Fast. 117.

—— —— *Frutices haec nacta resistit:*
Et latet, et nullo est inuenienda modo.

IV. Met. 339.

—— —— *fruticumque recondita silua Delituit.*

et hinc *densi frutices* I. Met. 122. est ergo hic singularis pro plurali. et hinc mox *exitus noti* ex fruticeto sc. et *euocat*, vt supr. fab. II. in limo latentes ranas vna *euocat:* haec notaui, ne quis asini corpus, vt saepe pingitur, frondibus tectum fuisse credat, et ita terruisse feras.

5 *Insueta*] Non ipsi asino, sed feris, quae adsuerae clamoribus venatorum, et canum, quibus complebant tremendum (vt Horat. Ep. VI.) nemus, numquam asini vocem audiuerant in venatu. haec leuia, sed ne quis mutandi libidinem capiat, et asinum consuetam vocem mutare non posse contendat, praecauendum.

5 *Feras*] Romulus Vulpes et Lepores habet.

6 *Exciperet*] Verbum proprium venatorum, qui dolis et fraudibus aeque ac vi capiunt feras; vt recte Schefferus. vide quae nos ad Quinctil. II. de Inst. Orat. 12. notauimus; neque hic *vi* intrudendum, ex Gudii sententia, propter locum Ciceronis III. Cat. 4. *praesto esset ille, qui et fugientes exciperet etc.* Certe Virgilii locum a Scheffero adductum non potest Phaedrus respexisse, si cum Gudio faciamus, nam diuersa longe sunt, *vi excipere*, et *insidiis*. Senec. I. de ira II. *venator cum et fugientes persequitur, et venientes excipit.*

6 *Auritulus*] Egregie Hoogstratanus, noster olim amor, vindicauit veterem lectionem contra eos, qui vim faciunt rei metricae, et *auriculas clamore subito tollit* exhibent. *Auritus* pro Asello Ouid. VI. Fast. 469. et II. Art. 547. In Epigr. Anthol. Graec. θὴρ οὐατόεις, Asinus dicitur, lib. II. cap. 40. p. 236. Ed. Brod. Walchius, qui *auriculas* retinere vult, legit etiam, *Auriculas clamore subito tollit totis viribus*. sed nescio an *tollere auriculas*, pro *erigere*, vel *arrigere*, Latine dicere liceat, et deinde duplex hic ablatiuus, non, vt alibi, venustatem, sed obscuritatem adfert sensui, saltem dixisset, *auriculas tollit, cum summo clamore, totis viribus.* nam quod putet se ineptiam, quae in *summo clamore*, *totis viribus*, se ostendit, minuere, legendo *clamore subito*, nihil agit. *clamore summo* in qua editione legatur nescio, cum *subito* sit vnice verum, vt fab. seq. vs. 7. et XV. 5.

Clamorem subito totis tollit viribus,
Nouoque turbat bestias miraculo.
Quae dum pauentes exitus notos petunt,
10 Leonis adfliguntur horrendo impetu.
Qui, postquam caede fessus est, Asinum euocat,
Iubetque vocem premere: tunc ille insolens;
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic, vt nisi nossem tuum
15 Animum genusque, simili fugissem metu.

FAB.

9 *Exitus notos*] Nihil frequentius apud Poëtas et alios, quam *res notas* vocare, quibus quotidie vtimur, quas videmus, audimus etc. assidue. inf. II. fab. V. *noti flexus.* Horat. I. Od. 2.

Nota quae sedes fuerat columbis.

Ouid. I. Met. 369.

—— —— adeunt pariter Cephisidas vndas,
Vt nondum liquidas, sic iam vada nota secantes.

VII. 576.

—— —— —— —— notis
Semianimes errare viis.

Martial. IV. 415.

—— et notis fugientia flumina ripis.

vt et Petron. cap. CXXII.

Flumina per notas ibant morientia ripas.

vid. ad Ouid. VII. Met. 576. *Exitus* autem eleganter vocantur angusti tramites et loca, per quae et in bello milites, et in venatu (nam haec semper componi solent) ferae elabi solent. vide Gronov. ad Livii lib. IX, 15. Edit. prioris.

11 *Fessus est*] Deleuit *est* Gudium secutus Hoogstratanus, sed ita versus laborat, nisi in *asinum m* non elidas, quod praeter necessitatem non puto semper faciendum.

14 *Sic*] Elegans vsus istius particulae, pro tam insignis, Ouid. II. Art. 611.

Attamen inter nos medio versantur in vsu,
Sed sic, inter nos vt latuisse velint.

Apulej. VI. Met. *Huic seni dabis alteram, sic tamen, vt ipse sua manu de tuo sumat ore:* L. 16. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. *facilius hoc in decuriones fieri potest, sic tamen, vt consulto prius principe et iubente fiat:* ita et vtuntur *sic quoque*, de quo ad Valer. Flac. IV. vs. 598. egimus.

15 *Fugissem*] Hanc lectionem etiam probat Heinsius, qui in MSS. Vossii ad marginem eam exstare notauit. ita *fuit* et *fugit* in MSS. saepe confusa fuisse apparet ex notis Heins. ad Ouid. Epist. XVII. 192. I. Amor. XI. 15. *Genus* hic minime *qualitatem*, vt Schefferus putat, notat, sed, vt fab. 3. *redire coepit ad proprium genus.* Locutione ab hominibus translata, de quibus *genus* saepe pro *gente* ponitur. vt Iustin. II. 4. *genus se Scytharum esse*, vide Freinsh. ad Curt. V. 1. 40. et ita ipsa Lexica notant *genus leonum, piscium* Horatio et aliis dici poëtis. Ouid. II. Fast. 473.

Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis.

Omnes

(12) FAB. XII.

Ceruus ad Fontem.

Laudatis vtiliora, quae contemseris,
Saepe inueniri, haec exserit narratio.

C 3 Ad

Omnes ex Ennio. vt fonte, hoc deriuant, qui *genus altiuolantum, pennigerum, pennipotentum* et similia dixit. Stat. II. Silv. de psittaco *gentem* dixit.

Occidit aëriae celeberrima gloria gentis.

et Thebaid. VIII. 308. *Gens pecudum.* de Vulpibus Ouid. IV. Fast. 711.

Vtque luat poenas gens haec.

vbi alii codices *genus*. de piscibus Sedulius, optimorum imitator Poëta. IV. 118.

— aquosis gentibus instans
Linea claustra iacit.

de Graecis notum est ἔθνεα ita saepe a poëtis vsurpari.

FAB. XII.

1 *Laudatis vtiliora*] Heinsii coniectura, *saepe esse vtilia, more quae contemseris*, ingeniosa quidem est. et ita *more* sumitur apud Quinctil. lib. XI. 3. *Cultus non est proprius Oratoris aliquis, sed magis more conspicitur*, vt ibi legendum esse ostendimus. et Martial. I. 85. *et inuenit quo possit illud more.* sed altera eiusdem explicatio, qua *more* pro stulte poni a nostro coniicit, omni veri specie caret, ideoque, reiecta minime necessaria emendatione, vulgatae sensum constare egregium existimamus. qui est, pulchris saepe esse vtiliora deformia et vilia membra. nam *laudata* sunt pulchra, quae vulgo laudari solent. vide Heins. ad Ouid. V. Met. 59. et nos ad Quinctil. Declam. V. et ita mox fab. seq. *laudari*, id est, pulchrum praedicari: *contemta* vero illis recte opponuntur, pro vilibus, quae vulgo contemnuntur, vt Horat. III. Od. 16.

Contemtae dominus splendidior rei.

Ouid. II. Am. VII. 20.

Sordida contemtae sortis amica iuuet.

Idem vero haec verba volunt, quod de alia re dicit Florus III. 12. *vt non in vsum, ita ad speciem*, et Iustin. XIV. 6. *Speciosus magis, quam vtilis grex.* Scaliger ad oram codicis editionis Rigaltianae, qua vtebatur, adscripserat, sibi duos hos priores versus non videri esse a Phaedro profectos.

2 *Haec exserit narratio.*] Nondum possum induci, vt haec a librariis profecta credam. certe *inueniri* pro deprehendi experimento, elegantius mihi videtur, quam *esse*. ita lib. IV. fab. 10.

Tibi inueniri maxime contrarios.

Hirtius lib. VIII. de Bel. Gal. 7. *a quibus cum quaereret Caesar, quo loco multitudo esset Bellouacorum, inueniebat, Bellouacos omnes in vnum locum conuenisse.* id est, comperiebat, intelligebat. Ouid. V. Trist. I. 4.

Inuenies toto carmine dulce nihil.

id est, deprehendes. et ita saepius ille. vid. IV. ex Pont. XIV. 4. 1. ex Pont. I. 16. X. Ep. I.

Mitius inueni, quam te genus omne ferarum.

et

Ad fontem Ceruus, cum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
5 Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,

Crurum-

et huic verbo reſpondent illa in fine fabulae; *nunc demum intelligo*. Alterum verbum *exſerit* bene explicat Schefferus per prodit, docet. idem propemodum eſt quod *nudat*, de quo ad lib. III. prolog. ſimili fere ſenſu Senec. Herc. Oet. 255.

Secreta mentis ore confuſo exſerit.

et licet iam non occurrat exemplum huius verbi ſaepe eodem modo vſurpati, ſingularia ſua habet Phaedrus: quamquam etiam ferri poteſt ex Codice, quod profertur,

Saepe inueniri teſtis eſt narratio.

3 *Ceruus*] Haec fabula etiam inter Arabicas Locmanni legitur pag. 3.

5 *Mirans*] Vir doctus mauult, *admirans*, et hoc dici de iis, quae in laude poſita ſunt, et quae cum gaudio audimus aut videmus. ſed haec nimis acuta. nam ſimiliter Ouidius de Narciſſo, ſe vidente et faciem ſuam laudante III. Met. 424.

Cunctaque miratur, quibus eſt mirabilis.

Vnde lib. III. fab. 18. *mirabilem* pro *admirabilem* poteſt adſtrui, quod ipſe Vir doctus non culpat. idem paulo poſt Ouid. vſ. 503.

Lumina nox claudit Domini mirantia formam

Et de Io facta boue et ſe in flumine mutatam ſpectante. Ep. XIV. 93.

Quid furis infelix, quid te miraris in vmbra;

vnde apparet *mirari* nos omnia, quae mentem noſtram et animum percutiunt, ſiue laudemus et probemus, ſiue non. idem X. Met. 589.

—— —— tamen ille decorem
Miratur magis.

I. Amor. XIV. 47.

O quam ſaepe comas aliquo mirante rubebis?

Et ſexcenta poſſent adduci exempla: quare illas ſignificationum differentias, niſi manifeſtius a Veteribus ſignentur, nimis eſſe quaeſitas, et ipſa illa ſubtilitate et aneſcere puto. Barth. ad Stat. IX. 412. *mirari* nos ea dicit, quae vt numquam viſa ſtupemus, et Papinium accuſat craſſae ignorantiae. ſed et *mirari* poni pro venerari, cum veneratione tueri, notat Cuper. II. Obſ. I. et Gron. ad Liu. XXVI. 22. imo *laudare* et *mirari*, vt hic ea verba idem fere notantia cumulantur, eamdem ſaepe vim habent. ſic Ouid. I. ex Pont. II. 135. variat in eadem re haec duo verba.

Cuius de ſolitum memini laudare libellos.

Deinde:

Cui tua nonnumquam miranti ſcripta legebas:

de ſe modeſtius loquitur, cuius ſcripta Maximus laudabat, ipſe viciſſim non laudabat modo, ſed admirabatur etiam Maximi carmina. idem II. ex Pont. VI. vbi agens de raris illis amicorum paribus, quibus Graecinum ſibi fidum amicum comparat, ait

Quos prior eſt mirata, ſequens mirabitur aetas.

& poſtea Graecino promittit eamdem laudem,

Dignus es, et quoniam laudem pietate mereris, etc.

ſic ergo Ceruus laudans cornua ſua, etiam mirabatur, et hac dote et decore ſibi mire placebat. et in illo *mirari*

Cruramque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu leui
Canes elusit. Silua tum excepit ferum,

 In

mirari inest ea vis, vt noua et inexspectata cum admiratione spectemus. vid. Val. Flac. I. 382. Absit ergo illa innouandi omnia inexpugnabilis prurigo, et *laudat mirans*, aptissime coniuncta verba, relinquantur intemerata. Anonym. Nicl. pro *mirans* habet, *sua cornua magna videns*. vt Galli *mirer* vtuntur.

6 *Vituperat*] Miror neque hoc loco, neque ad lib. IV. fab. 6. aliquid adnotatum a feuerissimis metricae legis exactoribus, de huius verbi *vituperare* syllabis. video quidem a Cl. Bentleio notam illam ictus, vt vocare amat, poni in prima vocis syllaba, vnde collatione cum aliis versibus Phaedri facta, colligere posse videor, illum iudicasse, tres syllabas reliquas constituisse vltimum pedem; sed cum ego credam Phaedrum semper in iambum versus suos exeuntes scripsisse, non video qua specie hic anapaestus claudere possit versum, nisi quis contracte *vituprat* pronuntiare, et penultimam syllabam breuem esse contendere velit, sed qui hoc faciunt, nihil in his rebus sapere recte iudicat Cl. Bentleius ad Terent. Andr. Prolog. vs. 15. Nisi tamen hoc fiat, laborat, me iudice, versus; nec scio aliam rationem expediendi nodum: sed vellem praeterea discere ex illis, qui primam syllabam in *vituperare*, longam pronuntiant, qua id auctoritate adfirment. si enim longa foret, sine dubio aliquis Poëtarum Epicorum aut Elegiacorum hoc verbo vsus fuisset, cum aptissime et suauiter etiam posset in hexametris et pentametris versibus adhiberi. sed nec Virgilium, nec Ouidium, neque quemquam aequalium eo vsos fuisse scio, vnde certo mihi constare videtur, obstitisse tres priores syllabas breves, quae non ingrediuntur versus Heroicos aut Elegiacos. et ideo hoc quoque in versu, duos vltimos pedes ex dactylo et iambo constare credo, *tem vitu* (*perat*).

7 *Venantum*] Vide Gifan. Indic. Lucret. in *Medentes*.

8 *Cursu leui*] Schefferus mallet *leuis*, quod non damno. sic et Virgil. IX. Aen. 548. *ense leuis nudo*, de quo plura ad Valer. Flac. I. 389. sed quid opus vulgatum mutare? cum et *leuem cursum* potuerit Phaedrus dicere, vt Stat. V. Theb. 167. *volucrem cursum*, quam *volucrem leuitatem* Lucretius IV. 204. dixit: propius accedunt illa Silii VII. 645.

Nunc dexter leuibus flexo per devia gyris
Ludificatur equo.

vbi frustra *breuibus* reponunt viri docti: quocumque autem modo legatur, *leuis* hic pro agili, celeri sumitur, et Graeco ἐλαφρὸς respondet. Poëticum vero magis est *leui cursu*, vt ita lib. III. 4. *veloci saltu*, et in vulgata lectione magis mos Phaedri et fere omnium Poëtarum seruatur, de quo inf. fab. XXIII. 7. et saepe alibi.

9 *Elusit*] Pro *delusit*, quo verbo in re simili vtitur Valer. Flac. VI. 239.

Orbibus hos rapidis, mollique per aequora Castor
Anfractu leuioris equi deludit anheles.

quo

10 In qua retentis impeditus cornibus,
Lacerari coepit morsibus saeuis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Vtilia mihi quam fuerint; quae despexeram,
15 Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

quo loco et Schefferi correctio posset firmari, vt et altero eiusdem Flacci III. 555. de Ceruo,

— *intactus leuis,super fugit vndas Hoc pueri spes sua modo.*

vt recte constituerunt haec verba viri eruditi. de pisce Ouidius Halieut. 25.

— *dolos saltu deludit inultus.*

sed et *eludit* vtitur Ouidius VIII. Met. 687.

9 *Ferum*] Quae de vsu huius vocis Faber notat, fere debentur Rittershusio, cuius notis adde Herald. ad Arnob. pag. 144. et Erhard. ad Petron. cap. LXXXIX.

10 *Retentis impeditus cornibus*] Schefferus dubitat, an rectius esset *retentus impeditis.* Ego, quum similes locutiones vtroque modo enuntiatae defendi possint, vulgatam retinendam esse censeo: nam cornua feri inter densos arborum ramos haeserunt, et his quasi vinculis ipse impeditus fuit ceruus. sic Veget. Art. Veter. I. 10. dixit *impeditum animal;* et Columel. VI. 2. *ne arboribus aut obiacenti cuilibet rei se implicent.* Val. Flacc. VI. 421.

— — *Haerentes cornibus altis Inuenit:* — —

Sallust. Iug. LIII. *Elephanti impediti ramis arborum.* apud Ouidium in re alia lib. V. Trist. 15. MSS.

Sol quoque cum stellis nulla grauitate retentis,
Et vos Lunares exsiluistis equi.

vulgo *retentus.* Alio sensu *impedita cornua* tauri, ad aras adducendi, et vittis et sertis ornati dicuntur, apud Prudent. περὶ στεφ. X. vs. 1023.

Aut impeditis cornibus deducitur.

vbi et aliae editiones *impeditus*, sed perperam.

12 *Vocem hanc edidisse*] Nihil muto. Cicer. I. Tusc. *Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit.* I. de Diuin. 21. *vocem diuinam edidit Apollo*, vt recte Dauisius censet legendum, et ita ille saepius. Valer. Max. VI. IV. ext. 3. *Alexander illam vocem nobiliter edidit.* vide supr. ad fab. IX.

14 *Vtilia mihi quam fuerint*] Et hanc lectionem codicum auctoritate, et doctorum suffragatione firmatam, recipi posse existimo. neque ambiguam orationem faciunt, quia sequitur *quae despexeram.* nam aliter, *quam vtilia* esset inutilia, vt apud Terent. Andr. I. V. 52. vbi vid. Cl. Bentl. nescio vero quid mali commatis repererit in vltimo versu Illust. Heinsius: cum respondeat plane praecedentibus. an offendit *luctum habuerint* pro fecerint, vel importarint? vt fab. XXVIII. sed hoc vindicant ea, quae noto ad fab. XIX. an quia supervacuum videri potest, et ex priori versu satis intelligi possent, quae hoc versu exprimuntur, licet non esset adiectus.

FAB.

(13) FAB. XIII.

Vulpis et Coruus.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Serae dant poenas turpes poenitentiae.

FAB. XIII.

Similem fere fabulam de Gallo Gallinaceo, a Lupo comprehenso, est versibus descripta in Analect. Mabillonii p. 409. vbi cum Gallus laudasset Lupi vocem, et hic vellet eam ostendere, Gallus ex ore eius auolauit in arborem, et ibi eum derisit.

2 *Fere dat poenas turpi poenitentia*] Ita ediderunt Pithoeus, Meursius er alii, quod arripuit Cl. Bentleius, *dat* tantum mutans in plurale *dant*. sed aduersario eius non placet *fere*, quo numquam vsus Phaedrus, et ob alias caussas, quae videri possunt. ego cum illis facio, qui legunt,

Serae dant poenas turpes poenitentiae.

vel, *sera dant poenas turpes poenitentia*, nam *sera poenitentia* necessario requiritur, vt docent loca a Scheffero et aliis adducta. ita Seneca de Tranq. Anim. 3. *diuitibus opes suas metuentibus exprobrabat seram periculosae auaritiae poenitentiam.* Iorn. de Reb. Getic. cap. XXXI. *Sera poenitudine in campis munitiones efflagitant.* Valer. Max. VII. 11. Ext. 11. *Seram neglecti salubris consilii poenitentiam egit*, et eo possumus illa Ouidii trahere IV. Trist. IX. 2. qui amico promittit veniam, si poeniteat, etsi sero,

Nostraque vincetur lacrimis clementia seris,
Fac modo te pateat poenituisse tui.

Ipsa ergo illa poenitentia sera est poena, quae turpis est, quia peccantem quodam rubore suffundit, at aegritudine afficit. ipsa vero poenitentia non est turpis, sed poena, quia debuisset praecauere potius, quam post admissum sero poenitere. *dare vero poenas poenitentiae*, quod praeferrem, communi ratione dictum est, vt III. 16. *poenas oppetere superbiae*. et *pendere poenas erroris*. Valer. Max. VII. 11. Ext. 17. et Ouid. IV. Met. 669. *linguae poenam pendere.* et *subire poenas credulitatis*. XII. Ep. 120. inf. fab. XVII. *luere poenas maleficii*. et quae plura vbique obuia. *Fere* vero ideo minus probo, quia si pro *plerumque* ponatur, id saepe additur, vt Terent. Phorm. I. II. 39. *fere plerumque* dixit. vel si simpliciter ponatur, vt II. III. 16. *rari fere se continebat*, differre aliquid videtur: etsi enim explicant *plerumque*, notat ibi plus omni tempore, raro vel numquam in vrbem veniebat. vt illud quod Valla II. Eleg. 49. profert ex Cicerone, *Qui tum fere erat in ore*, id est semper omnibus. ita vt notet aliquid vniversale, quod subintelligatur. vt in aliis exemplis ab Heinsio adductis ad Ouid. Epist. XVIII. 59. Certe diuersam quamdam, licet nobis hodie parum distinctam et intellectam, esse a τῷ *plerumque* vim, vsus veterum ostendit. Et nos saepe verbis Latinis non proprie satis vtimur, vt si quis veterum excitatus ab inferis rediret, maxime saepe ridiculus illi appareret, qui hodie sibi maxime placet. adeo parum Latine scimus.

Cum de fenestra coruus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore;
5 Hunc vidit vulpis, deinde si coepit loqui:
O qui tuarum, corue, pennarum est nitor!
Quan-

3 *De fenestra*] Heinsius coniecit *canistro*, quam emendationem satis probabilem esse existimo: in canistris enim panis, edulia et coenarum etiam reliquiae reponebantur. Horatius apposite de mure, II. Sat. VI. vs. 104.

> *Multaque de magna superessent fercula coena:*
> *Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.*

Vbi Crucquius ita commentatur; *Canistrum sportula est, panibus, frustulis et reliquiis coenae excipiendis.* Ita et Virgil. Aeneid. I. vs. 701.

> *Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris Expediunt*

Valer. Flac. I. 253.

> —— —— *Exta ministri Rapta simul veribus, Cereremque dedere canistris.*

Iuuen. Sat. V. 74.

> *Vis tu consultis audax conuiua canistris Impleri.*

Stat. I. Theb. 523.

> —— —— *His cumulare canistris Praedomitam saxa Cererem.*

si quis *fenestram* velit tueri, capiat de tali in domus propolae pariete apertura, in qua cibi venales proponebantur, vel pendebant, vt lib. III. fab. 4. nam non satis constat hic agi de reliquiis coenae, sed de caseo, qui forte venalis expositus erat in tabernae cuiusdam fenestra. *Fenestram* vero de omni apertura, quae in parietibus est, sumi satis est notum.

5 *Hunc vidit vulpes*] *Vidit* non est mouendum. Aesop. fab. CCVIII. Ἀλώπηξ δὲ τοῦτον θεασαμένη. et ita Aphthonius et Anonym. *Deinde sic coepit loqui* non reiicio. nam et in ora codicis, quem habeo, ita ab Ant. Aemilio emendatum vidi, et nunc video placere Cl. Bentleio, et eius aemulo. miror autem et hic illa solemnia, *vt*, vel *cum*, nobis non obtrusa: praesertim cum et Anonym. habeat, *Vulpis hunc cum fuisset intuita, sic alloqui coepit.* et *sic* sequatur post *vidit*, quod etiam donatum est Phaedro sup. fab. 6. vbi non inueniebatur. potuisset enim facili negotio ita constitui versus,

> *Vt vidit vulpes hunc, dein (vel dehinc) sic coepit loqui.*

sed placeant nobis sana, et auctoris manum testantia.

6 *O qui*] *Quis* malebat Heinsius, et Anonymus. et sane perpetuo in his variant codices, et quamvis non multum interesse censeam, praeferrem tamen *qui*. ita apud Ouid. II. Art. 561.

> *Qui stupor hic, Menelae, fuit?*

III. Trist. XI. 5. ex MSS.

> *Qui gradus vlterior.*

IV. Trist. I. 23.

> *Qui me deceperit error.*

Val. Flac. IV. 704. vt ante Carrionem legebatur,

> —— *Heu! qui datus iste Deorum Sorte labor nobis?*

ad quae loca videndae notae nostrae, et Pierii ad Virg. VI. Aeneid. 561. qui et recte lib. IX. 723. *qui casus agat res*, ex auctoritate Charisii reponit, quod firmat Ouidii locus, XIV. Met. 502.

Qui

Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,

Amisit

— *Qui te casusue, deusue
Seruat, Achaemenide.*

sed infinita in hanc rem adduci possent. veteres certos fuisse elegantiae suae, et vbi *qui*, vbi *quis* praestaret, vsu fuisse doctos, existimo, licet nos saepe in his fluctuemus.

6 *Nitor*] *Vigor* habet Anonymus Nielantii, sed Romulus *nitor*. Heinsius etiam *pinnarum*: sed vtrumque vulgatum firmat. Ouid. II. Am. VI. 21. de Psittaco.

Tu poteras virides pennis hebetare smaragdos.

7 *Geris*] De vario vsu verbi *gerere* egimus ad Calpurn. Declam. XIII. sic fere Ouidius V. Met. 553. *Virginis ora gerere*, ad exemplum Virgilii I. Aen. 319.

Virginis os habitumque gerens.

8 *Prior ales*] Id est pulchrior. vt recte Axenius. Priapei. Carm. 45.

Num tandem prior es puella, quaeso?

ita *prima forma* Terent. Eunuch. III. 5. Et de quacumque re, quae aliis praestat. Flor. I. 16. *prius foedus*, non tempore, sed religione. et ita passim. vide ad Petron. cap. XI. Danetus hic notat, a Poëtis *alitem* frequentius dici masculino genere, rarius feminino sed puto haud facile hoc posse euinci. si enim enumerare vellemus loca, forte femininum genus vinceret, est vero adiectiuum, & ita *ales avis*, id est, alis instructa dicitur, vt *ales Fama* Claud. II. Stilic. 408. sic quoque obseruant Grammatici veteres ad Horat. Epod. X. in auguriis feminino genere vsurpari. et Lutatius ad Stat. III. Theb. 69. si malo de augurio agatur, sed si de bono, masculino; quod falsum docet ibidem Barthius. ego video saepe masculino genere sumi, vbi auis ipsius nomen est eiusdem generis, vt *ales cristatus*. Ouid. I. Fast. 455. id est Gallus. *Ales Caystrius*, Olor. V. Trist. I. 11. contra *ales Iunonia*, pauo. *Regia*, aquila: *Chaonis* columba etc. Ouidius tamen de Psittaco agens II. Amor. VI. bis feminino genere vtitur, vt *ales imitatrix*, *rara*: et contra *ales Phoebeia* coruus dicitur Silio Ital. V. 78. cum masculino genere Ouidio *ales Phoebeius*, et Apuleio vocetur. quare in Poëtis haec non debemus nimis subtiliter exsequi; et hic, cum praecessisset *nulla*, sequitur *at ille stultus*. quam dicemus huius variationis caussam? nescio, sed quod forte nos ignoramus, sciuerunt antiqui.

9 *At ille stultus*] Varia hic tentant viri docti, quibus displicet *stultus*. sed mihi locum suum tueri posse videtur, cum mox *corui stupor*, respondeat, et deinde fab. XV. similiter, *at ille lentus*: illud *latiorem*, puto a Glossatoribus profectum esse, qui crediderunt hoc requiri epitheton, et simul depravatum credo ex *altiorem*, dum sibi persuadent, coruum voluisse totis viribus vocem tollere: sed ad fraudem sufficiebat, si modo aperiret os, vt factum fuit. et hinc quoque Heinsio natum illud *intendere*. qui etiam de magna voce hic agi credebat; sed *ostendere* est ostentare, iactare, vt apud Virg. V. Aeneid. 376.

Ostenditque humeros latos.

vbi

10 Amisit ore caseum, quem celeriter
Dolosa vulpis auidis rapuit dentibus.

Tum

vbi Seruius male Virgilium reprehendit. et vnde patet, quam inconcinne Gebhard. III. Crep. 10. voluerit hic legi, *voce os tendere.* sic fere lib. V. fab. 5. *nouitatem ostendere.*

10 *Emisit ore caseum*] Saepe verba composita, et cognata eamdem videntur vim habere, et ita promiscue vsurpantur, vt fere haereas, quod ex iis eligas. sic *emittere, amittere, omittere*, in re simili, quam noster hac fabella tractat, saepe occurrunt, et in MSS. permutantur, vt nescias, quid praeferas. *Emittere* tamen vsurpari videmus, vbi volentes, et conscii facti nostri, aliquid aut e manu, aut ex ore, vt vocem, aut oculis, vt lacrimas, mittimus. sed *amittere*, vbi quasi imprudentibus et insciis, et inuitis aut negligentibus aliquid elabitur, vt Apulej. Florid. XXIII. in hac ipsa fabula, *quod volatu pepererat, cantu amisit*, vbi forte legendum, *praeceperat*, vel *ceperat*: eodem modo etiam Curtius de Coruo verba faciens lib. IV. cap. 6. *Forte praeteruolans glebam, quam vnguibus ferebat, subito amisit.* et lib. IX. cap. 26. *nolite maturos fructus per inertiam amittere e manibus.* sic et Apulej. VI. Metam. 13. *vt vel vnam de manibus amittat offulam.* Ad quem locum vide Pricaeum. Cicer. III. Verr. 13. *cum rem de manibus amisisses.* Apud Lucretium IV. 507. Lambinus legit,

Quam manibus manifesta suis amittere quaequam.

pro *emittere*, et egregie vindicauit. Nec puto litare vero genio Latinitatis Muretum et Acidalium, qui apud Auctorem Dialogi de Orat. cap. V. pro *amittit studium*, legere volunt *emittit*, nam et Cicero, Liuius, Caesar et alii passim scribunt *amittere occasionem*, et similia: ita apud Suet. Galb. 10. *amittere* quidam, alii *omittere occasionem.* vid. et Terent. Eun. II. V. 58. Apud Ouidium eadem varietas XV. Met. 649.

—— —— *multi renuere, suamque*
Non emittere opem, nec numina tradere suadent,

vbi nos praeferimus *amittere*, quod in multis inuenitur scriptis codicibus. *emittere* ergo hinc remouemus, quia non sponte credendum est coruum emisisse caseum, qui decepto et imprudenti elapsus est. sed an non praestaret *omisit*, dubitationem posset iniicere Acron ad Horat. II. Sat. V. vs. 56. vbi ad hanc eamdem fabulam, quam respexerat in versibus suis Horatius, commentatur his verbis; *Coruus cum praedam ore portaret, laudatus a vulpe, quod bonam vocem haberet, clamare incipiens, omissam praedam perdit.* Et Septimius (Dictyn Cretensem vocant) lib. V. cap. 7. *Auis aquila stridore magno immittit se, atque extorum partem eripit, moxque superuolans ad naues Graecorum pergit, ibique raptum omittit.* apud Curt. VI. 1. 10. est scriptura dubia, *amittere* an *omittere spem.* et apud Terent. Adelph. V. 8. *non omittis?* dicit Micio Aeschino, qui manibus eum tenebat. Senec. Agamemn. 141. *proinde omisi regimen e manibus meis.* quibus vltimis locis aliquid voluntate sua dimittentis innui videtur. Sed videtur etiam dici de eo, qui metu, vel vi aliquid quod tenet, elabi sinat. vt apud Liuium VII. 39. *sarcinae omissae*, in caede occurrunt. et Ouid. II. Amor. I. 17.

—— —— *Ego cum Ioue fulmen omisi.*

vbi plura notauimus.

Tum demum ingemuit Corui deceptus stupor.
Hac re probatur, ingenium quantum valet,
Virtute & semper praeualet sapientia.

(14) FAB. XIV.

Ex Sutore Medicus.

Malus cum sutor, inopia deperditus,

Medici-

12 *Corui stupor*] Immerito haec Heinsio suspecta sunt visa, et mos Phaedri, et exempla tot huiusmodi locutionum prolata vindicant satis lectionem vulgatam. quibus accedat Senec. Suasor. II. *Corui stuporis testimonium reddendum.*

13 *Hac re probatur etc.*] Hos duos versus delendos, vt spurios, notauit ad marginem Heinsius, quia Phaedrus, quo fabulae suae pertineant, saepe ante ipsam narrationem, raro post narratam prodit fabulam, non vero vtroque simul loco, et versum priorem eiecit, duce Gudio, ex sua editione Hoogstratanus. Heinsii sententiam sequuntur Bentleius et eius aduersarius. nos, licet non multum placeant hi versus, tantum nobis tamen non permittimus, sed cum Neueleto transpositione mederi aliquantum versui primo credimus, alteri sucurrerunt viri docti legendo, *virtuti praeualet*: nam et in codice Pithoei deest. Sed vt candide agamus, *virtuti* quis aptus hic locus sit, vix video: nam eam frustra in coruo quaeras. praeterea *valet* praecedenti, et deinde *praevalet* sequenti versu offendit aures. ego primo versiculo veniam dari, sed secundum facile abire paterer. Gallicus interpres vertit, quasi *virtute* esset pro instrumento, per quod sapientia praeualet. *que la sagesse tousjours la plus forte.* eius censor *sapientiam* pro astutia, calliditate capit, vt apud Graecos σοφία. sed de Latina voce id probari deberet. contra in comoediis seruos numquam sapientes, sed callidos induci notum est: noster hoc sensu *peritos* vocat I. fab. 23. vbi Gallicus, *hommes sages.*

FAB. XIV.

1 *Malus*] Artis suae imperitus. sic *malus medicus* Cicer. IV. ad Fam. 5. et Senec. I. de Clement. 17. ita et Κακὸς ἰατρὸς Aeschyl. Prometh. 472. et contra *bonus sutor* Horat. I. Sat. 3. *malus citharoedus* Suet. Ner. 40.

1 *Inopia deperditus*] Cicer. de Prouin. Consf. c. 5. *non solum bona, sed etiam honestatem miseri deperdiderunt.* Val. Max. VII. III. 8. *amore scorti deperditus.* Cl. Bentleius vero *proterritus* hic supponit, quod vi et terrore aliquem pulsum ex loco, quem tenebat, notat, quod hic locum nullum habere recte animaduertit Vir doctissimus. *proterrere* enim est iniecto terrore in fugam dare. Apulei. IV. Met. *facies versae mediis aedibus discurrentis ad proterrendos, si qui de familia forte vigilassent, videbatur opportuna. quis enim, quamuis fortis et intrepidus, immani forma tantae bestiae, nocte praesertim, visitata non se ad fugam*

Medicinam ignoto facere coepisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisiuit sibi famam strophis.
5 Hic cum iaceret morbo confectus graui
Rex

fugam statim concitaret. et lib. VIII. *plerique ardentibus facibus proterrebant feras.* Et ita in duobus Plauti et Terentii locis, quae Lexica suppeditant, capi debet, vbi quis alterius opera, auaritia, vi et via peruulgata patrum cogitur fugere patriam; hic vero sponte sutor, videns se, imperitia suae artis nobilem, quaestum amplius facere non posse, deserit patriam, sperans se ignoto loco medicum posse agere, et rem facere. *Vertens* vero *solum*, quae altera est coniectura, longe discedit a manu Phaedri. nec magis ex sequentibus *ignoto loco*, elucescit sententia, si legas *vertit solum*, quam si *inopia deperditus.* nam nemo, credo, vmquam sensu communi praeditus illa aliter cepit, quam vt in patria perditus inopia fuerit, et hinc mutans eam abierit in ignotum locum. immo *ignoto loco* dicendo, adfirmat iam Phaedrus notum reliquisse et mutasse.

2 *Medicinam facere*] Aliter hic capit Schefferus atque supra fab. 8. vbi est adhibere, dare medicamentum; hic vero exercere artem medicam: vt ita *facere lenocinium* Suet. Calig. 40. *Lauam facere* Ouid. VI. Met. 31. et Epigr. Vet. Pithoei pag. 121. *Barbatoriam facere* Petron. cap. LXXIII. ita enim malo nunc exponere, pro artificium tonsoris exercere. sic *topiariam facere* Cicer. III. ad Q. F. 1. *Nauicula-riam facere* IV. Ver. 18. vbi vide Cl. Graev. et Cap. 59. *Argentariam facere* et similia: dubium tamen inicit sequens versus, *et venditaret falso antidotum nomine.* nam puto falsum nomen indidisse medicamento, quod noto nomine, sc. *antidoti*, venditabat, et cuius laudes et vires nimis efferebat, quare forte *medicinam facere* hic eodem sensu, vt fab. 8. possit capi. et subintelligi *hominibus*, ignoto illo in loco, id est, vbi illum ignorabant, habitantibus, et quibus medicamentum suum venditabat, quasi esset antidotum, cum nihil minus esset. sed tum legendum foret

Et venditaret falso antidoti nomine.

si vero retinenda est vulgata, ita construendum, et *venditaret antidotum, falso nomine*, hoc est quod falsum nomen haberet, et re vera non esset antidotum. vt ablatiuos illos addi substantiuis nominibus saepe vidimus.

4 *Strophis*] Martial. III. Epigr. 7. *Nihil stropharum est: iam salarium dandum est.*

Senec. Epist. XXVI. *compono me ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis de me indicaturus sum.* Hinc adiectiuum *Strofosus*, quod in Glossario δόλιος exponitur.

5 *Hic cum iaceret*] Thomas Barthol. de medicina Danor. Domest. Dissert. X. pag. 455. contendit pronomen esse *hic*, et de ipso sutore capi, qui morbo confectus gravi iacebat, et quem Rex iussit antidoto mixtum toxicum, vt simulaverat, bibere. et ita cepit Gallicus interpres, arguente eum, qui notas in eius versionem edidit: reliqui interpretes, Regem aegrotasse crediderunt: et sane *scyphum poposcit*, posse videri aegroti esse, qui medicamen-

Rex vrbis, eius experiendi gratia
Scyphum popofcit, fufa dein fimulans aqua
Antidoto mifcere illius fe toxicum,
Hoc bibere iuffit ipfum, pofito praemio.

Timore

camentum ex eo 'biberet; nam in eo Antidotum fuiffe verofimile eft, cui rex fuperfudit aquam, fimulans fe ipfum toxicum mifcere antidoto, et tunc iuffit medicum ipfum ebibere, vt experiretur eum. et praeterea verofimilius videtur hunc, Medicum fe profitentem, a rege aduocatum fuiffe, quam regem ad aegrotantem furorem acceffiffe. Alii *hic* pofitum pro temporis nota fumunt, pro *tunc*, cum iam famam fibi acquifiuiffet ftrophis, rex iacebat morbo confectus. vt nofter II. VIII. 5. et alibi. et vtrumque *hic tum* lib. V. fab. 10. vid. Scheffer. et Axen. et ita Valer. Max. I. VII. Ext. I. *Hic dux*, *Italiae vides*, *inquit*, *vaftitatem*. Ouid. II. Met. 126.

Si potes, *hic faltem monitis parere paternis.*

et ita paffim Virgilius, Terentius et alii: vide ad Valer. Flac. I. 535. fed, vt verum fatear, iterum dubius haereo. nam *concionem aduocare*, vix regi, morbo confecto graui, conuenire videtur. nifi dicamus vocem *concionem* hic non effe ita proprie fumendam, vt totum populum ad concionem vocaverit, fed quosdam. quos audierat fe commififfe ifti medico imperito et impudenti: vel certe magiftratus vrbis et fenatores, quos in cubiculum conuenire iuffit ita Iuftin. II. 15. *Concionem adiit*, quod Nepos in Them. 7. *Magiftratum* et *fenatum* dicit.

9 *Hoc bibere*] Quia in MSS. dicitur prima vox deeffe, vnusquifque pro arbitrio fupplere voluit. vulgo *hoc bibere*. Heinfius *obbibere* quod verbum & in antiquis Ciceronis editionibus I. Tufc. 40. reperitur; fed poftea eo expulfo ex MSS. reduxerunt, *obduxiffet*. quod defendunt Victorius et Schottus ad Aurel. Victor de Viris Illuft. cap. LXXVI. et ita Senec. Troad. 1163.

—— —— —— obduxit ftatim,
Saeuusque totum fanguinem tumulus bibit.

et de Socrate, venenum bibente, Seneca de Prouid. III. *qui potionem publice mixtam non aliter quam medicamentum mortalitatis obduxit.* Ita *obforbere* apud Hygin. fab. CXXV. recte tuetur Munckerus. *Obbibere* etiam forte Ouidio reddi poffet III. Art. Amat. 763. vbi codices fcripti, *Hoc bibe qua patiens caput eft*, et legi, *obbibe*. Richterus in fpecimine Obferu. Critic. per caras fibi Mufas iurat, malle *ebibere*, et in praefatione editionis fuae peritare fe ait in eo, et magis adhuc probare, ob caufam, quam ibi reddit, et quia viris doctis approbatam vidit, aufus eft in contextum recipere. Hoc vero ex loco Ciceronis dicto potuit arripere, vbi etiam in quibusdam codicibus *ebibiffet*, et hoc quoque (quod gloriofum Richtero duco) ita Bentleio placuit, vt in ipfum textum intruferit. fed hoc eft pro libidine cuncta mutare. difplicuit etiam Gronouio, vt omnia ab Heinfio profecta, *obbibere*, quia non verifimile ipfi videbatur ex integra voce priorem fyllabam euanuiffe, non magis quam reliqua initia aliorum verfuum. Quam vero firma fit haec

10 Timore mortis ille tum confessus est,
Non artis vlla medicae se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem,

Rex

haec argumentandi ratio norunt, qui sciunt Phaedri fabulas olim non per versus dispositas, sed continuo sermone conscriptas fuisse a Monachis, vt ex Nielantii, Rimicii et aliorum fabulis apparet, quas varie etiam interpolarunt. ita vt haec corruptela primarum literarum in versibus Phaedri parum verosimilis appareat: et si iam hoc factum sit, neque *ebibere* poterit inde effici. nam et huius syllaba prima per correctores inuehitur, nec fuit in antiquis exemplaribus. Recte tamen docet vltimam syllabam in *toxicum* potuisse absorbere sequentis vocis primam, vnde ille facit *tum bibere*. sed quae haec scabrities, *deinde simulans etc. tum bibere iussit*, et mox seq. iterum versu repetere *tum*, *ille tum confessus*. An non mollius, *toxicum combibere iussit?* vt Horat. I. Od. 37. *Vt atrum corpore combiberet venenum.* Ouid. VII. Met. 287.

— replet succis, quos postquam combibit Aeson.
Aut ore acceptos, aut vulnere.

XIII. 944.

Vix bene combiberant ignotos guttura succos.

vt tamen verum fatear; his omnibus incertis coniecturis missis, puto vulgatam seruari posse; quia *iubere bibere*, *dare bibere* fere sollemnes sunt locutiones. sic de veneno, monente Gronouio, Iustin. XXXIX. 2. *Grypus, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam iussit, abnuenti instat.* et *bibere venenum* centies occurrit, vt apud Mart. VI. 78. et 92. et alibi: ceterum inquirant medici, an toxicum ipsi antidoto miscere moris fuerit, an post venenum, separatim antidotum dederint. Haec ad nostra studia non pertinere scio. velim tamen scire, an ratio Phaedro ita loquenti constiterit, ex Medicorum scitis.

9 *Posito praemio*] Nec hoc in *proposito* mutari, nec ideo ordinem verborum turbari velim. nam *ponere praemium* satis vindicant exempla a doctis adducta, quibus adde Iul. Obseq. LXXXV. *Quae auis praemio posito, ab ancupe capta.* Terent. Hecyr. IV. II. 8. *vt apud me praemium esse positum pietati scias.* vt legendum, non *pietatis*. nec datiuus tam a *praemium*, quam a *positum* pendet. et hinc ludi, in quibus palma posita erat, θεματικοὶ vid. Comm. ad Marm. Oxon. pag. III. Matt. Spect, 29.

Lex erat ad digitum posita concurrere palma.

Terent. Prol. Phorm. 17. *In medio omnibus Palmam esse positam.* et centies alibi: non ideo tamen aliis in locis *propositum praemium* est mutandum, vt lib. V. fab. 5. et Val. Max. VI. VIII. 2. *cum magna sibi praemia proposita videret.* Liuius XXIII. 18. *posteaquam corona aurea muralis proposita est.* Nep. Ages. 3. *praemia proposuit.* et ita Theocr. Idyl. VIII. vs. 11. χρήσδεις καταθεῖναι ἄεθλον. vtrumque enim exemplis pluribus se tuetur.

11 *Artis ulla medicum se prudentia*] Indubitata Heinsii emendatio, *medicae*. ita enim fere semper auctores solent loqui. Hygin. fab. CI. *Quibus Achilles respondit, se artem medicam non nosse*, Ouid. II. Met. 618. de Apolline.

— *Medi-*

Rex aduocata concione haec edidit:
Quantae putatis esse vos dementiae,
15 Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?
Hoc pertinere ad illos vere dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

FAB.

— *Medicas exercet inaniter artes.* V. Epist. 145.

— *Medicas mihi tradidit artes.*

et ita idem Poëta aliquoties, qui et *artem medendi* dixit II. Art. 735. et VIII. Met. 526. Apposite ad mentem huius loci Curtius VII. 4. *Artis magicae magis professione, quam scientia celeber: prudentia* vero pro peritia, scientia, vt idem Ouid. V. Ep. 150.

Deficior prudens artis ab arte mea.

13 *Aduocata concione*] Et haec propria locutio. Frontin. I. XII. 10. *Pericles aduocata concione, ignem excussit.* et cap. VIII. 5. *Concione aduocata aptari milites iussit ad pugnam.* et saepe Liuius & alii.

13 *Haec edidit*] Ita obsecuti Cl. Gronouio edidimus. vid. ad fab. XII. *addidit* tamen, non extra veri speciem, confirmari inde putat Cl. Wolfius, quia procul dubio prius ipsum sutorem coëgit publice confiteri, quae priuatim regi erat confessus, vel ipse ea concioni exposuit. nec Phaedrus solet omnia exsequi, vt saepe monuimus. illa vero verba *edere* et *addere* sollemniter librarii confuderunt. vt apud Virgil. V. Aen. 799.

Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti.

vbi alii codices *addidit*. et contra apud Ouid. XIII. Met. 586.

Lacrimisque has addere voces.

vitiose quidam *edere*. et ita passim.

14 *Quantae dementiae*] Elegantissimus vsus ille genitiui pro, quam dementes vos esse putatis. vt ita Quintil. Decl. IX. 21. *Puter cuius pietatis es.* vid. ad Declam. VIII. 3. et Cort. ad Sallust. Catil. LI. §. 23.

17 *Hoc pertinere vere*] Vt ingrata eiusdem soni repetitio vitetur, rectius legeretur,

Hoc pertinere ad illos vere dixerim.

vt *vere* cum τῷ *dixerim* coniungeretur: vt Terent. Adelph. I. I. 3. *Vere hoc dicunt.* et V. VIII. 32. *dictum est vere.* et ita tolletur scrupulus viri docti, qui *vere* nihil ad sententiam hic conferre credit, et ideo *vero* rescribi velit. quamquam et vulgata defendi possit ex illis Terent. Andr. V. III. 14. *Eodem die istuc verbum vere in te accidit.* sed malo, *vere dixerim.* nam ita mox fab. seq. *Id esse verum, parua haec fabella indicat.*

18 *Quorum stultitia quaestus impudentiae est.*] Hanc nos a multis probatam lectionem recepimus, et fere eam iam locum suum obtinere crediderāmus, nisi quod Cl. Gronouius, et nunc vir doctus *stultitia* nominatiuo casu positum credant. eo sensu, vt ipsa stultitia et imperitia, sit quaestus, id est quaestum praebeat, impudentibus. ad quod asserendum potuissent adducere Claudian. I. de Laud. Stilic. 99.

(15) FAB. XV.

Asinus ad senem Pastorem.

In principatu commutando ciuium,
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id

— — — — *Hector*
Irato vindicta fuit, vel quaestus
Achilli.

sed ipsi diffidunt huic expositioni, et *quaestui* mallent legere. *quaestui* autem esse dicuntur homines, ex quibus alii quaestum capiunt: vt Liv. IV. 30. de sacrificulis, *quibus quaestui sunt capti superstitionibus animi*: hanc etiam lectionem Richterus praefert, et in contextum recepit, approbante Heumanno. sed durus ille concursus duorum datiuorum: quare *stultitia*, ego ablatiui casus esse puto, et hunc sensum; quorum stultitia, id est, ex quorum stultitia, vel per quorum stultitiam, est quaestus impudentibus, id est, lucrantur impudentes. ita Liuius XXV. I. *et quaestus ex alieno errore facilis est*. quae firmare etiam possent Heinsianam emendationem, *quorum e stultitia*. Apposite vero ad hos impostores Valer. Max. I. cap. III. de Chaldaeis. *Leuibus et ineptis ingeniis* (id est *stultis* Phaedri nostri) *fallaci siderum interpretatione, quaestuosam mendaciis suis caliginem iniicientes.*

FAB. XV.

2 *Nil praeter domini nomen mutant pauperes*] Vexatus et hic locus, aliis *mores*, aliis *sortem*, aliis aliter legentibus. Ego *nomen* retinui, quia nullus sensus esset, si legatur, *nil praeter domini mores mutant pauperes*, cum pauperes possent suos mores, non domini mutare, sed dominorum nouorum mores possunt facile mutatos deprehendere. quare alii, *propter domini mores* malebant, aut *praeter dominum more mutant*, vt Heinsius. sed haec fabula manifeste docet, pauperes non mutare mores, neque suos, neque dominorum mutatos videre. nam rogabat asinus, an victor binas clitellas esset impositurus, quod negat senex. sed illum, nouum dominum, iisdem moribus fore, quibus prior: et pauperes aeque miseros futuros, atque antehac: sed reuera *nomen* principum et potentium mutant in conuersionibus rerumpb. pauperes; et cauillatio est de regibus et Ptolemaeis, aliisque eiusdem nominis succedentibus. Hic enim non agitur de regno, sed de *Principatu ciuium*, vt fuit in concertationibus ciuilibus, vt inter Syllam et Marium, Pompejum et Caesarem, et vltimo inter Antonium et Augustum, quorum quis vinceret et praeualeret parum pauperum intererat, et an illi Consules, an Dictatores, an Imperatores, Augusti, Principes, Patriae patres etc. vocarentur, an etiam Pompejus, an Caesar, an Augustus, an Antonius vincerent, cum ab omnibus aeque premerentur. sed intererat maxime diuitum et factiosorum, quia illi cum duce suae factionis, vel dominantur vel succumbunt: pauperes ergo mutant tantum nomen, non mores, nec refert quibus seruiant, dum iugum semper portent. In Regnis contra pauperes saepe vident mutari mores dominantium, per successiones, quia magis ab hoc, quam ab *illo* Rege premun-
tur,

Id esse verum, parua haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat senex.
5 Is, hostium clamore subito territus,
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.

tur, aut subleuantur. Ita vt rarum aliquid notat Iustin. XI. 1. Macedonas, mortuo Philippo, in Alexandro *corpus hominis, non virtutem*, (id est mores,) *regis mutasse se* dixisse. id est, nihil diuersitatis in moribus vtriusque deprehendisse: pertinet ergo illa mutatio regnorum ad omnes, diuites et pauperes, ciuitatium vero liberarum tantum ad diuites et potentes, non aeque ad pauperes, quibus nulla incrementa honorum aut dignitatum ex vicissitudine sperari possunt, sed aeque miseri sunt et manent: Diuites et potentes vel caedibus vel exsilio partium fortunas luunt, vel ex victoria gaudium ac praemia amplissima capiunt. ita Cicero XIV. ad Att. Ep. 14. *Quid mihi attulit ista domini mutatio, praeter laetitiam.* egregie apud Stat. IV. Theb. 78. inter eos, qui Polynici auxilium ferunt, spe praedae et dignitatum, illos enumerat, *quis mutare potentes praecipuum:* et idem fere dicit lib. IV. fab. 5. noster

Quemcumque populum tristis euentus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili praesidio latet.

4 *Timidus pascebat senex.*] Cum nullum aptius sit seni epitheton, nescio quid in mentem venerit viris doctis, vel *tumidus*, vel *quidam* supponere, de quo Phaedrus numquam cogitauit. non tamen ideo repudiari debet, quia *quidam* semper a Phaedro adiectiuo, non substantiuo iungitur. Quid enim est, quaeso, *senex* nisi adiectiuum? aeque ac *maritus, garrulus, petulans,* quibus omnibus *vir*, aut *homo* subest.

6 *Suadebat asino fugere*] Ita adhuc omnes ediderunt: mihi autem persuasum fere est, Phaedrum scripsisse, *suadebat asinum fugere:* imitatur enim saepe noster Virgilium suum, qui eodem modo lib. X. Aeneid. vs. 10.

——— *Quis metus aut hos,*
Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?

Nec audiendus Seruius, qui σολοικοειδὲν esse putat, *hos suasit*. Ita enim veteres frequenter locuti sunt: siue infinitiuus sequatur, siue omittatur. sic apud Ouid. II. Trist. 314. ex MSS.

Curue meus quemquam suadet amare liber?

Virgil. X. Aeneid. 366. ex Codicibus etiam,

Aspera quos natura loci dimittere quando
Suasit equos.

Terent. Hecyr. III. 5.

Me pietas matris potius commoda suadet sequi.

Eadem ratione apud Curtium lib. VII. 11. *Cophas admissus suadere coepit Arimazen petram tradere*, libentius legerem, quia in MS. mox sequitur, *gratiam regis initurus*, vbi cum Sebisio legendum, *initurum.* Tertullianus lib. I. de Cultu Femin. cap. 1. *Tu es, qui eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit.* Ita enim ibi legendum recte monuit

At ille lentus: quaeſo, num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negauit. Ergo quid refert mea,
10 Cui ſeruiam? clitellas dum portem meas.

nuit Barth. ad Claudian. Conſ. Manl. vſ. 212. Apulej. lib. IX. Metam. *Tunc vxorem eius tacite ſuaſi, ac denique perſuaſi ſecedere paululum.* Ita ibi quoque legendum credo. Eadem conſtructione compoſitum *perſuadere* ſaepe reperitur. vt in loco Ennii apud Seruium ad verba Virgilii modo adducta, *Quis te perſuaſit.* Ouid. Epiſt. XVII. 185. ex Regio et Oxonienſi codicibus.

Quam male perſuades; vtinam bene cogere poſſes.

Petron. cap. XLVI. *Aliqua die te perſuadeam.* et cap. LXXII. *perſuadeo hoſpitem noſtrum.* Haec omnia audaciorem aliquem inducerent, vt lectoribus haec pro vera lectione obtruderet, et in textum reciperet, ſed ego contentus ſuſpicionem meam indicaſſe, a vulgatis mutandis abſtineo. *Fugere* vero hic poſitum eſt, pro fugiendum eſſe, vel fugam. vt Iuſt. II. 11. *perſuaſis mori*, de qua locutione vide Cl. Gronov. ad Liv. II. 5. Quinctil. II. 1. ex MS. *optime finire credo.* vbi vide quae notamus. et ita capi etiam poſſe, *docet dari* lib. V. 3. notauimus.

6 *Ne poſſent capi*] De hac forma loquendi, pro ne caperentur, vide Pricaeum ad Lucae Euang. XVI. 2. et ad Apulej. Mileſ. II. pag. 129. et lib. IX. 570. et Torrent. ad Horat. III. Od. III. 43. qui Poëtis hanc venuſtiſſimam loquendi rationem vitatam notat. Adde Gronov. ad Liv. XXXII. 13. Paſſerat. ad Propert. pag. 425. Tennul. et Keuchen. ad Front. I. VII. 7. Neſcio autem quare *poſſet* hic debeat reponi. ſine dubio enim ſenex aeque fugae conſilium ceperat, ac ſuadebat aſino. ſed quia *τὸ timidus* fuit reiectum, hoc quoque mutari debuit. ſed manet tamen, *territus ſubito clamore hoſtium;* an ergo territi non fugere ſolent? ſuadet ergo aſino, vt ſuum exemplum ſequeretur, et euaderent ambo ſimul. nam dominus aſelli erat ſenex, qui certe nollet, ſeruato per fugam aſino, in manus hoſtium ipſe deuenire.

7 *At ille lentus*] Epitheton *χαρακτηρίζον*, aeque ac modo *timidus.* lentus enim natura, his adhortationibus nihil celerius it, imo nec verberibus cogi ſaepe poteſt, vt citius eat. Ouid. II. Amor. VII. 15.

Adſpice, vt auritus miſerandae ſortis aſellus,
Adſiduo domitus verbere lentus eat.

vbi vide Heinſii notas: ita *tarda mula.* III, 6.

FAB.

(16) FAB. XVI.

Ceruus et Ouis.

Fraudator nomen quum locat sponsu improbo,

D 3 Non

FAB. XVI.

1 *Fraudator nomen quum locat sponsu improbo.*] Nullus vexatior variis coniecturis locus in toto Phaedro, vt ex omnium notis patet. Versauit etiam varie haec verba Heinsius. nam et coniiciebat,

> *Cum fraudulentos aduocas sponsu improbos,*
> *Non te expedire, sed male audire expetis.*

vel

> *Fraudator nomen cum obligat sponsu improbo,*
> *Non se expedire, sed malum dare expetit.*

Ego credideram olim commodiorem sensum emersurum, si legeretur hoc modo,

> *Fraudator hominem cum vocat sponsum improbum*
> *Non rem expedire, sed mala videre* (vel *malum dare*) *expetit.*

quam non displicere coniecturam Cl. Bentlejo vehementer mihi gratulor. Videtur autem haec esse sententia: Fraudator, qui petit pecuniam mutuam, et allegat sponsorem improbum et malum, sine dubio molitur fraudem, et decepturus est creditorem. *Sponsum vocare* (quod non intellectum fraudi fuit interpretibus) est propria et sollemnis in hac re locutio, et idem valet, quod iubere aliquem fidem pro se interponere et cauere, rogare aliquem vt pro nobis spondeat. Horat. II. Epist. II. 67.

> *Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis*
> *Omnibus officiis.*

Et ita *sponsum mittere* pro ad spondendum in loco Ouidii, a Cl. Gronouio laudato, accipiendum est. eodem modo Graecos dixisse *κελεύειν ἀναδέχεσθαι* docuit Casaub. ad Theophr. *περὶ ἀκαιρίας*. Senec. IV. de Benef. 39. *Sponsum descendam, quia promisi.* id est, quia vocatus ab amico sponsum sum. sic *ducere quaestum* lib. III. fab. 20. *Oratum mittere.* IV. fab. 17. Sallust. Iugurt. 20. *quaestum mittere*, vbi vide Cortii notas. *Hominem improbum* vero dixit more suo et familiari locutione. inf. fab. XIX. *homo malus.* XXI. *homo improbus*, fab. XXXV. *homo bilinguis*, et alibi, vbi *Homo* pro aliquo, quodam, et indefinito ponitur; vt Cl. Bentlejus fab. proxima volebat, *quidam senex.* Vid. ad lib. IV. 8. Quod vero quis dicat, *Fraudatoris* titulum non recte Ceruo conuenire, animali minime fraudulento: certe si comparetur Oui, simplicissimae et innocentissimae bestiae, facile apparet, posse ceruum ei insidias struere, et velocitate pedum tardum animal et inerme praeuertere. *Vocare* vero cum *locare* centies a librariis confundi solet, vt docuit iam Douza filius ad Catull. cap. XI. sic etiam variant codices apud Lucan. VII. 815.

> — *Quocumque tuam fortuna vocabit,*
> *Hae quoque eant animae.*

vbi multi *locabit.* Vitiosum et hoc verbum *locare* apud Manil. I. 244. puto,

> *Et cum luce refert operum vadimonia terris,*

Nos.

Non rem expedire, sed mala videre expetit.

Quem

Nos in nocte sumus, somnosque in membra locamus.

Quod merito Latine dici negauit Scaliger, nec merebatur ab Huetio obsoletissimarum locutionum exemplo defendi. lege *vocamus.* nec multum ab hac locutione differt illa Ouidii II. Met. 235.

Sanguine tunc, credunt, in corpora summa vocato,
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.

confuderunt iterum *locare* et *vocare* apud Manil. III. vs. 70. Richterus in specimine Animadv. violentam, vt fere solent, qui non vsu periti et sine praesidio et vsu codicum criticam exercent, adhibet manum huic loco desperato, et legit,

Fraudator homo aliqua rogans sponsore improbo.

per me licet, sibi tam scrabro versu et subsiliente placear. sed factum bene! in praefatione editionis Phaedri suae, hac damnata, profert aliam Heumanni,

Fraudator homo rogat quum sponsore improbo,
Non rem expedire, sed mala reddere expetit.

quam tamen ipse non probare videtur. nec ego immorabor illi refutandae. in secundo versu si vulgatum, *mala videre*, retinere placet, exponi debet *videre* per procurare, de qua verbi significatione vide Heins. ad Ouid. I. Art. Amat. vs 587. et Victor. ad Cicer. ad Att. V. Ep. I. et quem in vsum adduci solet ex III. Tusc. Quaest. *aliquid videamus cibi*, vbi in recentioribus editionibus est *prouideamus.* sed quia id mihi durius hoc loco semper visum fuit, molliorem credo Gronouii correctionem, *malum dare.* Terent. Andr. I. I. 116. *Qui dederit damnum aut malum.* Cicer. II. Verr. 10. *Cohors tota illa tua, quae plus mali Siciliae dedit, quam si centum cohortes fugitiuorum fuissent.* *Animat* et *male ridere*, quod Cl. Gronouius, qui mauult Phaedrum legere quam inuenta aliorum, profert, nemini adhuc vidi placuisse: *animare* enim eo sensu, pro inducere vt libenter pecuniam foenori det, an Latine dicatur nescio, et non potius Gallicismum redoleat. *male ridere* ex Schefferi notis subnatum videtur, qui *mala ridere* corrigebat. *rem* vero *expedire* recte idem vir doctus explicuit, aliter ac Gudius volebat. idem enim est ac negotium illud, quod sub manu est, ita administrare, vt postea nullae lites, et inde damna creditori aut debitori oriantur. sic fraudator, qui pecuniam petit sponsore improbo, non id intendit, vt expeditum, sine lite, sit negotium, sed vt creditor deinde cum repetat, implicetur cum debitore et eius sponsore variis controuersiis, et eorum tergiuersatione, mora et latentium fuga, malum siue damnum sentiat. sic Plaut. Poenul. III. V. 3.

Qui in re diuina dudum dicebant, mihi
Malum damnumue maximum portendier,
Is explicaui rem meam postilla lucro.

Ita *negotia expedita.* Cicer. I. ad Fam. 3. quae nullis litibus, ob vsuras earumque exactiones, et debitorum inficiationes et moras, implicita sunt. Ita *expedire nomen* Suet. III. Gram. I. *expedire pecunias* ICtus l. 31. ff. de re iudicata. Suet. Tiber. XLVIII. *nec res expediretur.* Galli, et nos eorum exemplo, negotia *liquida* dicere solemus:

Ouem rogabat Ceruus modium tritici,
Lupo sponsore: at illa, praemetuens doli:
5 Rapere atque abire semper adsueuit lupus,
Tu de conspectu fugere veloci impetu:
Vbi vos requiram, quum dies aduenerit?

mus: in alia re Cicero etiam II. de Off. 9. dixit, *cum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem, et consilium ex tempore capere posse.* Errant ergo, qui ex Gudii sententia secundum versum ad creditorem trahunt, et *expedit* pro *expetit* legunt. quasi creditori non vtile esset expedire pecuniam, id est, dare mutuam fraudatori, sponsore improbo. Hoc nemo facit, aut ne faciat fabula docendus erat. hinc tamen tot aliae coniecturae natae, *non rem expedire, sed mala metuere expedit.* quid? cui vero expedit *mala metuere?* nulli credo, sed *cauere, vitare mala* omnibus. Taceo inelegantem illam repetitionem *rem expedire* non *expedit, sed mala metuere.* quis praeterea vmquam *aduocare sponsum improbum,* de debitore, qui exhibet sponsores, dixit?

3 *Ouem rogabat ceruus modium.*] Duo accusatiui. Ouid. XIV. Met. 787.

Hos rogat auxilium.

non vero ita capere debemus illa fab. II. *regem petierunt Iouem*, vt male Scioppius legit. sed vt apud Ouid. VII. Met. 296.

—— —— *Petit hoc Aectida munus.*

vbi plura diximus.

4 *Praemetuens doli*] Ita ex Heinsii sententia edidi pro *dolum.* vide eius notas ad Ouid. I. Met. 323. et ad Claud. Bell. Gildon. vs. 17. ita *praetimere* Lactantius in argumento Metamorph. Ouidii XV. 1. vbi vide.

5 *Rapere atque abire*] Schefferus hic obseruat particulam *et* non tam connectere, quam celeritatem significare. sed debuisset de τῷ *atque*, quod hic legitur, id obseruasse. Plaut. Mostel. V. I. 9.

Quem cum conuocaui, atque illi me e senatu segregant.

id est, statim, confestim me segregant. Terent. Eun. I. I. 7. *Atque, vbi pati non poteris, cum nemo expetet, infecta pace vltro ad eam venies.* id est, ilico venies, vt recte Palmerius obseruat. Vide Gell. X. cap. vlt. Colv. ad Apulej. I. Met. Gronov. ad Liv. XXVI. 39. Gebh. Crepund. I. 9. et Barth. ad Stat. IX. 481. et XII. 360.

6 *De conspectu*] Pro *e conspectu*, poni obseruat Schefferus. ita in MS. apud Ouid. Ep. IV. 96.

Ibat ad hunc sapiens de sene Diua viro.

vulgo, *a sene.* et I. Met. 739.

—— —— *fugiunt de corpore setae.*

ita olim editi, postea, *e corpore:* eadem varietas lib. IX. Met. 344. vbi vide notas. *conspectum effugere* dixit Lutat. Arg. Ouid. I. fab. 9.

7 *Dies aduenerit*] Ex ICtorum formula. vt leg. 213. ff. de V. S. *Venire diem significat, eum diem venisse, quo pecunia peti possit.* vide Hottom. IV. Obs. 9. et ad Cicer. V. Verr. 41. Columel. I. 7. *dies pecuniarum. aduenire* dixit iterum noster lib. V. fab. 7. et *venire* IV. 10. alia in re.

(17) F A B. XVII.

Ouis, Canis et Lupus.

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator ab oue quum peteret canis,
Quem commodasse panem se contenderet;
Lupus citatus testis, non vnum modo
5 Deberi, dixit, verum adfirmauit decem.
Ouis, damnata falso testimonio,
Quod non debebat, soluit: post paucos dies
Bidens iacentem in fouea prospexit lupum:
Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

F A B. XVII.

1 *Malefici*] Ego ex Heinsii sententia edideram *malefici* pro *maleficii.* At Cl. Bentl. *malefici*, quasi esset, *mendaces malefici*. aliae vero editiones variant. vid. supr. ad fab. XIII. 2.

3 *Commodasse*] *Commendasse* hic praeferunt Viri docti, et de vsu eius verbi multa disputant: sed nos cum V. C. Danielis, Vossio et Heinsio, retinuimus *commodasse.* nam non seruandos se dedisse panes calumniatum Lupum, sed mutuos dedisse credimus. Gallicus interpres, *lui avoir donne en garde:* cum tamen Rigaltins et Faber *commodasse* exhibeant. Anon. Nielantii, *quem dederam mutuo* et *commodatum panem oui.* et ita etiam Romulus, qui fabulam paullo aliter narrant. *commodare* vero pro mutuum dare obuium est, et Lexicographis notatum, ex Cicerone, qui *commodare tritici modios* eodem sensu dixit. eadem vero varietas in *commendare* et *commodare* est apud Quinctil. VI. de Inst. Orat. 3. pag. 548. differentiam vero inter *commendare* et *deponere* tradit Hottom. lib. IV. Obs. IV. Vetus interpr. Lucae Euang. XII. 48. *παρέθεντο πολὺ,* vertit, *commendauerunt multum.* eleganter.

4 *Citatus testis*] Proprinm in hac re esse verbum *citari* docent dictata Gronouii patris. Petron. cap. II. *ne Poëtas quidem ad testimonium citem.*

5 *Deberi*] *Debere* Cod. Vossii. vt mox, *quod non debebat soluit:* quare legerem ex Heinsii sententia,

Panem debere, verum affirmauit decem.

nam *dixit, affirmauit* in vno versu offendit aliquantulum.

8 *Bidens iacentem in fouea prospexit lupum.*] Egregia huius loci restitutio Heinsio debetur, qui cum in fragmento Petauiano *videns* reperisset, ex solenni illa literarum *b.* et *v* permutatione *bidens* fecit: et iure summo hanc lectionem Vir doctus propugnat. cur vero etiam *conspexit* praetulerit *τῷ prospexit* Cl. Bentlejus non exputo. hoc enim conuenit egregie timido animali, quod procul videns lupum in fouea, non audet tamen prope accedere sed *prospiciens*, id est, procul spectans, haec verba edit. ita lib. II. fab. IV. 20.

Pauorem simulans prospicit toto die.

Ouid.

(18) FAB. XVIII.

Mulier Parturiens.

Nemo libenter recolit, qui laesit, locum:
Instante partu, mulier, actis mensibus,

 Humi

Ouid. II. Met. 90.

> *Prospicit occasus, interdum respicit ortus.*

ita *mortem prospicere*, quasi illa procul abesset, dixit Senec. Epist. I. quae Schefferus notat de hoc verbo, quasi ex edito in inferiora oculos vergere, etiam possunt esse vera: nam iacebat in fouea Lupus, et ideo altior stabat Ouis. De Foveis vero et earum structura, Silius Ital. lib. VI. vs. 329.

> *Haud secus ac stabulis procurans otia pastor*
> *In foueam parco tectam velamine frondis,*
> *Ducit nocte lupos positae balatibus agnae.*

vnde discimus, agnam fuisse in fovea positam et suspensam, vt Lupi ad eius balatum accurrentes, in structas illis insidias incidant. Quod et ex Claudian. III. de Laud. Stilic. 339. vbi de Leonibus agit, patet.

> *Non illos taedae ardentes, non strata superne*
> *Lapsuro virgulta solo, non vocibus haedi*
> *Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit.*

Talis foueae etiam mentionem facit infra noster lib. III. fab. 2.

> *Panthera imprudens olim in foveam incidit.*

Ab his foueis *Fouios*, qui postea *Fabii*, dictos fuisse docet Festus in *Fouii*.

FAB. XVIII.

1 *Mulier parturiens*] Hanc, non vt fabulam, sed veram historiam refert Plutarchus in Coniug. Praecept. pag. 143. et in eandem sententiam dicit Ouid. I. Trist. I. 85.

> *Et mea cymba, semel vasta percussa procella,*
> *Illum, quo laesa est, horret adire locum.*

2 *Actis mensibus*] Non facile τὸ *actis* mutem, in *exactis*, aut *peractis*. nam et ita Liuius VIII. 26. *acto honore triumphus*. vbi vide Sigonium. Quinctil. Decl. VI. 8. *per annos pariter actos*: Ouidius saepissime; vt II. Met. 497. *ter quinque fere natalibus actis*. vbi vide Heinsium. sic *actus annus* VI. Met. 571. et VII. 700.

> *Alter agebatur post sacra iugalia mensis.*

IV. ex Pont. VI. 5.

> *In Scythia nobis quinquennis Olympias acta.*

et centies alibi. non tamen ignoro in hac re proprie etiam *exactos menses* dici. Seruius ad Virgil. I. Georg. 435. *Exactum ad mensem*, notat, *vsque ad mensis vltimam partem. vnde et exacti menses dicuntur, qui circa partum sunt.* Vid. et ad lib. III. Georg. 139. Cicer. I. Verrin. 18. *Latonam grauidam, etiam ad pariendum vicinam, temporibus exactis confugisse Delum.* περιπλομένῃσι σελήναις dixit Oppian. Cyneg. lib. II. vs. 206. et ita in aliis rebus. vt *Exactas mero noctes*,

Humi iacebat, flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
5 Onus maturum melius quo deponeret.

Minime,

noctes, Quinctil. Decl. XV. 6. *exactos fordibus dies*, Decl. XVII. 13. Sic *exacta aetas* de senibus Liv. XXX. 26. Cicer. I. Tusc. 39. et V. Verr. 8. Quare si quis hoc verbum praeferat, legere posset,

Instante partu, exactis mulier mensibus.

qui exhibent *peractis*, vellem docuissent versui modos suos constare. sed illud *per* ex vltima syllaba τῦ *mulier* videtur prouenisse, cum legeretur transpositis vocibus *mulier peractis*.

3 *Humi iacebat*] Alii *Humo*, quod accipi potest per ellipsim praepositionis, pro *in humo*. de qua locutione vide doctissimum Munckerum ad Hygin. fab. CCXLVII. melius tamen videtur *humi*. ita enim frequenter Poëtae et alii. Ouid. III. Met. 105.

Spargit humi iussos, mortalia semina, dentes.

id est, spargit in humum, in terram, et paullo post, *iecit humi*. vid. ad Lutat. Arg. lib. III. fab. I. et ad Ouid. lib. IV. Met. 121. et Heins. ad Val. Flac. I. 710.

4 *Reciperet*] Propert. II. Eleg. 24.

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.

ad lectulum se recipere Val. Max. VI. VIII. 6. Nep. Hannib. 11. *eodem, vnde ierat, se recepit.*

5 *Onus naturae*] Hanc lectionem Gudius tuetur, cuius piget Cl. Bentlejum. tuetur tamen eum Vir doctus, hac specie, quod in exemplis Heinsii quidem occurrat *onus ventris, vteri*, sed nusquam *onus maturum*. seorsum positum pro foetu. certe in Ouidii loco II. Fast. 452. a Scheffero adducto, est *maturum onus*. et ego ex Focae vita Virgilii produxi,

Haec, cum maturo premeretur pondere ventris.

Cui adde Ouid. IX. Met. 683.

— — — iamque ferendo
Vix erat illa grauem maturo pondere ventrem.

Et an non centies foetus muliebres fructibus comparari solent? et an hi non *maturi* vocantur? Et licet ex iuris propria significatione non sint in fructu partus; cur tamen non foetus paullatim in vtero crescens, *maturum onus* dici possit? Nam si licuit Ouidio de nuce dicere vs. 93.

At mihi maturos numquam licet edere foetus.

non liceret nobis de muliere dicere *maturum* illam *onus deponere*, seruata vtrobique eleganti metaphora? an vero foetus in vtero conceptus non est reuera onus? si ergo infantem, siue Embryonem, vt medici vocant, licet *maturum*, id est, partui *vicinum* vocare, an non et *onus maturum?* certe Ouid. VII. Met. 127.

— — — — — infans
Nec nisi maturus communes exit in auras.

nihil ergo video absurdi in hac emendatione. et ita lib. III. Fast. 715.

Nec puer vt posses maturo tempore nasci,
Expletum patrio corpore matris onus.

vbi *expletum onus* est maturum. et hinc

Minime, inquit, illo poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

hinc Poëtae et alii ipſos *foetus* non tantum *maturos*, ſed et *ventrem*, et parituras *mulieres maturas* dixerunt. Martial. Spectac. XIV.

> *Maturi pignora ventris.*

Ouid. XI. Met. 311.

> *Vt ſua maturus compleuit tempora venter.*

Idem IX. Met. 282.

> —— —— *Tunc cum matura vocabis*
> *Praepoſitam timidis parientibus Illithyiam.*

Inſt. XIII. 2. de Roxane, *quae exacto menſe octauo iam matura ex Alexandro erat.* nimirum vt *maturi* et *immaturi* pueri et puellae, reſpectu pubertatis dicuntur, ita ratione partus mulieres *maturae*. Imo *maturos niſus*, vel *menſes*, (nam variant codices) idem Ouidius dixit V. Faſt. 171. nihil ergo hic duri, aut inſoliti. ſed contra *onus naturae deponere*, quod Gudio probatum, *aluum exonerare* poſſet notare. vt ita *naturalia* tam loca, per quae excrementa, quam per quae ſemen emittitur, notare docent Lexica. et ipſa *natura* pro excremento apud Veget. Art. Veterin. 133. Iam vero *naturam* et *maturum* permutari a librariis ſolere, apparet ex Horat. Art. Poët. 157. vbi pro, *maturis dandus et annis*, codices alii habent *naturis*. Apud Iuſtinum quoque lib. VII. 2. non ſatis illa placent, *cui* (Alexandro) *tanta omnium virtutum natura* (vel *naturae*) *ornamenta exſtitere, vt etiam Olympio certamine, vario ludicrorum genere contenderit.* et lubentius legerem, *tam matura omnium virtutum incrementa.* quod firmatur ex lib. V. 5. vbi de Iphicrate, *nec vmquam ante eum Athenienſes, inter tot tantosque duces, aut ſpei maioris aut indolis maturioris imperatorem habuerunt.* Et Liv. III. 12. *neque tantam indolem tam maturae virtutis vmquam exſtitiſſe.* vid. Heinſii curas ſecundas ad Vellej. Paterc. II. 116. in eum ſenſum Druſus apud Albinov. in Eleg. vſ. 447. dicit, *vixi maturior annis.* et Ouid. XIV. Met. 617. *Romulus maturior annis.*

5 *Deponeret*] Manet in metaphora ab onere et ſarcina deſumpta. nam hinc quaſi proprio in partu hoc verbo multi vtuntur. Catul. XXXV.

> *O Latonia, maximi*
> *Magna progenies Iouis,*
> *Quam mater prope Deliam*
> *Depoſiuit oliuam.*

et ita ſeq. fabula *foetum deponere*. *ponere* dixit Ouid. XI. Ep. 64.

> *Et poſitum eſt vteri crimen onusque mei.*

vt et noſter II. fab. 4. Graeci ita vtuntur ἀποτίθημι, vide Steph. ad Callim. Hymn. in Iov. 15. et Dian. 25.

6 *Inquit illo*] Ciccum non interduim, an *illa*, an *illo* legas. nam ſi hoc eligas, illud ſubintelligitur, et vice verſa: nam vt initio non dicit, *nemo libenter illum recolit, qui laeſit locum*, ſic hic poteſt abeſſe commode *illo*. et multis aliis locis, *haec*, *illa* etc. de perſonis fabularum agens Phaedrus omittit. quare eligat quisque quod placuerit.

FAB.

(19) FAB. XIX.

Canis Parturiens.

Habent insidias hominis blanditiae mali.
Quas vt vitemus, versus subiecti monent.
Canis parturiens quum rogasset alteram,
Vt foetum in eius tugurio deponeret,
5 Facile impetrauit: dein reposcenti locum
Preces admouit, tempus exorans breue,
Dum firmiores posset catulos ducere.

Hoc

1 *Habent insidias*] Sic supra fab. XII. *quantum luctus habuerint.* Quinctil. Decl. CCLXXIII *Bella quoque insidias habent.* et Decl. XIV. cap. vlt. *si venenum istud non habet mortem.* vid. ad Petron. cap. LXVI. et LXXXIV.

3 *Alteram*] Pro alia quauis sumi viri docti multis probant: et ita etiam *alius.* fab. IV. *aliam praedam ab alio ferri.* vbi vide quae notavimus: quibus adde quae Cortius ad Sall. Catil. LII. §. 8. producit. sed cur non hic *altera* proprie sumeretur, quia agitur de duabus? Anon. Nielantii *rogauit scrofam,* exhibet, Romulus vero *aliam caniculam,* et paulo post, *coepit altera.*

6 *Preces admouit*] Senec. Hipp. 635. *precibus admotis agam.* Plin. Hist. Nat. VII. 45. *preces Proculejo mortis admotae.* vbi inepte Harduinus *admotam mortem* vicinam interpretatur: cum sensus sit preces admotas fuisse Proculejo, vt occideret Augustum desperantem. ex hac vulgari formula etiam librarii Ouidio dederunt lib. VI. Met. 214. *Admotura preces,* vbi aliter legendum esse nos docuimus. Vid. infr. IV. 25. et Valer. Max. V. IV. 1. *Adhibere preces* etiam dixit Ouid. III. Met. 376. et ita passim alii.

6 *Tempus exorans breue*] Non modo homines exoramus, sed res, quas obtinemus. Terent. Andr. III. IV. 13. *Gnatam vt det oro, vixque id exoro.* Plaut. Bach. V. 2. ter quaterue dixit *exorare aliquid,* et vs. 82. *hanc veniam illis sine te exorem.* est vero idem quod impetrare, vehementer et saepius orando.

7 *Ducere*] Non video, quin recte explicuerit Schefferus, de matre, quae aegre adhuc incedentes catulos secum ducit extra cubile, vt doceat ingredi et victum parare. Dubitauit antea Bentlejus an non legendum esset,

Dum firmiores possent catuli incedere.

sed postea sanus illi apparuit locus; licet explicationi eius iure obloquatur Vir doctus. nam hic *ducere* idem valere quod *educare* pronuntiatur, at non probatur. et additum *firmiores* docet, non de educandis agi, sed de ingressis, vel qui iam stare et ingredi inciperent. ante enim eos ducere non poterat; vt vero omnes *ducere* dicuntur, quos alii sequuntur, ita mater canis sequentes catulos recte *ducere* dicitur. hoc ergo praetextu admovebat preces, quod nondum ingredi possent catuli, sed quamprimum

Hoc quoque consumto, flagitare validius
Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
10 Par, inquit, esse, potueris, cedam loco.

FAB.

mum firmiores essent, vt posset illos ducere, abituram se promittebat. ita *producere* de Aquila, et auibus, quae ex nido ad volandum ducunt pullos. de quo vide ad Ouid. VIII. Met. 213. vbi etiam *deducere*, alii codices. in Iustini verbis alius sensus est. ibi petiit canis vt liceret manere in eodem loco et catulos educare, in quo pepererat; nec ibi agitur adhuc de ducendo vel educendo, et Iustinus paulo aliter fabulam narrans mansisse canem et vindicasse sibi proprietatem loci dicit, vt videmus Anonymum et Romulum etiam narrare, cum Phaedrus eo vsque fabulam non produxerit, sed satis indicarit ita factum, et lectoribus cetera conniciendа reliquerit. vid. lib. II. fab. 7. et saepe alibi similia, facilia intellectu, praeterit. ratio vero cur hunc locum viri docti tentauerint, fuit Heinsii dubitatio, qui cum inuenisset *deducere* in schedis regiis, inde coniecturas aliquot margini adscripserat. *dum firmiores catulos post educeret*, vel *septo educeret*, vt *septum boum* rescribebat fab. XXXIX. vel etiam *tum firmiores catulos posse educere*. sed omnia frustra. *educere* etiam est in Claudiani loco, quem adduxi ad Valer. Flac. VII. 4.5. et praecipue huc facit ille Virgilii lib. I. Aen. 432. de apibus locus,

—— —— *cum gentis adultos*

Educunt foetus.

vbi *perducunt* alii codices perperam. educunt ad volandum, vt hic ad ingrediendum. Plinius de apibus lib. X. 16. *protinus educti operantur, quadam disciplina cum matribus*, et cap. 20. *educto foetu*,

8 *Validius*] Ita Hygin. fab. CLXXXVI. *cum autem Metapontus priores valide amaret*. Quinct. Decl. X. *validius amat*. et saepe in illis declamationibus. vid. Munckerr. ad Hygin. fab. CLXXIV. *validissime fauere* Caelius lib. VIII. Epist. fam. 12. vbi vid. Manut. vnde apparet male Rittershusium et Heinsium praetulisse *valdius*, quod idem est, sed contractis syllabis. ita ἰσχυρῶς Diog. Laërt. I. 75. vbi vide Menag. Miror vero dubitare Cl. Bentlejum de hac lectione, quasi dubium posset esse, vtra *duarum canum flagitaret validius*, cum illa, quae antea blande admonuit preces reposcenti dominae locum, nunc impetratum vt iure possidere pergeret. quare domina eo consumpto tempore coepit non reposcere modo, sed validius flagitare suum ab iniusto possessore locum. cui respondit altera, iam firmos esse catulos, quorum viribus adiuta tueri posset locum. si iam vis, inquit, de loco certare, et mihi meaeque turbae te parem esse credis, victus (nimirum postquam de loco decertauerimus) cedam loco: et ita euentus idem est, quem Iustinus, Anonymus et Romulus ei dederunt. et hoc poscunt verba prima, *insidias habere blanditias*. nam precibus obtentum locum, nunc vi tueri se posse prodit. nolo etiam Bentlejo opponere, quod in illius emendatione rectius et Latinius diceretur; *flagitari coeptum*, quia noui *coepi* aliquando adiungi passiuo verbo. quamuis saepe ea librariorum sit culpa. vid. Gronov. ad Liv. XXVI. cap. 46. et L. Bos, Animad. ad I. Caes. cap. II. pag. 13. sic apud Ciceron. II. de Diuin.

(20) FAB. XX.

Canes Famelici.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.
Corium depressum in fluuio viderunt Canes:
Id vt comesse extractum possent facilius,
5 Aquam coepere ebibere: sed rupti prius
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

Diuin. 2. quidam *consuli coepimus*, alii rectius *coepti sumus*. at noster lib. I. 12. *lacerari coepit* et alibi. qui non videtur hoc discrimen obseruasse: quis vero ferat versum insuauem, *cubile coepit, ita, si mihi turbae et meae? Cedam* vero *loco*, sollemnis est locutio. Plinius X. 12. de coruis, *genitores soboli loco cedunt*. et passim alii.

FAB. XX.

1 *Effectu caret*] Ouidiana Phrasis, apud quem. II. Amor. III. 16.

Non caret effectu, quod voluere duo.

inf. lib. V. 8. *effectus impediret ne segnis mora.*

2 *Deuocat*] Rarum hoc verbum esse notant interpretes. vsus et noster inf. III. 5. et Val. Max. VI. V. 5. *in iudicium populi deuocauit*. vid. Heins. ad Ouid. V. Met. 102. et Dauis. ad Caes. VI. de B. G. cap. 7. Obseruare vero licet vsos fere fuisse hoc verbo veteres, pro vocare in periculum, res dubias, periculosas et similes, rarius ad res laetas, iucundas etc. eodem modo vt *deuenire* in captiuitatem, manus hostium etc. et in mala incidere. vid. ad Ouid. III. Met. 633.

3 *Corium*] Apte ficta fabula: canes enim appetere coria et pelles ostendit Horat. II. Sat. V. 83.

Vt canis a corio numquam absterrebitur vncto.

et hinc Graecum prouerbium χαλεπὸν μαθεῖν κύνα σκυτοτραγεῖν, de quo vide Schol. Theocriti Idyl. X. vs. 11. Inter Arabicas etiam Locmanis legitur, sed ibi Lupis tribuitur, quod hic Canibus.

5 *Coepere ebibere*] Recte vir doctus non assentitur Cl. Bentlejo, mutanti in *coeperunt bibere*. nam certe *ebibere* sibi proposuerant, cuius nunc initium faciebant, vt Schefferus recte lib. II. fab. 4. *vult euertere* explicat. Nielantii *coeperunt lambere* quoque non displicet. ita enim fab. XXV. *quamlibet lambe otio*. nec hac lectione recepta opus est *sed* in *at* mutare, constat enim vel sic metrum. Fastidiosae vero semper mihi istae mutationes videntur: vt et *coeperunt* pro *coepere bibere*: aeque enim tribrachys ac dactylus probatur nostro, nec Vir doctus hic reiecit, licet lib. I. V. 1. non probet. vid. et ad I. XXX. 11. et alibi. Sinamus ergo Phaedrum suo, non alieno iudicio scribere, et vtamur effato viri docti ad II. fab. 3. *Latinos non tam de metro sollicitos fuisse ac Graecos, sed magis de recta verborum collocatione laborasse:* quamuis nec hoc omnino probemus.

FAB.

(21) FAB. XXI.

Leo senex, Aper, Taurus et Asinus.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
Ignauis etiam iocus est in casu graui.
Defectus annis et desertus viribus
Leo quum iaceret, spiritum extremum trahens,
5 Aper fulmineis ad eum venit dentibus,

Et

FAB. XXXI.

2 *Iocus est*] Petron. LVII. *nunc spero me sic viuere, vt nemini iocus sim.* Fabulae huius veritatem firmat Xerxes apud Iustin. lib. III. 1. qui *terror antea gentium, bello in Graeciam infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse coepit.* Et hoc est, quod dicit Nero apud Auctorem Octauiae vs. 451.

Calcat iacentem vulgus.

3 *Defectus annis*] Plurima huius locutionis a viris doctis et Axenio ad h. l. adducta exempla nobis otium faciunt: et firmat hanc lectionem Anonymus Nielantii. vide et Heins. ad Ouid III. Fast. 674. et quae nos ad Quinctil. Declam. XIII. 2. adnotauimus. De Leone vero sene vide, quae collegit Dausquej. ad Q. Calabrum. lib. II. pag. 60.

3 *Desertus viribus*] Huic verbo neminem praeter Cl. Bentlejum, qui sine vllo codice, aut necessitate legit, *confectus annis*, et *defectus viribus*, controuersiam mouisse, narrat Anonymus. sed Heumannus, teste Richtero, in praefatione editionis suae, legit, repetito eodem verbo,

Defectus annis, et defectus viribus.

videntur viri docti credidisse fortasse *desertus a viribus* dicendum. sed ita Ouid. XII. Ep. 161. *desertor coniuge*, vbi vide quae notamus. sic apud Lucan. I. 695. MSS.

Lapso iacuit deserta furore

pro quo vulgati *defecta*. Propert. II. VII. 17.

Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles.

et ita fere eodem modo lib. V. 10.

Non te destituit animus, sed vires meae.

vbi ipse Cl. Vir legit, *non me destituit.* Nulla ergo caussa erit, cur hic *desertus* expelleretur improbatum antehac nemini. ita et *vita deserit miserum* apud Senecam Consol. ad Polyb. 31. et Ouid. Ep. XIX. 202. Et *cruciatos spiritus artus deserit*, in Ibi 123.

4 *Spiritum extremum trahens*] Iustin. lib. XXVIII. 3. *Olympias gemino filiorum vulnere adflicta, aegrum trahens spiritum, non diu filiis superuixit.* et ita noster et alii passim.

5 *Ad eum venit*] Nihil hic mutem. vt enim passim *ire in* vel *ad* aliquem, hostilem et iratum animum notat, vid. Donat ad Terent. Andr. I. V. 16. ita et verbo *venire* eamdem saepe vim inesse deprehendimus. Statius eo sic aliquoties vsus, vt lib. VIII. 694.

Illum, illum, semel in quem venerat, vrget.

VI,

Et vindicauit ictu veterem iniuriam:
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, vt vidit ferum
Impune laedi, calcibus frontem exterit.
10 At ille exspirans: Fortes indigne tuli

Mihi.

VI. Theb. 799. simpliciter vsus est.

— — *venientem eludit.*

et vs. 875.

— — *venit arduus ille Desuper.*

Vtrobique recte Barthius interpretatur per *ruere*, *irruere*. et eius Glossae etiam inopinatam vim explicant. Et ita cepit hic Anonymus, qui *superuenit ad eum*, vt legit Nielantius, habet. Liuius lib. II. 9. *Porsenna Romam* (pro *ad Romam*) *infesto exercitu venit.* Frontin. III. XVII. 1. *veniente ad obsidionem Hasdrubale.* Propert. I. Eleg. X. 2.

Irritata venit, quando contemnitur, illa.

et Eleg XVIII. 14.

Non ita saeua tamen venerit ira mea.

Vellej. Paterc. II. 109. *tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Venire contra* vel *adversum* aliquem Ciceroni et aliis vsitatissimum. vide Comment. ad Lib. I. ad Att. I. et pro Rosc. Comoed. cap. 6. rarius autem, fateor, est *venire ad aliquem*. ita tamen Caesar. VII. de Bell. Gall. 70. *Galli perturbantur: veniri ad se confestim existimantes, ad arma conclamant.* et saepe praepositio *ad*, pro *in* poni solet. Liu. I. 5. *ad regem impetum fecit.* vide infr. lib. IV, fab. 3.

6 *Ictu*] Non constare versum credebat Heinsius, quod non capio, nec reperire potuit Hoogstratanus: in vulgata enim metri ratio constat, in Heinsiana vero emendatione non constabit, nisi in *veterem* vltimam non elidas, aut cum Anonymo Nielantii legas *Veteres iniurias.* sed τὸ *ictu* vindicant adducta a Scheffero et Axenio loca.

7 *Infestis*] *Infestus* Rigaltii, Meursii et aliae editiones: perperam. alterum, quod et Neueletius probat, magis Poëticum. ita nos apud Ouid. II. Trist. 144. praetulimus,

Quae fuerat saeuo fulmine tacta Jouis.

pro *saevi Jovis.* vbi vide notata. et XV. Met. 481.

— — *Importunisque Capbareus Mersit aquis.*

pro *importunus.* et talia infinita apud Poëtas. inf. h. l. fab. vlt. *saeuis vnguibus.* et III. 2. *irato impetu.* Iohnsonii editio *infestis tauros*, nescio an vitio operarum, an crediderit nominatiuum Graecum esse. Gallicus interpres *baissant ses cornes*, quasi esset *demissis cornibus.* nisi ita in hac re venatores Galli ci amant loqui. perperam.

9 *Exterit*] Hoc praetuli, quia non verisimile videbatur, librarium hoc verbum vulgari *extudit* suppofuisse. sic apud. Lucret. I. 79. in MS. Memmiano,

Quare religio pedibus subiecta vicissim Exteritur.

vide Barth. ad Stat. X. 473. quem

locum

Mihi insultare: te, naturae dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

(22) FAB. XXII.

Mustela et Homo.

Mustela ab Homine prensa, quum instantem necem
Effugere vellet; quaeso parce, inquit, mihi,
Quae

locum adduxit Schefferus. *Calce Aselli feritur*, paullo alio sensu dixit Ouid. III. Met. 755. probauit etiam Gronouius *exterit* ad Senec. de Breuit. Vit. 13. infelices vero nos, et magnum Gronouium, qui a Richtero ad glandes damnari iam patienter ferre cogemur!

12 *Bis videor mori*] Vsitata locutio, pro magnum dolorem et acerbitatem ex indigna morte sentire. Ita Orestes apud Euripid. in Oreste 1116. δὶς θανὼν οὐ χάζομαι. *bis mori non recuso.* *certe* vero, praesertim si transposito eo legatur *certe bis videor mori*, quare offendat non video, nisi quod videri possit *certo* legendum, cum *certe* pro saltem, vt fab. XXIX. 7. et prolog. lib. III. 32. debeat capi. *certo* vero pro indubitato poni consueuerit. unde dicimus *certo scio*, non *certe*, vt notat Riuius ad Sall. Catil. cap. 50. et ideo locus Ciceronis a Gudio adductus nihil huc facit. sed perpetuum hoc non esse, et adfirmandi etiam modo *certe* poni credo: vt Ouid. Ep. XV 120.

Quid dolet haec? certe filia viuit, ait.

et Ep. XIX. 47.

Jam certe nauigat.

et ita opponit *dubio* III. Amor. XII. 13.

An prosint dubium; nocuerunt carmina certe;

II. Fast. 401.

Ferret opem certe, si non ope mater egeret.

et plura adduci possent. fateor tamen saepe posse in multis locis capi duplici sensu, et pro *sine dubio*, et pro *saltem*, et ita hic etiam posset explicari, si retinere debet locum pristinum. fortes tuli indigne, sed tuli tamen, mihi insultare, sed te quod saltem cogar ferre, bis videor mori: praeterea, si quem mutandi omnia, ad quae haeret, libido teneret, legere posset,

—— —— Te, naturae dedecus,
Quod ferre inertem cogor.

vt *iners* opponatur *fortibus*; hoc certe propius accedit ad scripturam, quam *inultus*. et *inertes* passim fortibus et militaribus viris opponuntur. et Valer. Max. VIII. VIII. 1. *inertes strenuis* opponit et Tibull. I. I. 58. se bellatori Messalae opponens, *inertis* notam subire non recusat. et Virgil. IV. Aen. 158. *pecoribus inertibus* eximit *aprum*, et ita I. 2. *inertes ranae fugitant*. sed praestat nihil mouere.

FAB. XXII.

2 *Inquit, parcas mihi*] Obsecutus sum viris doctis rescribentibus *parce, inquit, mihi.* et ita legi metricae, cui timebat Hoogstraranus, satis-

Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: faceres si caussa mea,
5 Gratum esset, et dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras, vt fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul et ipsos deuores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus improbam leto dedit.

Hoc

satisfiet. Anonymus Nielantii, *rogo parce mihi.*

3 *Quae tibi molestis*] Dubitat Schefferus, an *tibi molestis*, an *tibi purgo*. Illi placet prius, mihi perinde videtur, licet malim posterius: quia eleganter *tibi*, et *mihi* et ornandae orationis caussa adiici solet: et familiaris Terentio, et Plauto admodum illa elegantia: vt Ter. Phorm. V. 8. *Qui mihi, vbi ad vxores ventum est, tum fiunt senes.* vid. Donat. Liuius in Praefat. *Ad illa mihi quisque intendat animum.* et lib. II. 29. *Pulset tum mihi lictorem*, Propert. I. Eleg. 19.

Sed ne forte tuo careat mihi funus amore.

Horat. I. Ep. 3.

Quid mihi Celsus agit?

vide Manut. ad Cicer. ad Fam. IX. Ep 2. Seru. ad Virg. II. Aeneid. 258. et *tibi purgo* potest esse in tuum commodum et vtilitatem.

4 *Faceres si caussa mea*] Ita legendum docet et Anonym. Nielantii. *Non caussa mea facis, nam si pro me fecisses, gratum haberem et darem tibi veniam*, et probat etiam Heinsius. *Caussa* vero *mea*, elegantior et veteribus magis vsitata locutio, quam *caussa mei.* Terent. Prol. Heaut. 41. *mea caussa hanc caussam iustam esse animum inducite.* et Act. V. sc. 5. *Syro ignoscas volo, quae mea caussa fecit.* Ouid. XX. Ep. 108.

Ne videar caussa falsa monere mea.

Seruius ad Virg. Aeneid. XII. 29. distinguit inter *caussa tua*, *et tui.* cuius sententia an vera sit nunc non definio; certe variarunt aliquando. vide ad Ouid. I. Met. 30.

5 *Gratum esset*] Idem, quod gratum haberem. Ouid. Epist. XVI. 13.

Jamdudum gratum est, quod epistola nostra recepta est.

Nielantii Anon. *Gratum haberem.* vt Terent. Adelph. II. IV. 6. *quo habeam gratum.* Iustin. XXIX. 2. *gratius habiturus.* vide Brouckh. ad Tibul. IV. X. et, quem aduocauit etiam Hoogstratanus, Graeu. ad Cicer. pro Milone. 35. et Gronou. Diatr. Stat. cap. XVI.

6 *Reliquiis, quas*] Ita recte Heinsius, non *quae*, quod et Camerarius confirmat, qui edidit, *qui arrodendo reliquias victus mei*; et Anonym. Nielant. *reliquias nostras totas deuoras.* et sic Petron. cap. LXVII. *nisi reliquias pueris diuiserit.* ita lib. V. fab. 4. *reliquiae hordei*: *τὰ περισσὰ* Graecis. vide Brodae. ad Anthol. lib. II. cap. 31. pag. 226, *quas sint rosuri* malit vir doctus, quam *sunt*

8 *Imputare*] Vide de huius verbi vsu Cellarii curas posteriores pag. 64. et 163.

9 *Leto dedit*] Poëtica et frequens locutio. Ouid. Ep. II.

Phyllida Demophoon leto dedit.

et II.

10 Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum priuata seruit vtilitas sibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

(23) FAB. XXIII.

Canis Fidelis.

Repente liberalis, stultis gratus est;
Rerum peritis inritos tendit dolos.

et II. Met. 120. Senec. Hippol. vs. 695.

Quos hausit, et peremit, et leto dedit
Odium dolusque:

plura dabit larga Hoogstratani manus. sic *leto petere* Senec. Herc. Furent. 630.

12 *Iactat*] A Rittershusio profectum, ante legebatur *iactant:* repetendum scilicet, *et qui iactant meritum.* similis prorsus locus Senec. Consol. ad Helu. 2. *fleant et gemant quorum delicatas mentes eneruauit longa felicitas, et ad leuissimarum iniuriarum motus collabuntur,* pro *et quae.* vid. et ad lib. II. Epilog. vs. 17.

FAB. XXIII.

2 *Verum peritis*] Cl. Bentleius emendat, *Rerum peritis.* quae coniectura se non probat eius aduersario, quia et *peritus* absolute saepe ponitur; quod, licet nullo exemplo firmet, verum esse agnoscimus, et nuper plurihus ostendit doctissimus Torrenius ad Valer. Max. I. I. I. qui etiam lib. I. VIII. 2. *cultu anguis a peritis accepto.* et ita saepius. Sed hoc nihil probat, cum etiam centies addatur vel genitiuus vel ablatiuus, vt *vsu peritus* III. fab. 3. vbi vero vtrumque aeque Latinum est et in vsu, nullam vim habet talis argumentatio, nisi accedat auctoritas scriptorum codicum. Altera ratio additur, quia *canis rerum peritus* esse dici non potest; quae est mera cauillatio. nam licet fabulae inducant bestias, illae tamen imagines sunt hominum, et illorum mores ostendunt: et licet in ipsa narratione et fabulis animalia loquantur, ratiocinentur etc. ἐπιμύθια tamen respiciunt homines, in quorum vsum et doctrinam inuentae fabulae sunt: sic seq. fab. *inops* et *potens*, non ranae et et boui, sed hominibus debent applicari. fab. XIX. XX. XXV. in *promythio homines* et *mortales* exprimuntur, quorum imagines dat in bestiis ipsa fabula. et ita fere in omnibus. Nos vero vtroque pollice amplectimur Viri eruditissimi emendationem, et intelligi hoc ἐπιμύθιον credimus Principum et magistratuum ministros, qui pro rebus et rationibus dominorum excubantes, saepe muneribus tentari solent. sed qui sunt prudentes rerum, se obiecta offa decipi, vt stulti, non sinunt, verum suspectos habent subito, et nulla de caussa liberales. passim vero vt *rerum periti*, ita et *rerum prudentia*, et *prudentes*, occurrit de illis, qui longo vsu res humanas, vel ad quascumque se appulere, perspexerunt; sic tentauimus apud Ouid.

II. Art.

Nocturnus quum fur panem misisset Cani,
Obiecto, tentans, an cibo posset capi:
5 Heus, si, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini, multum falleris.

Nam-

II. Art. 675. pro *operum*, rescribere, *rerum prudentia.* vbi vide, quae adnotauimus. sic Plinius XII. 18. *Periti rerum asseuerant.* Terent. And. V. IV. 7. *homines adolescentulos imperitos rerum.* ita *rudis rerum* Valer. Flac. I 771. et *nescia rerum* vs. 515. plura dabit doctissimus Cuninghamus in Animadu. in Horat. cap. XI. p. 179. vbi in Horatio I. Ep. III. 33. *rerum inscitia* vindicat, vbi Cl. Bent. *veri inscitia* volebat reponi, forte tunc nondum de Phaedro emendando cogitans. eiecta vero particula *verum* nihil nocetur sensui, cum subintelligi possit hic aeque, ac fab. XXVI. 9. *satiatur ipsa, torquet conuiuam fame.* et alibi.

3 *Nocturnus fur*] Iis, quae de nocturnis furibus huc congessit Axenius, adde quae notantur ad Petron. XV. et LVII. dictum vero pro *noctu* obseruat. I. F. Gronouius. vt ita *matutinus* Virg. VIII. 465. Lambin. ad Horat. Epod. XVI. 51. vbi *vespertinus.* adde et Huet. ad Manil. II. 730. Periz. ad Aelian. III. 14. infr. etiam lib. II. VI. 13. quaedam notabimtur de vsu adiectiuorum pro aduerbiis.

3 *Misisset cani*] Vid. de hoc loquendi genere Cl. Gronou. ad Senec. Consol. ad Marciam cap. V.

4 *Obiecto cibo*] Vt lib. IV. 11. *Obiectum lucrum.* Liu. IV. 15. *Ciboque obiiciendo victorem populum in seruitutem perlici posse.*

4 *Tentans*] Absolute. vt IV. 7. *haec cum tentaret, si quae res esset cibi.*

5 *Heus si inquit*] *Si* est ab Heinsio, cui indignantur alii, qui vbique tamen particulas similes intrudunt. sed quia sententia non satis apte sine hac particula videtur cohaerere, interrogationis nota post *τὸ domini?* adiuuant; sed tunc *an* vel *num* debent subintelligi, quod fieri aliquando non nego, sed saepe, vt in primis hic, obscuram orationem facit. alii sine *τοῦ si,* etiam negligunt illam distinctionem, qui tunc supplent per particulam *sed*, et ita capiunt. *intelligo quid velis, vis vt ne latrem, sed multum falleris.* Appello lectorum conscientiam, an non his omnibus mollior Heinsii coniectura, quae verisimilior, quia illud *si* ab vltima litera *τοῦ heus*, et prima *τοῦ inquit* potuit absorberi, vt obseruat Hoogstratanus. sensus est clarus, si ita construantur verba, vt solent saepe alii, Heus tu, multum falleris, si vis etc. ita Ouidius I. Art. 99.

Fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes.

Propert. II. XVIII. 21.

Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris,

an non praeterea simile est illud Terentii Heaut. I. 1.

Erras, si id credis, Clinia; et me ignoras.

5 *Praecludere*] Supr. fab. II. *vocem praecludit metus.* Ouid. II. Met. 658.

Linguaeque meae praecluditur vsus.

Namque ista subita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

(24) FAB. XXIV.

Rana rupta et Bos.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam Rana conspexit Bouem,
Et, tacta inuidia tantae magnitudinis,
Rugosam inflauit pellem: tum natos suos
5 Interrogauit, an boue esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Maiore nisu; et simili quaesiuit modo,
Quis maior esset. Illi dixerunt Bouem.

 Nouissi-

7 *Benignitas*] Id est liberalitas. vide plurima de hoc vocabulo apud Lambin. ad Horat. I. Od. 17. Terent. Adel. V. 9. dixit *subitam largitatem*, vt notat Axenius.

FAB. XXIV.

2 *In prato quodam*] Heinsius *quondam*, quod Cl. Bentleio et eius aduersario merito placuit. vide Heinsii notas ad Ouid. Ep. XVII. 71. adscripserat et orae libri sui Heinsius forte, *in prato eodem*. quod se probauit Broukhusio et Hoogstratano: eodem enim modo fab. I. *ad riuum eumdem venerant*. et IV. 8. *deuenit in eumdem locum*.

3 *Tacta*] Vide quae notamus ad Ouid. VIII. Metam. 184.

5 *Esset latior*] Anonym. Nielantii *si esset altior boue*, vt Schefferus coniiciebat. idem Anonym. mox, *Bos te superior est*. *Alta pectora* dixit Valerius Flacc. V. 595. vbi alii *lata*, vbi vide notas, et ad Sil. Ital. IV. 294.

6 *Intendit cutem*] Id est inflando auxit et distendit. Plinius lib. VIII. 35. de Hystrice, *cum intendit cutem, aculei missiles*. sic in alia re Propert. I. Eleg. XIV.

Et nemus omne satus intendat vertice silnas.

vide Sciopp. Verisim. III. 4. *extendit* habet Anonymus Nielantii; etiam non male. vid. ad Petron. cap. XLVI.

7 *Maiore nisu*] Virgiliana imitatione, qui III. Aen. 38.

Tertia sed postquam maiore hastilia nisu

Aggredior.

Columel. II. de R. R. 2. *in radicem maiore nisu vomis impacta*. idem *facili nisu* dixit I. de R. R. 3.

8 *Quis maior*] Eiicit hunc versum Cl. Bentleius; sed hoc periculi plenum opus. et egregie doctus Vir vindicauit *quis* pro *vter*. Horatius hanc eamdem fabulam tangens lib. II. Satyr. III. vs. 315. obscuriorem fecit orationem, abruptis interrogationibus et responsionibus, vnde de eius sensu et

vera

Nouissime indignata, dum vult validius
10 Inflare sese, rupto iacuit corpore.

vera lectione vehementer contendunt Viri docti, Bentleius, Cuninghamus et hic Anonymus: et vt mireris confidentiam, heroibus immiscentem se videbis Clericum Tom. XVII. Biblioth. Veter et recent. p. 170. quae omnia excutere non est huius loci et temporis; sed cum rideant viri literati egregiam distinctionem et duas interrogandi particulas cumulatas, *Quantane num?* breuiter meam aperiam sententiam. Sana illa sunt certe prima,

—— —— —— *illa rogare*
Quantane?

Scilicet, illa bellua fuerit, quae cognatos eliserit. Nam quidam sermones praecesserant, vt fingere debemus: Horatius enim in pauca contrahit ea, quae ranula narrauerat de bellua matri: si ergo Horatiana Rana mater, *num tandem*, inquit, *se inflans, sic*, (vt nim: se inflando extendebat,) *magna fuisset? Tandem* particula elegantissima, id est, post omnia, quae de eius magnitudine narras, dic, an sic magna fuit. sic Terent. Heaut. V. II. 1. *Itane tandem quaeso, est Menedeme* etc. Andr. III. II. 12. *itane tandem idoneus tibi videor esse.* et sic ille et alii saepius. Quidam etiam ornatus tantum caussa adiungi *tandem* putant, vid Serv. ad Virgil. I. Aen. 369. alii non esse superuacuam, vt Vall. VI. Eleg. 21. sed inseruire indignationi, vt hic indignata rana, quod Bos diceretur se maior. & docet idem Quinctil. III. cap. 8. de Ciceronis initio Orat. I. in Catilin. & Cicero ipse saepe in interrogationibus similibus vtitur. vt I. de Nat. Deor. 38. *hoc per Deos, quale tandem est?* pro Rab. Post. 14. *quod genus tandem est istud ostentationis et gloriae?* et ita ille et alii millies. maneat ergo *tandem*, quod noster exprimit, per *nouissime indignata. Sic magna* vero est pro *tam magna.* vt supr. fab. XI. et ita vetus commentator. respondet nunc ranula matri, *Maior.* scilicet, erat bellua. rogat iterum mater, se adhuc magis inflans, *Dimidio num?* scilicet, maior erat? nunc omnis difficultas mihi in illo *tanto* vel *tantum* videtur haerere, pro quo si *multo* liceret refingere, res esset confecta, et responderet ranula, *multo maior dimidio:* si enim *tanto* secundo in loco legeretur, deberet ad *maior* referri, et rogaret mater, an bos *tanto maior esset*, quod deberet demonstrare, vt si manum extendens δεικτικῶς rogaret, *num tanto maior.* sed hoc non conuenit ranae, quae inflando se eo vsque extendere non poterat. *tanto minor accipiter gallina* dicitur Senec. Ep. CXXI. sed forte posset legi et distingui hoc modo. *maior. dimidio? ter tanto,* scilicet *maior.* sed dubito, an tam audaci esse liceat: *ter tanto* vero elegans. vt Plaut. Persa I. III. 73. *ter tanto peior est.* sic Plinius XIV. cap 4. *vicies tanto addito aquae, bis tantum* dixit Virgil. VI. Aen. 578. et ita *multo tanto* cum comparatiuo dixisse veteres docent Pricaeus ad Apulei. pag. 8. et Iac. Gron. ad Gell. XII. 2. vbi et ad patrem remittitur lector. et ita omnia fore planiora existimo, quam per varias doctorum virorum coniecturas, quae nimis recedunt a vulgatis.

9 *Validius*] Hic mallet Heinsius *valdius.* sed vide ad fab. XIX.

10 *Iacuit*] Vt Ouid. I. Met. 710. *Arge iaces*, vide quae huc constipant plurima Axenius, et Scheffe-rus.

(25) FAB. XXV.

Canis et Corcodilus.

Consilia qui dant praua cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Corcodilis ne rapiantur, traditum est.
5 Igitur cum currens bibere coepisset canis,
Sic Corcodilus: quamlibet lambe otio,

 Accede

FAB. XXV.

3 *In Nilo*] Non placet hoc Cl. Bentleio, nec eius aduersario, quia canes non sunt aut stant in Nilo, sed currentes ex Nilo bibunt. sed hic praeualeat MSS. auctoritas, cum *e* vel *ex* sit ex mann emendatrice: nam quia in aliis linguis hoc insolens, ideo et librarii et Anonymus, *in* eiecto, *e* vel *ex* reposuerun. sic Graece ἐν κέρατι πίνειν dici docet Muncker. ad Hygin. fab. CCLXXIV. et ἐν λαγύνῳ πίνειν Anthol. II. cap. XXXIV. pag. 233. Hinc iam etiam Latini. vt Amm. Marcel. XXVI. 4. *humanum sanguinem in ossibus capitum canis bibentes auidius.* Senec. Agam. 878.

Merum in auro veteris Assaraci trahunt.

An et in poculis et ossibus stant bibentes? certe caput aut labia in illis habent, sed bibunt vinum, sanguinem etc. quae sunt in poculis, vt aquam, quae est in Nilo, bibunt canes. sed hae cauillationes ad Philosophos sunt relegandae, nos sequi veterum loquendi consuetudinem decet. eadem peruersitas corrumpendi saepe elegans hoc genus dedit librariis speciem. vt apud Ouid. I. Art. 748. ex optimis codicibus rescripsi

— *in medio flumine mella petat.*

et Remed. 534.

— *in medio iam licet amne bibas.*

Vtrobique olim erat *e medio*, quod si ita scripsisset Naso, librarii inde numquam *in medio* fecissent, quod a communi loquendi genere discedere videtur.

6 *Corcodilus*] Fallitur et Faber, et quicumque in *Crocodilus* primam volunt producere, vt Gudius doctissime ostendit, cuius nos emendationem, vt certissimam, recepimus, quam et Heinsius in V. C. Pithoei fuisse margini adscripsit.

6 *Lambe otio*] Vide ad Petron. cap. LI. an vero *otio* adiungatur τῷ *lambe*, an *accede* parum refert. non possum vero adhuc accedere viris eruditis, vel versum eiicientibus, vel Gudii coniecturam in textum recipientibus. certe illud *Accede Nilo* vix placet. ego mallem certe inde fecissent, *accede Nilum.* vt Virg. I. Aeneid. 205. *accestis scopulos*, quem imitatus Quinct. Decl IX. cap. 5. *quos accesserit scopulos, quantos lustrauerit sinus:* vel *ad Nilum;* quamuis enim exempla possent produci cum datiuo, frequentius tamen tunc ponitur, pro addi, adiungi, vt incrementum, appendix, aut simile quid. sed pro adire, aut prope venire, accusatiuum, vel solum, vel cum praepositione amat: vt *accedere ad lectum*, III. 10. ad

Accede, pota leniter, et noli dolos,
Inquit, vereri. At ille, facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

(26) F A B. XXVI.

Vulpis et Ciconia.

Nulli nocendum; si quis vero laeserit,
Multandum simili iure fabella admonet.
Vulpes ad coenam dicitur Ciconiam

Prior

ad praesepe II. 8. et hoc in prosa frequentius. Poëtae vero reiiciunt praepositiones, vt ad Virgil. II. Georg. 484. notat Cerda: et Seru. ad illa I. Aeneid. 307.

— *quas vento accesserit oras.*

Seneca etiam lib. VI. Nat. Quaest. I. dixit *negant se vmquam istam regionem accessuros.* Heumannus legit.

Sic Corcodilus: aquam bibere libet, o Canis,
Accede, pota leniter, et noli dolos
Inquit vereri.

sed Richtero displicuit illud *inquit*, postquam *sic* praecessit. ipse legit.

Sic Corcodilus: quamlibet lambe, et dolos
Noli vereri.

eiecto versu, vt et Bentleius fecit: placeant sibi, non inuideo. ego vix intelligo. sed cum nihil melius sciam, nec mihi ius omnia mutandi datum esse putem, seruabo vulgatum. sed illud *inquit* hic in fine pont non magis nos ad emendandum deberet inducere, quam vbi in longiori periodo repetitur, de quo vid. Heins. ad Vellei. I. 17.

7 *Leniter*] Ita *ire leniter* Quinct. Declam. I. cap. 3. vbi vide. et saepe ita Hirtius Bell. Alex. vid. cap. 6. 12. vt et alibi.

F A B. XXVI.

2 *Multandum*] Hic nullum τῷ *mulcandum*, quod sup. f. IV. admisimus, locum esse credimus: quia hoc verbo pulsatio, ictus et verbera et similia intelliguntur, quae hic longe absunt. ars tantum et dolus arte et dolo deluditur, multo ergo minus *mactandum* puto admittendum: nam licet hic et alibi *mactare* aliquem *malo* etc. occurrat, vt lexica docent, recte tamen obseruat doctissimus Bentleii aduersarius, Latine non dici *mactare simili vice.* verum quidem est *vices* sumi pro poenis, quae rependuntur illis, qui aliis nocuerunt, sed quis dixit *simili vice mactare?* id enim esset, si velimus proprie loqui, augere simili poena. nam in his verborum contrariis significationibus, vt videtur, modus tenendus est, nec nos euagari extra limites positos a veteribus decet: an enim, quia Terentius Heaut. IV. I. 15. dixit, *berus damno auctus est*, liceret dicere *augere aliquem simili vice. Multare* vero verbum est, quod licet proprie de poena pecunia-

Prior inuitasse, et illi in patena liquidam

 Posuisse

pecuniaria dicatur, tamen vsu quotidiano de omni fere poena et malo, quo quis afficitur, sumitur. Ita *ager pessime multari* dicitur a Columel. I. de R. R. 2. qui non recte colitur. sic ergo qui nos multat, eum simili iure multare licet, id est, quouis modo de eo vindictam sumere: nemini vnquam hic haesit aqua, et si mihi locus hic non sanus visus fuisset, procul dubio a longo tempore iam adnotassem similem alibi locum veteris scriptoris, qui nunc elapsus est, quia numquam credidi vsu venturum, vt quis de *multare simili iure* dubitaret, et nobis *mactare simili vice* obtruderet. De voce *vice* aliquid dicemus prolog. libri III.

4 *Inuitasse*] Mallem *vocasse*, quia sequitur *reuocasse*. sed tamen non audeo mutare vocem, licet suspecta sit.

4 *Et illi in patena liquidam*] Hic male culpor ob typographi lapsum: nam cum ego edendum dedissem, *ei* ex veteri codice, vt iam Schefferus et alii ediderant, operae in notis Schefferi pro *Ei*, *ita*, dederunt. quam culpam deprecor. ceterum ingentes hic video motus doctorum virorum, qui sola religione legis Pediae tacti, indulgent incertis coniecturis, et quasi ex tripode pronuntiant, primam in *liquidam* produci non posse, licet Lucretii auctoritate credant id olim fas fuisse, sed Phaedro non idem licuisse quod Lucretio. hinc *fictilis patina* nata, tam parum probabili coniectura, vt praeter morem in textum non sit recepta ab auctore hinc vox Plautina *Tryblium*, forte Phaedro incognita, lectoribus fuit oblata. quae omnia friuola commenta tum probabo, vbi suffragiis eruditi orbis confirmari et persuaderi vsu peritis videro. nam in *liquore*, *liquidus* et cognatis vocibus primam recte produci posse adeo certum est, vt Politanus lib. I. Ep. 20. debuerit se defendere auctoritate Virgilii, quod primam corripuerit, cum Virgil. I. Aen. 432. dixerit, *aut cum liquentia mella*. sed inspiciat, qui dubitat, Gifanii indicem in Lucretium et Epistolam ad Th. Canterum in Sylloge a Matthaeo edita I. et Heinsii notas ad Ouid. Remed. 177. et III. Met. 486. recte ergo se habet, *Et illi in patena liquidam*. Alii, qui ediderunt, *et ei liquidam in patena* vim fecerunt versui. quam remoturus Cl. J. Gronouius legit, *et ei in patena liquidam*. quo remedio scaber magis et mancus fit versus; nisi *patena* secundam syllabam producat. quod defendi posset ex Guil. Britone, qui lib. III. Philippeidos vs. 503.

Vix obstat ferro fabricata patena recocto.

vbi alia adducit Barthius loca, et Cangius in Glossario *in patena*. Vix tamen credo virum eruditum, solius fere antiquitatis studiosum, se in has inferioris aeui sordes demisisse. si *patena* displicuisset, facile ex Romulo vel Rimicio, monente Neueleto, erat reponere in *catino*, quod et metro satisfaceret, et etiam apparatui harum dapum. nam in mensa *catinum* et in eo *pullum* dabit Horat. I. Sat. III. 92. sed quid opus mutare sana. *Patenas* vero pro *patinis* dixisse constat satis. *Patenam* pro alueo, in quo hordeum equis apponitur, dixit Vegetius de Mulomed. I. cap. 56. fuisse vero lagenam et patinam ambabus simul positas, vt vult vir doctus, vix capio. nam si eodem tempore appositae

5 Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia:
Quae vulpem quum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, torquet conuiuam fame:
10 Quae quum lagonae frustra collum lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

appositae fuissent, neutra habebat quod quereretur, cum Vulpes ex patina, Ciconia ex lagena possent simul famem sedare. sed totus fabulae ordo docet, Vulpem vocasse prius Ciconiam, nihilque illi posuisse, praeter sorbitionem liquidam in patena, vnde cum nihil posset gustare Ciconia, sed vacuo ventre discessisset, illa alio die *revocat* (haec enim vis eius verbi, et Anon. addit *post paucos dies*) ad coenam vulpem, cui ponit lagenam solam, plenam intrito cibo, quare verba viri doctissimi mihi tenebras obiiciunt, vnde vix expedire me possum. vellem planius mentem suam exposuisset.

5 *Posuisse*] De vsu huius verbi in ferculis vide Heins. ad Ouid. I. Art. Amat. vs. 234. et Seruium ad Virg. I. Aeneid. 706. et nuper vindicauit hanc vocem Valerio Maximo suo lib. II. VI. 1. doctissimus Torrenius.

6 *Esuriens*] Anonymus, *Esuriens et verecunda*, lege, *et iracunda abiit ciconia*.

7 *Intrito cibo*] De eo vide Salmas. Exerc. Plin. p. 269. et ad Vopisc. Aurelian. cap. XLVI. vbi putat fuisse ex vino, vel posca vel aqua, quibus intritus et friatus panis immiscebatur. et distingui a *moreto* et *alliato*, Graeceque dici ἐμβεχὴν. Salmasium reprehendit Neapolis ad Ouid. IV Fast. vs. 367. qui defendit Donati ad Terent. Phorm. II. 2. interpretationem quem vide, vt et Vales. ad Harpocrat. in voce ἐνθρυπτὰ, et Casaub. ad Athen. pag. 922. et Scalig. Collect. ad Varron. p. 46.

8 *Lagonam*] De *lagona* vel *laguna* nihil hic dicemus: vide quae adnotauimus ad Petron. cap. XXII.

9 *Satiatur ipsa, torquet conuiuam fame*] Ita omissis *et* vel *at*, ex Heinsii sententia edidimus. vid. ad fab. XXIII. et quae nos diximus de eleganter omissa illa particula *sed* ad Quinctil. Declam. XIV. 6. *Fames* vero ne rescribamus, monet Martialis locus ab Axenio adductus.

11 *Peregrinam*] Ita Petron. cap. LV. *Ciconia etiam grata, peregrina, hospita.*

FAB.

(27) FAB. XXVII.

Canis et Thesaurus et Vulturius.

Haec res auaris esse conueniens potest,
Et qui humiles nati dici locupletes student.
Humana effodiens ossa, thesaurum canis
Inuenit,

FAB. XXVII.

1 *Haec res*] *Res* hic est ipsa fabulae materia, aut exemplum, aut argumentum: vt lib. V. prolog.

Vsus vetusto genere, sed rebus nouis.

et saepius: ita Valer Max. III. I. 2. *nec hac re ab incepto moneri potuit.* id est minis, quae praecesserant, et III. III. ext. 1. *nec hac re a proposito eum repulit.* et passim. sed hoc non placet viris eruditis, qui vtrumque versum, et ita totum promythium expellunt, dura certe sententia: sed ita solent pro arbitrio: aliquando epimythia duplicia displicent, aliquando ne vnum quidem tolerant, et tunc alii versus et verba ab ipsis personis fabularum prolata, vices epimythii supplent. sed eo colore ex praecedenti fabula cur non potius eiectum fuit promythium, quam illud *mactandum simili vice* obtrusum, cum Ciconiae vox, *sua quisque exempla debet aequo animo pati*, egregie eius vices implere possit? sed hunc offendit *haec res*, illum *conueniens esse potest*, pro *conuenit.* cur vero non rogant ad fab. XV. *ne possent capi;* quis veterum sic locutus est? an ibi turba doctorum, qui venustam illam loquendi formulam illustrabant, deterruit? vid. et ad lib. III. fab. 7. et si plura quis cupiat, videat Brouckh. ad Prop. I. I. 15. et Tibul. I. XI. 31. si iam dixisset Phaedrus *congrua, accommodata* etc. *esse potest* nihil offendisset, sed *conueniens*, insulsum est. atqui participia nominibus a quibusdam accensentur, cur ergo eis ita vti non liceat? an ergo peccauit Ouidius qui lib. II. Amor. IV. 5. dixit?

Odi, nec possum cupiens non esse, quod odi.

id est, non possum non cupere puellam, quam odi. vbi ellipsis est *cupiens eius, quod odi.* sed mittamus has tricas. Gebh. Crepund. III 10. legit *continens*, et sibi plaudit in locutione, sine vllo exemplo inuenta, et Phaedro obtrusa. dictum vero *auaris conueniens*, pro in auaros, vt Terentius, Cicero, Nepos et alii amant potius loqui. Fabula haec ergo apta et accommodata est auaris deterrendis a sordibus. simili fere sensu, sed mira locutione, Iudice Barthio, Sacerdos iam ornatus insignibus suis, dicitur Statio lib. VIII. 296. *Diis conuenire*, id est, visus aptus, quia sacerdotalis habitus eum decuit, vt vetus Scholiastes. sic Ouidius I. Trist. 1.

Non est conueniens luctibus ille color.

et noster Prol. lib. III.

Quod occupatis auribus non conuenit.

Vide et IV. 19. et V. 6. et quem non? adde Heins. not. ad Ouidii V. Ep. 77.

2 *Humiles*] Vid. ad fab. XXX.

Inuenit, et violarat quia Manes Deos,
5 Iniecta est illi diuitiarum cupiditas,
Poenas vt sanctae Religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
Fame est consumtus; quem stans Vulturius super
Fertur locutus: O Canis, merito iaces.
10 Qui concupisti subito regales opes,
Triuio conceptus, et educatus stercore.

4 *Et violauit*] Cum in codice Pithoei legeretur *violat*, conieceram, scriptum fuisse *violat*, pro *violarat*. vnde immerito visus fui Hoogstratano vim voluisse versui facere, cum ille, etiamsi scribatur *violat* per compendium pro *violarat*, stare poterit, si in legendo plene modo pronunciaretur *violarat*. Quod me sensisse, docent ipsa verba Phaedri, vt in prima editione a me exhibita fuere, vbi antiquam lectionem *violauit* retinui, deinde vero *violarat* edidi, vt Gudius in Codice Remensi exstare testatur. et ita saepe similia occurrunt. vide ad Quinctil. IX. Inst. 3. et Decl. VI. 5. nolui ergo syllaba mutilare vocem ipsam. Quid? quod ipse Hoogstratanus lib. III. fab. 5. *comprehensus* ediderit; quod, nisi in pronuntiando efferatur *comprehensus*, vitiat versum.

5 *Iniecta*] Brutus Ciceroni lib. XI. Ep. 10. *quantam cupiditatem iniiciat vacuitas, te non fugit.*

8 *Stans Vulturius super*] Est pro *superstans*. vt in simili re Ouid. Ep. X. 123.

Ossa superstabunt volucres inhumata marinae.

Vbi vide quae notamus, et ad Valer. Flac. IV. 312. et inf. lib. II. 1.

9 *Locutus*] *Iocatus* Heinsius. vid. inf. II. 5. et III. vlt.

10 *Regales opes*] Iust. II. 15. *Castra referta regalis opulentiae.*

11 *Et educatus*] *Et* reiiciunt viri docti, qui tolerarunt fabula praecedenti vs. 9. et alibi. nescio qua specie: cum scripti et editi id vindicent, et Anonymus Nielantii, qui etiam habet *in stercoribus educatus*. vt apud Val. Max. IV. IV. 1. *in hac pecunia nutritus:* de quo vid. ad Quinctil. Declam. CCLX. sed rectius omittitur praepositio hic, quia non tantum in sordibus educantur canes, sed ipso etiam stercore pascuntur, quod vt sordes et purgamenta abiici solebat in triuia. vid. Erhard. Symb. in Petron. cap. CXXXIV. et quae nos ibi notamus. et Auson. Ep. 72.

Abiecta in triuiis inhumati glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute caluitium.

vid. et quae collegit Barthius. ad Balderici lib. I. Hist. Palaestinae cap. 3. tom. III. Reliquiar. MSS. a Ludewigo editarum.

FAB.

(28) FAB. XXVIII.

Vulpis et Aquila.

Quamuis fublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet folertiae.
Vulpinos catulos Aquila quondam fuftulit,
Nidoque pofuit pullis, efcam vt carperent.
5 Hanc perfecuta mater orare incipit,
Ne tantum miferae luctum importaret fibi.
Contemfit illa, tuta quippe ipfo loco.

Vulpes

FAB. XXVIII.

1 *Quamuis*] Poteft hic pofitum effe pro *valde*, *admodum*, vt Plautus Pfeud. IV. 7. *quamuis pernix eft.* Liv. I. 4. *poffe quamuis languida mergi aqua infantes.* Vide Schotti Obferv. II. cap. 36. licet non improbem ellipfim τοῦ *tamen*, quamvis fint fublimes, tamen debent humiles metuere. ita etiam Anonym. Niel. *vt quamuis fublimes fint opibus, tamen humiles debent metuere.*

2 *Patet folertiae*] Verbum hoc facilitatem quamdam exprimit. vt Liv. XXIV. cap. 37. *animaduerterunt, nulli occafioni fraudis Romanum patere.* Iuftin. II. 4. *fi Graecorum non tam bellis, quam rapinis pateant.* et XXII. 5. *non fibi tantum in alios, fed et aliis in fe fentient patere bella.* et ita puellas faciles *viris patere*, ex Ouidio et aliis docuit Heinf. ad Ouid. II. Amor. XIX. 25. et I. Art. 64.

4 *Pofuit*] Heinfius malebat, *appofuit*, et *appofuit in nidum* habet Anonym. Nielantii. nihil tamen muto: aeque enim bene *pofitae* et *appofitae dapes* dici folent. vid. inf. V. fab. 4. et fupr. fab. 26. *lagonam pofuit.*

4 *Pofuit pullis vt efcam carperent*] Heinf. *carperet.* Cl. Bentl. *conderet.* fed praeterquam quod inconcinnum eft *ponit* vt *conderet*, quae verba fere idem hic notant; quis vnquam audiuit in nidis volucres efcam condere, vt in horreis, vnde hieme aut tempeftatibus haberent paratum cibum? nec etiam *poft aliquod tempus* reddidit incolumes matri; fed e veftigio: vulpes enim ftatim perfecuta (de quo verbo recte Schefferus) aquilam rogauit vt redderet, et cum contemneret, illico facem admouet arbori. ita vt Aquilae tempus non effet condendi pullos vulpis. rectius ergo, *pullis efcam pofuit, vt eam carperent.* eft vero hoc verbum proprium animalibus, quae pafcuntur. vt Ouid. III. Amor. V. 27.

Vtque procul vidit carpentes pabula tauros,
(*Carpebant tauri pabula laeta procul.*)

vide de vario vfu verbi *carpere* Lambin. ad Horat. I. Od. 11.

6 *Luctum importaret*] Vide de hac locutione Schulting. ad Senec. Suafor. II. et Heinf. ad Vellej. Paterc. II. 114. vbi notauimus exempla ab Heinfio producta, parum apta effe Velleji loco illuftrando.

Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit.
10 Hosti dolorem damno miscens sanguinis.

Aquila

8 *Ardentem facem*] Non esse otiosum epitheton recte ostenderunt viri docti. quia faces tantum sunt trunci et rami ex arboribus recisi, qui pice aut alia materia solent inungi, vt flammam possint concipere. et ita Hygin. fab. CXXII. *truncum ardentem ex ara sustulit.* Iul. Obseq. cap. LXX. *Lauinii fax ardens in coelo visa.* Vbi vide notas Schefferi. et plura exempla apud Axenium et Hoogstratanum. Heinsius tamen tentabat, *ab ara rapuit ardenti facem.* sed nihil necesse. ita et *lucentes faces* dixit Ouid. III. Fast. 270. et Curtius lib. III. 8. *Collucentes.* Apulej. lib. XI. Met. dixit *flammis adultam facem.*

10 *Hosti dolorem damno miscens sanguini*] Varie hunc locum tentavit Heinsius: praeter editam coniecturam adscripserat et codici, legi posse,

Hosti dolorem damno vlciscens sanguinis.

et simul Ouidii locum adscripserat,

Quae proprii damno sanguinis vlta virum est.

sed postea eam coniecturam induxerat. non tamen eam admodum temerariam iudico: nam et ita *dolorem vindicare* infr. lib. III. fab. 10. et *dolorem vlcisci* dixit Valer. Max. lib. II. cap. X. 2. et Ouid. II. Amor. XIV. 32.

Iactura socii sanguinis vlta virum.

et Remed. 60.

Quae socii damno sanguinis vlta virum est.

qui locus Heinsio obuersatus fuisse videtur, qui *proprii* pro *socii* vitio memoriae scripserat, et inde forte Bentlejus suam coniecturam exstruxit: ita et *proprium dolorem* dixit Valer. Max. IV. VIII. pr. *Damnum* vero eleganter dixit, vt in simili re Ouidius XII. Met. 16.

— *Matrem circum sua damna volantem.*

Mallem vero hic transpositis vocibus legere,

Dolorem hostilis damno vlciscens sanguinis.

nisi quis ex cascorum verborum amatoribus *Hostis* legere, et pro *Hostilis* capere velit. vt ita sumi vidimus ad Quinctil. Decl. CCLXXII. Certe haec, qui sapit, probabit prae illis, *dolorem damno iniiciens sanguinis*, quae a scriptis et editis longius recedunt, et ex Heinsii *ciens* propagata sunt. Nec felicior videtur coniectura *immittens.* nam se *in incendium immittere* recte dici potest, vt apud Iustinum et alios; sed *immittere alicui dolorem, damno sanguinis*, scilicet ipsius hostis, non exprimit vindictae huius veram naturam. quia vulpes etiam suos catulos immiscere volebat ruinae pullorum aquilae. merito tamen viros doctos τὸ *miscens* offendit. nam vt Latine dicamus *miscere dolorem alicui*, vt *bellum*, *malum*: verbo tamen *miscere*, hoc sensu, non video datiuum addi, vt in illis, *miscere vinum*, *aconita alicui*, sed simpliciter, *miscere* et *turbare*, vt *miscere ciuitatem* dixit lib. I. fab. 2. et *dolor et gaudium miscet vitam*, IV. fab. 16. et similia passim. et duram metaphoram cum Iac. Gronouio credo, a poculis haec sumta interpretantium. apud Cicer. vero IV. Tusc. 36. *maior mibi*

Aquila vt periclo mortis eriperet ſuos,
Incolumes natos ſupplex vulpi tradidit.

(29) FAB. XXIX.

Aſinus irridens Aprum.

Plerumque ſtulti riſum dum captant leuem,
Graui deſtringunt alios contumelia,
Et ſibi nociuum concitant periculum.
Aſellus apro quum fuiſſet obuius,
5 Salue, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium, et quaerit, cur ſic mentiri velit?

Aſinus

mibi moles, maius miſcendum malum, mibi eſt pro *a me* poſitum. et ita etiam ibi ſine datiuo eius, cui paratur malum, debet capi, nec recte Dauiſius ibi aduocat hunc Phaedri locum. quare ſi *miſcens* ſeruari debet, reſcribendum *hoſtis*, vt ſit miſcens dolorem hoſtis damno ſanguinis ſui, et hoc ferri poſſet, et ita Praſchius voluit. *vlciſcens* vero, ſiue *miſcens*, debet capi, pro vlciſci volens, minans, incipiens. nam illa participia eſſe non ſemper praeſentis temporis. ſed omnium, docuit Sanctius lib. I. Minerv. cap. 15. vbi et vide Perizon. et quae nos ad Val. Flac. IV. 59.

12 *Tradidit*] Anonym. *reddidit:* non male.

FAB. XXIX.

1 *Leuem*] Schefferus exiguum, paruum, explicat. non ſatis accurate: nam opponitur ſequenti *graui contumeliae*. ergo eſt, non ſatis decentem: vt Quinctil. lib. VI. de Inſt. Orat. 3. poſt Ciceronem dicit de Riſu. *cum videatur res leuis, et quae a ſcurris, mimis, inſipientibus denique ſaepe moueatur, tamen habet vim neſcio an imperioſiſſimam* et paullo poſt. *vituperatio ſi grauius poſita ſit ſeria eſt, ſi leuius, ridicula.*

2 *Deſtringunt*] De hoc verbo et eius cognato *diſtringere* vid. Ampl. Cuper. IV. Obſ. 5.

3 *Nociuum*] Satis vindicatur haec vox exemplis Naſonis et Plinii, etſi apud priores non occurrat: nam Phaedrum labente iam Latinitate ſcripſiſſe ſaepe animaduertimus, qua in his deriuatis luxuriare ſolebant. ita Petronius, huius aeui ſcriptor *abſentiuus* cap. XXXIII. vbi vide. Et Phaedro hac forma placuiſſe adiectiua nomina patet, ex *inſitiuo* lib. III. 5. pro quo *inſititius* Varr. I. de Re Ruſt. 2. *Vaciuus* lib. V. prolog. quae omnia hoc aeuo magis quam olim coepta frequentari. *Viciſſim* hic otioſum eſt, cum *alios*, et *ſibi* id ſatis indicent. quid ſi legamus *nociturum?* ita Senec. Epiſt. XIV. *nocituram potentiam vitat*. et ita ille ſaepius, et alii.

6 *Cur ſic*] Lucas Euang. II. 48. *τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως, quid feciſti nobis ſic.*

6 *Men-*

Asinus demisso pene: si similem negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper quum vellet facere generosum impetum,
10 Repressit iram: Et, facilis vindicta est mihi:
Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

(30) FAB. XXX.

Ranae metuentes Taurorum proelia.

Humiles laborant, vbi potentes dissident.
Rana, in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu,

6 *Mentiri velit*] Increpationem infert haec loquendi formula. vt de simili vsu huius verbi *velle* docuit infra Schefferus ad lib. III. fab. 6. et de Re vehicul. I. cap. 17. Blandius tamen esse, quam si diceret, *cur sic mentiatur*, notat Passerat. ad Propert. II. Eleg. 2. in fin. Ouid. II. Metam. 745.

—— —— *Tu tantum fida sorori*
Esse velis.

Sil. Ital. I. 109.

Haec tua sit laus, nate, velis.

vbi nihil mutem. vide Broukh. ad Tibul. I. V. 50. sic θέλησον ποιῶν pro facias Aesch. Promet. vs. 782.

7 *Demisso pene*] Ita Veget. Art. Veter. II. c. 53. de jumentis. *corpus calebit, venae etiam extabunt, natura submissa erit.*

7 *Si similem*] *Similem si*, ne accentus in vltimam syllabam cadat, legi volunt Viri docti. quot ergo non loca Phaedri essent refingenda? supr. fab. XVIII.

Humo iacebat flebiles gemitus ciens.

cur non iubent rescribi, *gemitus flebiles?* lib. II. fab. 1.

—— —— *non est quod timeas ait.*

lib. I. fab. 25.

Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

cur non *cupidum te?* II. IV. 7. *forsan et miserae mihi*, cur non *miserae forsan et mihi?* et ita centies.

8 *Hoc rostro*] Δεικτικῶς. vid. ad Petron. cap. XII.

10 *Et facilis*] *En* et Heinsius libro suo adscripsit, et Cuperus idem censuerat. sed vulgatam cum Scheffero defendit Cl. Perizonius ad Sanct. Miner. lib. IV. de Ellipsi, qui plurimis ostendit, familiarem esse ellipsin hano τῷ *dixit, inquit* etc. Ad sensum huius loci facit Martial. I. Ep. 23.

FAB. XXX.

1 *Laborant*] Id est, in periculo sunt. vide ad Petron. cap. XV.

2 *In palude*] Bentl. *e palude* et coniungit cum *intuens*, male; in palude enim erat rana, quae intuebatur. apud Ouid. III. Amor. VI. 51.

Hunc amnis rapidis animosus vidit ab vndis.

vbi plurimi MSS. *in vndis* exhibent. forte melius. sed quia librarii

Heu, quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
5 De principatu cum decertarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boues:
Est statio separata, ac diuersum genus;
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula,

Et

rii malebant *ab*, pulsa praepositio loco cessit. XIII. Met. 852.

> — *quid non haec omnia magno Sol videt e coelo.*

vbi etiam Iunianus *in coelo*. similiter vidimus supr. fab. 25. *e Nilo* pro *in Nilo* maluisse alios. si vero in terra fuisset Rana, non instantem perniciem, sed praesentem timuisset.

2 *Pugnam Taurorum*] Haec pugna maxime sub coitus tempore fieri solebet, cum tauri, qui antea soli ac separati a vaccarum commercio pascebant, quod ἀτιμαμελῶν Graeci dicunt, furore perciti de vaccis certabant inter se. vide Erasmum in adagio *Abiit et bos in siluam.* vbi erudita multa de tauris congerit. obuia etiam apud Poëtas de hac pugna taurorum et regno saltuum loca. vide Apoll. Rhod. II. 88. Ouid. IX. Met. 46. Stat. II. Theb. 323. V. 33. VI. 861. et XI. 251. etc.

5 *Decertarent*] Hanc Heinsii correctionem Schefferus et deinceps reliqui secuti sunt, pro *cum illi certarent*, et conuenit furori et rabiei pugnantium taurorum. frequens apud Frontinum. vt lib. I. III. 2. et II. III. 8. et alibi apud Ciceronem, Historicos, et bellorum narratores obuia vox est. ita *decertatoria pugna*, vt quidam legunt apud Quinctil. lib. VI. de Inst. Orat. cap. 4. vbi vide notas.

7 *Est ratio separata*] Et hic locus varie tentatus, sed nobis *est statio* placet, et suppleri haec verba ita debent; Est quidem taurorum statio a nobis separata (id est, illi viuunt in terra, nos in aqua tutae, vt videtur, latemus. vnde mox *secreta* latibula vocat.) et diuersum sunt genus, sed etc. Virgil. IV. Georg. 8. quem locum adduxit Gudius, hoc optime firmat.

> *Principio sedes apibus, statioque petendae.*

et Valer. Flacc. III. 361.

> — *et aprici statio silet annua Nili.*

et hinc proprie videmus dici de illis animalibus, quae pro tempestatibus anni mutant sedes. vt hic tauri antea seorsum pascentes, nunc ad vaccarum greges, vt ibi dominantes illis soli vtantur, se conferentes, *genus* vero vt lib. I. fab. 3. vbi *genus* et *sedes*. et mox fab. seq. *genus inerme*. et alibi. deinde deest τὸ *quidem*, quod saepe suppleri debet. vt etiam lib. II. fab. 1.

> *Exemplum egregium prorsus et laudabile,*
> *Verum etc.*

pro *exemplum quidem egregium, verum* etc.

8 *Regno nemoris*] Ita *Armenti reges* dixit Statius XI. Theb. 28. vid. supra laudata Poëtarum loca.

10 Et proculcatas obteret duro pede.
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

(31) F A B. XXXI.

Miliius et Columba.

Qui ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.
Columbae ſaepe quum fugiſſent Miliium,

Et

10 *Proculcatas*] Ouid. XII. Met. vſ. 373.

— pedibusque virum proculcat equinis.

11 *Pertinet*] Eſt quod vulgo *pertingit* dicere ſolent. Liv. I. 10. *Ad quos eius iniuriae pars pertinebat:* infr. III. fab. V.

Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit.

Vide Gronov. ad Plaut. Milit. Glor. II. V, 58. et nos ad Quinctil. II. Inſt. 4. Quod vero Cl. Bentlejus et eius aemulus legant verbis tranſpoſitis,

Ita caput ad noſtrum furor illorum pertinet.

ego non video metri rationem tam liquidam et elegantem. nam Bentlejus nihil monuit de metiendi pedes modo. Alter, hic pedem τετρασύλλαβον ſiue proceleuſmaticum fingit, cuius tamen liquidiora in Phaedro exempla mallem: nam de lib. III. fab, II. 4. ibi videbimus: fab. XV. 12. aliqua ſpecies eſt; ſed ibi duae ſyllabae *cium* in *beneficium* coaleſcere poſſunt, quod hic fingi non poteſt. terrius locus IV. 23. 17. aliter debet legi, vt videbimus. Quare qui nouas leges metri ferre velit, frequentiori vſu et locis non controuerſis niti debet. ſi vero duabus breuibus liceat vti ſyllabis pro vna longa, et ita ex pede triſyllabo facere retraſyllabum, non tam rara eſſent exempla. Et ſi iam hoc liceret, certe non par eſt obtrudere illis locis, quibus aliter metrum conſtat, et verba tranſponere contra ſcriptos, et editos, vt exiſtat verſus inſolitae menſurae, er hic facio cum viro docto ad fab. vlr. p. 58. qui non vult, *de his in vniuerſum temere pronuntiari cum periculoſa ſit deſinitio.*

F A B. XXXI.

2 *Auxilia*] Cl. Bentl. *auxilium*, vt reſpondeat τῷ *exitium*. ſed aures conſulat lector, an duae voces in *um* exeuntes, et quaeſita alliteratio, tam ſuauem edant ſonum. deinde in hoc promythio, quod debet eſſe generale, non referri ad vnum miluum, ſed ad omnes improbos, *auxilia* praeſtat, vt idem ſit, quod opem et quaſi copias auxiliares petere ab aliquo: vt ita *auxilia* paſſim in plurali dicuntur. ſi de vno miluo egiſſet, dicere potuiſſet *auxilium* milui requirere, vt lib. IV. 3. *Auxilium petiit hominis.*

3 *Fugiſſent et vitaſſent*] Haec dua verba mutat Cl. Bentl. in *effugiſſent* et *euitaſſent*, quod vltimum etiam Heinſio placuit, ſed recte refutauit Vir doctus. nam

primum

Et celeritate pennae vitassent necem,

F 2 Consi-

primum verbum sollemne fere in hac re. Ouid. I. Art. 117.

Vt fugiunt aquilas timidissima turba columbae.

et I. Met. 506.

Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae.

vbi etiam notandum *penna* pro *pennis* poni, vt hic Schefferus recte obseruat. iterum V. Met. 605.

Vt fugere accipitrem penna trepidante columbae.

et ita hoc verbum *fugere* occurrit millies. iam vero addit noster *vitassent*: licet vero qui *fugit* non semper euadit, tamen alterum illud verbum hoc potest notare, vel, vt etiam prius, cum effectu capi. Ita idem Ouid. II. Ep. VII. 11. haec duo verba iungit.

Saepe canem longe visum fugit agna, lupumque
Credit, et ipsa suam nescia vitat opem.

et III. Trist. IV. 4.

Viue tibi et longe nomina magna fuge:
Viue tibi, quantumque potes praelustria vita.

Cicer. I. de Orat. 48. *Sed quia, quod in caussis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse, succedam, id me nunc isti vitare non sinunt.* et II. de Off. 2. *Arrogantiam affirmandi vitantem, fugere temeritatem.* Senec. IV. de Benef. 15. *Iniuriam facere per se vitanda ac fugienda res est.* differre vero *fugere* et *effugere* docet Senec. Ep. V. *Ferae, quae pericula, quae vident, fugiunt, cum effugere securae sunt.* et de Tranq. anim. cap. 11. cum attulisset illud Lucretii *Hoc se quisque modo semper fugit,* addit; *sed quid prodest, si non effugit.* Vnde patet meras hic adduci cauillationes: vtrumque autem verbum apud Poëtas saepe pro conatu effugiendi, saepe pro effectu, et ipso effugere sumitur, et haec Poëtarum est licentia, verba, quae fere idem notant, variandi. ergo cum *fugissent* et *vitassent*, sine dubio hic notat effugissent et euitassent, aliter enim non potuissent postea se miluo credere: sic apud Ouid. Remed. Amor. 735.

Argolides cuperent fugisse Capharea puppes.

vbi in quibusdam codicibus reperi *vitasse*. eodem sensu et *effugisse* cepisse Poëtam, docet locus I. Trist. I. 83.

Quicumque Argolica de classe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.

hoc est, semper vitat aquas Euboicas. in Nuce 117.

Quid si non aptas solem fugientibus vmbras.

et ibi *vitantibus* alii: quo verbo in hac re vsum alibi Ouidium et Tibullum et alios ex Heinsii et meis notis apparet, et simul quam incerta sit inter haec verba electio, cum tamen *fugere* posset dici columba Miluum, si forte in eum incidat, *vitare* vero, cum cauet et prouidet ne in ipsum incidat: vt *vitare insidias*. I. 19. quod rectius quam *fugere*, et lib. II. f. 5. *Aper rapinam vitans*, pro ne raperentur pulli. et Virg. II. Aen. 433. *vitavisse vices Danaum.* quamuis nec hoc discrimen hic procedat, nam celeritate pennae vitant necem, cum scilicet Miluus eos sequeretur. et contra *fugere* pro *vitare*, non venire in locum quemdam suspectum, centies occurrit. vt Terent. And.

5 Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aeuum ducitis,

Quam

And. IV. IV. 27. *recte ego semper fugi has nuptias.* id est *vitaui*, et Ouid. V. Trist. XIII. 50.

Sed fugerem merito naufragus omne fretum.

id est, vitarem, abstinerem a mari; immo *euitare* non semper effectum notare, sed pro simplici *vitare* capi saepe apud Senecam, docuit Gronou. ad Epist. V. Quidquid sit, monere sana non libet mihi, propter haec acumina Grammaticorum, qui parum saepe versati in Poëtarum lectione, ad vsum et consuetudinem loquendi non attendunt, sed ad rationes, quas sibi fingunt, omnia exigunt. vellem ipsi carmina scriberent ad suum sensum, vt et dictata nobis et leges conderent, ad quas nos vellent nos componere, et crederem largam saepe nobis ridendi materiem praebituros. sed aliud etiam hic obseruandum; Nielantii scilicet Anonymum hic exhibere, *cum semper fugerent, et celeritate pennarum mutassent necem.* quod natum, quia illa duo verba *vitare* et *mutare* solent, vt apparet ex Lucan. VI. 816. et quae nos ad illum Ouidii locum in Nuce 117. adduximus. sed *mutare necem*, pro euitare si liceret dicere, subintelligendum esset, *mutare necem salute*, quod durum est: nam simpliciter positum notat, vno genere necis vitato, aliud inuenire, de quo egimus post Heinsium et alios ad Val. Flacc. VI. 614.

5 *Consilium vertit ad fallaciam*] Idem est, quod cum vidisset, se vi non posse capere columbas, intendit animum in fallaciam: Egregie hic Schefferus notat differentiam inter *vertere* cum praepositione *in*, et *ad*, qualia negligunt Lucumones illi, qui leges de metris dicunt, et Latinae linguae vim illustrare vel nesciunt vel nolunt. Liu. II. 11. *Porsena primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda vrbe ad obsidendam versis.* cap. 62. *ira belli ad populationem agri vertit.* III. 7. *Senatus ad Deos populum et vota vertit.* *vertere* vero pro *mutare* poni docuimus ad Valer. Flacc. II. 572. Ita et in hac locutione inest semper mutationis prioris consilii vel instituti significatio: ita Valer. Max. VII. VI. Ext. 3. *quia nullum iam aliud in vrbe supererat animal, vxores natosque suos ad vsum nefariae dapis verterunt.* Plin. XXV. 1. *etiam quadrupedum pabulo intacta ad salutis vsus vertentes.* Val. Flacc. VII. 350.

Rursus ad Haemonii iuuenis curamque metumque
Vertitur.

Vsitatius est hoc sensu *conuertere*, vt Iustin. XXI. 1. *tunc ad destinatum facinus conuersus.* et XXIV. 6. *animum ad deorum immortalium templa conuertit.* vbi vel debet subintelligi *spolianda*, vel eiecto *animum* legendum *in deorum templa vertitur.* vide notas Heinsii ad Ouid. I. Metam. 235. Frontin. III. XI. 5. *idem consilium conuertit ad Mantinienses.* idem vero hic Phaedrus dicit, quod in alia re Ouid. III. Fast. 180. *consilium multae calliditatis init.*

6 *Genus inerme*] Ita Gudius etiam fab. II. *inermes* pro *inertes* malebat. sed huic loco conuenientius.

Quam me creatis icto regem foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?
10 Illae credentes, tradunt sese Miluo:
Qui, regnum adeptus, coepit vesci singulas,
Et exercere imperium saeuis vnguibus.
De reliquis tunc vna; Merito plectimur.

F 3 PHAE-

rius. *arma* enim desunt columbis contra rapaces aues. de *armis* vero hoc sensu egimus ad Valer. Flacc. VII. 597. ita Plinius *Ceruos*, *amissis cornibus*, *inermes* vocat. lib. VIII. 32. Anonym. Nielantii habet, *genus incertum*, quod posset explicari, *incertum salutis*, et quid egeret dubium, vt deinde tutum et securum, non sollicitum aeuum ducerent. Ouid. III. Trist. III. 4.

Incertusque meae paene salutis eram.

Consolat. ad Liuiam 181.

Incerti clauduntque domos strepitantque per vrbem.

Cicer. I. de Orat. 45. ex antiquo Poëta,

Suarum rerum incerti? quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesque consili
Dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

nihil tamen muto, non ideo etiam opus hic *inerme*, quod Phaedro vsitatum, mutare in *inermum*, quod miror illis placere, qui versus semper snauiores facere solent, quam Phaedrus ipse voluit, et iambos in paribus saepe locis reponunt, quos nescio cur, vbi sunt, expellunt. miror etiam in versu mox 7. non transpositis vocibus maluisse

Quam me creatis icto regem foedere.

nam Anonymus, habet, *cur me non eligitis pacto foederis regem.* vt euitetur concursus illae litterae *m* toties iteratae.

10 *Credentes*] Absolute hic positum pro *credulas.* vt lib. III. 10.

Periculosum est credere, et non credere.

et ita Ouid. II. Ep. 63. apposite

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria.

11 *Coepit vesci singulas,*] Vid. ad fab. II. et de constructione verbi *vesci* Broukhus. ad Tibul. III. V. 64.

13 *De reliquis tunc vna,*] Transposuerunt haec viri docti, quae olim non probabam, quia certus eram primam syllabam posse produci, et ineptum esse Grammaticorum commentum, qui ib his compositis ex particula *Re* primam natura breuem, productam fieri credebant geminatione consonantis. vt *Relligio*, *relliquus*, etc. quae ignorasse veteres credo. sed de his egimus iam ad Ouidium I. Amor. VII. 62 et II. Art. 719. vid. ad lib. III. fab. 18. neque nunc demum hoc nomen didici posse quatuor syllabarum haberi, et scribi debere *reliqüus*, nam multi id antea docuerunt et contenderunt: sed persuasit tandem, vt a priori sententia discederem, vnicum hoc a Cl. Bentleio obseruatum, quod *reliqüus*, vt tetrasyllabum nusquam occurrat apud Poëtas aurei aeui, qui, si potuisset vox illa ingredi Heroicum aut Elegiacum carmen, sine dubio ab obuia voce non abstinuissent. cui vero huius obseruationis laus debeatur parum interest, cum plurimi quidem quadrisyllabum aliquando esse contende-

PHAEDRI FABVLARVM.

LIBER SECVNDVS.

AVCTOR.

Exemplis continetur Aesopi genus,

Nec

tenderint, non semper. Ego vero ante Bentleji noras lectas, numquam me animum ira ad id intendisse, vt non crederem posse etiam tribus syllabis pronuntiari, fateor. scio quidem me posse pristinam tueri lectionem et statuere Phaedrum a religione illa priorum Poëtarum iam recessisse, vt Martialis, Claudianus et alii fecerunt: sed nolo contumax esse, quia Phaedrus in aliis locis quadrisyllabum semper facit: *de Relictis* vero Neueleti et Heinsii ad lib. III. fab. 4. ineptum. *de reliquis* enim idem est, ac *de* vel *e turba.* III. fab. 19. *e populo* III. 9.

13 *Merito plectimur.*] Supr. fab. 27. *merito iaces.* Suet. Vesp. XII. *merito se plecti.* vide Gronou. ad Senec. V. de Benef. cap. 20. Nep. Att. 11. *canit ne qua in re iure plecteretur.* Cicer. 11. de Off. 8. *iure ergo plectimur.*

Lib. II. *PROLOGVS.*

1 *Exemplis continetur Aesopi genus,*] Hic ille locus est, qui tot rixas excitauit inter eruditos. Cum enim Gudius gloriatus fuisset, se primum hunc locum ita interpretatum esse, vt *genus,* simpliciter pro genere humano, *contineri exemplis,* id est fabulis *Aesopi*, dixerit Phaedrus, et se iam Ann. CIƆIƆCLXIII. I. F. Gronouio id Hagae ostendisse scripsisset, ego ne filium Gronouii commonerem, ex consilio Cl. Graeuii edi in notis Gudii, pro I. F. Gronouio curaueram, *Viris Doctis:* aegre tamen id tulit Vir Cl. et cum in quodam colloquio, in quo Gudio iniquior apparebat, coram me multa in eum effunderet, significabam illi, et etiam ostendi alias, post editas Gudii a me notas, vtrumque fuisse posteriorem Barthio, qui in notis ad Stat. XI. Theb. 55. iam hoc sensu verba Phaedri ceperat. ita enim ibi scribit: *Exempla habet summorum Poëtarum, sed exemplis non continetur Poëtarum genus, quod de humano vniuersim melius perhibuit Phaedrus.* quem locum postea etiam Hoogstratanus produxit, nescio an, vt plurima in eius notis, ex indicio Broukhusii, cum quo et haec communicaueram. Potuit tamen et hoc I. F. Gronouius, antequam ex Gudio audiret, per se inuenisse, vt erat sagacitate mira, in emendandis et illustrandis veterum locis. et vt praeterea erat mira modestia, tacuisse, ne Gudius sibi praereptum doleret, vt egregie

Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
F 4 Quam

gie Cl. Wolfius obseruauit. Sed mirum accidit, Fabrum, qui anno, antequam moneretur a Cl. Gronovio, primam editionem prodidit Phaedri, in secunda editione 1665. de tota hac Gronouii admonitione filuisse: non placuit tamen haec interpretatio Heinsio. nec deinde Cl. Bentlejo, qui gladio Gordium nodum resecans eiicit *Aesopi*, et supponit,

> *Exemplis continetur humanum genus.*

quod, recte displicet eius censori, qui hic non uniuersim de exemplis, sed de solis Aesopi fabulis legi ostendit, quare *Aesopi* nomen expungi nequit Sed nec ille se expedit, nisi totum infarciendo versum, quae ratio auctores tractandi periculosa et temeraria mihi videtur. *Genus* vero absolute poni pro humano genere iure videri potest durum, praecipue initio alicuius carminis, cum reliqui scriptores, vel addant semper *hominum*, vel *humanum*, vel *mortale*, vel simile quid; aut si absolute aliquando ponant, non longe ante aliquid praecessit, aut mox sequitur, vnde lector colligat facile, de humano genere agi. vt in loco Senec. Hippol. 469.

> *Excedat, agedum, rebus humanis Venus,*
>
> *Quae supplet ac restituit exhaustum genus.*

vbi in MSS. Traiectino pro *exhaustum* legitur *humanum*, quod ex glossa natum, sed in eo loco nihil aliud vult Seneca, nisi reparari genus humanum, siue sobolem propagari per Venerem; vt ita ibi *genus* notet posteritatem, sobolem, vt centies poni consueuit. vt de equis Iustin. IX. 2. *Viginta millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa.* Alter in loco ex Hercule Oetaeo vs. 63.

> — *sed quid impauidum genus Fecisse prodest?*

Epitheton Poëta addidit, vt apud Ouid. I. Met. 414. *Inde genus durum sumus.* et deinde opponit *genus impauidum, Deis*, et mox addit,

> *Purgata tellus omnis in coelo videt Quodcumque timuit.*

Ibidem vs. 760. *Jam genus totum obstrepit.* vbi humanum certe intelligitur, nam praecessit,

> *Non sola moeres. Hercules toto iacet*
>
> *Mundo gemendus. Fata ne, mater, tua*
>
> *Priuata credas, iam genus totum obstrepit:*
>
> *Hunc, eiulatu quem gemis, cuncti gemunt,*
>
> *Commune terris omnibus pateris malum.*

quae omnia satis docent ibi agi de vniuerso hominum genere, etsi non addatur epitheton *humanum*. vers. 1883. puto non de toto genere humano agi: quod clarissime patet inde, quia Alcmena in ista naenia omnes, iam ab ipso initio, gentes vndique et populos ad luctum de Herculis morte ciet. et cum antea dixisset, *totus, totus personet orbis*, deinde per species gentes aliquot, vt Cretenses, et postea Arcadas prouocat ad lacrimas his verbis,

> *Flete Herculeos, Arcades, obitus,*
>
> *Nondum Phoebo nascente genus.*

vbi coniungi debent *Arcades genus*, iam ante lunam natam, vt satis notum est, editum. et deinde Argiuos, Thracas et alios, qui testes Laborum Herculis fuere, populos concitat. Locus Manilii I. 145. *semper erit genus in pugna*, varie expli-

Quam corrigatur error vt mortalium,

Acuat-

explicatur. Scaliger *genus* capit, pro origine mundi; cuius cognitio erit semper controuersa, et supra hominum et deorum ipsorum captum. et Huetius in eo tantum differt, quod concedat esse supra hominum captum, non vero deorum, sed supra deorum potestatem: et ita per *genus* intelliguntur elementa illa, quae vulgo statuvntur inter se pugnantia, et inter quae est discordia concors, ita vt inde enata, (vt mundus, qui est genus elementorum,) semper forent controuersa et dubia, quia latet origo rerum. et certe sequentia docent ibi non agi de genere humano, sed de vniuerso. Quidquid enim de origine disceptatur, addit; hoc certum et manifestum est, esse certum ordinem rerum,

> *Sed facies, quacumque tamen sub origine, rerum*
> *Conuenit, et certo digestum est ordine corpus.*

Hinc iam patet, quam temere saepe arripiamus loca a viris doctis, ad firmandas nouas interpretationes adducta, quae si accuratius excutiantur nihil efficiunt. nullus enim a Gronouio productus locus probat, *genus* absolute positum, et sine quibusdam aliis vocibus, quae vel praecedentes, vel sequentes ostendunt agi de genere humano, significare genus humanum. Placuit vero ita noua haec fine Gudii, siue Barthii, siue Gronouii interpretatio, vt hodie fere omnes eam probent. et multum eam iuuit significatio elegans verbi *contineri*, pro in officio retineri, doceri. vt ita nostro aequalis vsus est Valer. Max. II. I. 2. vbi *disciplina contineri*, et IV. III. 11. vbi in *hoc genere vitae frugalitatis consuetudo Catonem continuisse* dicitur. et ita passim alii. vid. Barth. Adu. XIX. 21. et ad Claud. de Conf. Prob. et Olybr. I. Gronou. ad Liu. XXII. 30. et notas ad Petron. cap. 2, Et sine vllo dubio hinc nata fuit Clerico, qui sine flagitio literario nullam Ephemeridum partem emittere potest, insulsa explicatio dicti loci Valerii Maximi lib. II. cap. I. §. 2. quam prodidit tom. XXVI. Bibl. Ant. et Recent. pag. 209. Vbi Valerius agens de accubitu virorum, et mulierum sedendi in sellis consuetudine, dicit. *Quod genus seueritatis aetas nostra diligentius in Capitolio, quam in suis domibus seruat. videlicet quia magis ad rem pertinet Dearum, quam mulierum disciplina contineri.* vbi ille, haec verba non intelligens, putat deesse *genus*, aut simile vocabulum, vt *Mulierum* vel *Dearum genus* intelligatur, quod illustrat loco ipsi a Stephano suppeditato ex Virgilio, *genus omne perosus femineum*. sed ne dicam insulse bis *genus* repeti, non vidit genitiuum *Dearum* et *mulierum* pertinere ad *disciplina*. Quam enim ridiculus ille iocus esset et indignus Valerio, qui Dearum totum genus disciplina quadam (vt hodie virgines in monasteriis a monachis continentur) contineri magis ad rem pertinere cauillatus esset; sed repetenda sunt ex prioribus verbis *genus seueritatis*, quod dicit exoleuisse in domibus et priuatis conuiuiis, sed seruatum tamen in epulo Iouis. cuius caussam reddit, quia magis ad rem pertinet, id est, conuenire aetati suae videtur, hoc genus seueritatis contineri disciplina dearum, quam mulierum, quae luxuria iam ita valida et viribus in immensum aucta nullis pudoris repagulis cohiberi poterant. Exemplum ergo antiquae seueritatis et modestiae seruatum fuit in Deabus, quae adhuc

huc adsident Ioui cubanti, sed aetati Valerii non amplius conueniebat, vt viri cubarent, mulieres sederent. non intellexit quid *disciplina Dearum* et *mulierum* notat, quae est mos, consuetudo, institutum: vt Iustin. XI. 7. *Gnara artis ex disciplina parentum.* sic *disciplinae* Stoicorum et aliorum Philosophorum, passim apud Ciceronem et alios, pro eorum secta et institutis occurrunt. vid. et Liv. XLV. 37. queritur igitur et tangit seculi sui corruptelam, qua ita omnia erant lapsa, vt illud genus seueritatis exiguis admodum limitibus contineretur, et tantum disciplina Dearum; cum mulieres iam repagula illa repulissent. Et certe tanta omnis pudoris et modestiae erat contemtio, vt in accubitu illo promiscuo multa pudenda fierent, vt ipse Ouidius fatetur de se I. Amor. IV. 41. et seq. et quod voluptatis genus *vesticontubernium* vocat Petron. cap. XI. haec incognita propudia erant veteri aeuo, vbi modestia et habitus sedendi mulieres probas commendabat, et seueritatis illud genus erat per omnes domos celebratum, nunc, euagata late luxuria, continebatur seueritas illa sola Dearum disciplina. ridiculam, vt in transitu, amphibologiam committit Gallulus ille, linguae vernaculae honos, scribens. *qu'autrefois a Rome les femmes souspoient assises, pendant que les hommes le faisoient couchez sur des lits.* vbi *le faisoient*, ex disciplina hodie loquentium, posset capi, vt modo de Ouidio dixi, qui *dulce opus peragebant.* sed de eo non cogitauit vir sanctus, licet linguae suae non satis gnarus. sed ad rem redeamus. Quid ergo faciemus huic loco? fateor me dubium haerere: nam nec placet admodum *Aesopi genus* capere pro eius scribendi ratione vel *stylo*, vt dixit prolog lib. III. quia nec exempla, quibus hoc Faber vult probare, id plane efficere mihi videntur, vbi *fabularum genus*, *vetustum genus* etc. non *Aesopi*, vel *hominis* alicuius *genus* occurrit. Ego vero puto in hac praefatione Phaedrum sibi munire viam, qua se defendat contra eos, qui culpare vellent, quod cum in praefatione libri I. professus esset, se polire tantum materiem repertam ab Aesopo, nunc tamen quaedam sit immixturus, non ex fabulosa antiquitate, sed quae memoria erant facta sua, de quibus mox vs. 9. et 10. Obiicere ergo poterant inuidi, non dare illum fabulas Aesopias, sed narrare historias etiam veras. his occurrit farendo, Aesopi quidem genus solis absolui fabulis, contineri illis, non egredi fines illos auctori propositos, sed cum earum finis sit, corrigere errorem mortalium, nihil debere lectorum interesse, dummodo suauitate et varietate delectent aeque verae historiae, ac fabulae lectores. eo magis, quod nec longo ambitu narret ea quae acciderunt, sed breuitate eas fabulis faciat similes; vt possint edisci et memoriae inhaerere. Hoc vero vt efficiatur, notandum primo est, Phaedrum hic per *exempla* intelligere fabulas fictas, quibus opponit *facta*, id est, quae reuera acciderunt. vt lib. I. 3. *Exemplum hoc prodidit Aesopus.* lib. III. 10. vbi cum ostendere vellet periculosum esse *credere* et *non credere*, et *vtriusque exemplum* ex fabulosa historia, de Hippolyto et Cassandra breuiter proposuisset, mox addit,

> *Sed fabulosa ne vetustate eleuent,*
> *Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.*

quasi plus ponderis ad persuadendum inesset veris historiis, quam fabulis. ita Cicer. III. de Offic. cap. 9. cum retulisset fabulam Gygis, addit. *Haec est vis huius annuli, et huius exempli etc.* Quia ergo nondum melius mihi in mentem venit,

Acuatque sese diligens industria.
5 Quicumque fuerit ergo narranti iocus,
Dum capiat aurem, et seruet propositum suum,
Re

venit, capiamus *genus Aesopi* pro genere, quo ille vsus est, scribendi, id est fictis fabulis, vt millies occurrit *genus dicendi, scribendi.* vt Ouid. II. Trist. 381.

Omne genus scripti grauitate Tragoedia vincit.

et passim alibi. sed, quod propius accedit, *Xenophonteum sermonis genus* Cicero dixit de Clar. Orator. cap. 35. et adhuc magis apposite idem cap. 44. *Antonii genus dicendi.* et II. de Orat. 21. *Genus Crassi magnificum atque praeclarum.* Video quidem diuersitatem adhuc paruulam esse, nec dici a Phaedro *Aesopi genus scribendi*, aut *Aesopi genus egregium*, *vtile*, aut simile quid, sed simpliciter *Aesopi genus.* cui similem per omnia locutionem adhuc ignorare me fateor. quare vt magis ad Ciceronis loquendi rationem accedat Phaedrus, possit cum Heinsio in Epistola XIX. ad Schefferum legi, *Aesopi id genus*, scilicet fabularum, vel, quia viri docti tantum licere sibi existimant; vt vbique *hic, haec, hoc* intrudant, hic quoque meliori iure quam mox lib. II. fab. II. 2. infarciamus particulam, et legamus,

Exemplis continetur Aesopi hoc genus,

hoc genus scribendi, quo vsus est Aesopus, continetur solis exemplis, id est fabulis fictis, nec alius ipsi, et qui eius exemplo hoc scribendi genus secuti sunt, finis propositus, quam vt corrigatur error mortalium, et acuat se industria. cum vero idem possemus vtilitatis et fructus capere ex historiis veris et factis, si modo aurem capiant et finem Aesopi et propositum seruent, nihil interesse poterit lectoris, an fabulas, an facta, sed breuiter et iucunde more fabularum narrata, legat, quia et varietas delectat. se ergo seruaturum dicit morem Aesopi, et etiam fabulas daturum, sed si voluntas ipsi et libido venerit, aliquid de suo interponendi, vt aequi bonique consulat lector rogat. protulisse enim se pomoeria fabularis disciplinae ab Aesopo inuentae, et Latio ostendisse nouum scribendi genus gloriatur.

4 *Diligens industria*] Epitheton ex illo genere, de quo ad lib. I. prolog. vers. 7. et IV. vlt. vs. 30. agimus.

5 *Quicumque fuerit ergo narranti iocus etc.*] Et hunc vexarunt locum interpretes. *narrandi locus, narranti locus, narrandus logus*, sed omnes veri logi: optime illi, qui, *quicumque fuerit narranti iocus*, vel *narrantis*, vt Cl. Graeuius, quem vide ad Cicer. XVI. ad Fam. Ep. 21. sensus satis apparet ex iis, quae modo diximus. qualiscumque fuerit iocus, id est, siue fabula ficta, siue historia vera, in fabulae modum ad capiendas aures narrata. *iocus* vero, non *locus* debet legi, quia sequitur *dum capiat aurem* etc. quod de *ioco* recte, de *loco* stulte et perperam dicitur: siue ergo fictum exemplum ex Aesopio genere, siue res facta ex Phaedri inuentione fuerit, debet re, non auctoris nomine commendari.

6 *Capiat aurem*] Vt Petron. de Magistro cap. III. *nisi quasdam insidias auribus fecerit.* vid. ad lib. III. fab. 8.

Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem seruabo senis:
Sed si libuerit aliquid interponere,

Dicto-

7 *Re commendatur.*] Quam turpiter se dederit Stubelius quidam, qui auctoratus a bibliopola Lipsiensi, augendo Thesauro Fabri manum mercenariam locauit, et coniunctis his vocibus, nobis verbum *recommendare* hinc excusserit, videri potest apud Fallterum in Animad. Epist. pag. 56. et Richter. in praefatione editionis suae, qua docet iam Hartnaccium se ducem Stubelio praebuisse. Illius vero tantus fuit stupor, vt licet Cellarius, Borrichius et Vorstius damnauerint, hoc tamen loco nemine contradicente reperiri iactet. ceterum Heinsius et Bentlejus *commendetur* sine vlla necessitate rescribi iubent. confidentis enim et affirmantis est oratio, qua dicit quemcumque iocum siue fabulam, et a quocumque profectam, siue fictam, siue veram, si modo delectet et vtilis sit, commendari re et ipso argumento, non auctoritate scribentis.

9 *Sed si libuerit*] Et hic tam simplex et obuius sensus non potuit Phaedro integer manere. Heinsius *sed ubi*, id est, quotiescumque, quod nihil fere addit aut aufert sensui Poëtae. debet autem intelligi, *si mihi libuerit*. de verbo *libet* vide supra ad lib. I. 3. et ita, notantibus iam aliis, dixit C. Nepos Pelop. 5. *Hoc loco libet interponere*. Val. Max. IX. XII. 1. *ne longius euager, libet eorum mentionem facere*. sed quia per compendium in codice Remensi erat *siluerit*, inde Cl. Gronouius coniicit, *sed si fuerit aliquid interponere*. Scilicet, quia *est* cum infinitiuo aliquando pro *licet* occurrit, vt Heinsius multis ostendit ad Ouid. II. Art. Amat. 28. ideo hic etiam ita loqui cogetur Phaedrus, dutissime certe et praeter suum morem; Praeterea in hac correctione cogitur vir Cl. in *aliquid* secundam productam pronuntiare, sine vllo exemplo aut ratione, vt in Hoogstratani videri potest notis. hoc enim est venditare, quod ignores. Bentlejus vero, quia ambigua verborum constructio triplicem sententiam facit, vt nescias, an, *Varietas dictorum delectet sensus*, an, *varietas sensus dictorum delectet*, an, *varietas delectet sensus dictorum*, ille reponit,

Sed si libuerit aliquid interponere
Diuersum, sensus vt delectet varietas.

certe vltima verba rectius nunc puto explicata esse, *varietas delectet sensus*, scilicet lectorum, quam olim cum *dictorum varietas* coniungerem, cum Cl. Perizon. Animad. Histor. cap. II. et vt nunc video Heinsium censuisse Epist. XIX. ad Schefferum. de *dictis* etiam multa adnotaui olim, quae et ad Quinctil. V. de Inst. Orat. II. obseruata sunt aliis. *sensus* vero Heinsius Ep. XXI. ad Schefferum, pro *animis* capit, vt apud Virgil. Ecl. III. *sensibus imis reponere*. quamquam *sensus* dicitur de omni facultate animi, qua per corporis ministerium et membra, vt aures, oculos etc. vel voluptatem, vel dolorem et similia sentimus. vt Ouid. IX. Epist. 120.

Et venit ad sensus mollis ab aure dolor.

videndus praecipue Cicero II. de Orat. 87. et III. 7. vbi etiam *sensum delectare* et *oblectare* dixit. et ita millies. sed cur, aut vnde illud diuer-

10 Dictorum sensus vt delectet varietas,

Bonas

diuersum, cuius nulla vestigia in editis aut scriptis? quia scilicet nemo intelligebat quid sit *aliquid interponere*. credebat Vir doctus, *aliquid* requirere sibi adiunctum adiectiuum, vt *aliquid simile* et *turpe* vt lib. IV. fab 17. Verum an non eleganter dixit Terent. Andr. II. I. 14. *interea fiet aliquid*, et an non satis intelligebat Byrrhia idem hoc esse, atque *aliquid accidet boni*, quod plenius dixit Act. II. III. 24. An non intelligimus etiam, quod promittat Puella Ouidio III. Amor. II. 83.

Risit et argutis quiddam promisit ocellis.

quod alii per *aliquid* extulerunt, vt docent notae: certe intellexit hoc Danisius ad Cicer. Tusc. Disp. III. 18. Praeterea an non sub illa formula frequentissima, *est aliquid*, apud Ouidium, vt III. Epist. 131. IV. 29. et alibi, quid intelligatur statim peritus Linguae Latinae deprehendit? et nos mox explicabimus apertius. Non recte vero Bentleji emendationem arguit Vir doctus, quia credit *varietatem* non posse absolute poni, sed in regimine: quo quaeso argumento? nisi quia in Phaedro bis occurrat *rerum varietas* IV. 25. et V. 5. ergo et hic esse debeat, *dictorum varietas*. sed cum hunc locum eripiat huic Obseruationi Bentleji correctio, conferamus nos ad Quinctil. I. de Inst. Orat. 12. qui dicit, *cur non pluribus curis horas partiamur, cum praesertim reficiat animos ac reparet varietas*. et lib. II. 8. *est in hoc incredibilis quaedam varietas*. Valer. Max. II. X. Ext. 1. *Dudum est aliquid loci etiam alienigenis exemplis, vt domesticis adspersa varietate ipsa delectent*. quod exemplum olim iam adduxeram, et cui alterum Iustini ex praefatione addideram, *siue aemulatione gloriae, siue varietate et nouitate operis delectatus*. vbi dubium tamen est, an *varietas* per se subsistat, an etiam ad *operis* referri oporteat: per me licet alterutrum eligat lector. Cicer. II. de Orat. 15. de Historia: *haud scio, an flumine orationis, et varietate maximum*. dicam tamen quid mihi in mentem venit, vt cogitandi occasionem viris doctis praebeam, non vt cuiquam obtrudam. Cum Phaedrus in praecedentibus, vt iam vidimus, promisisset, se seruaturum morem Aesopi, et fabellas fictas, et exempla ab animalibus desumpta scripturum, petit hic veniam, si quid ex veris factis interposuerit, et contra morem eorum, qui fabulas scribere solent, peccarit: et ideo potuit forte scripsisse,

Sed si libuerit aliquid interponere
Factorum, (vel *actorum*) *sensus vt etc.*

vt *facta* opponat *fictis fabulis*. Quid vero facilius ad lapsum librarii, quam in primis literis *di*, errasse et pro *a*, vel *fa* eas effinxisse? praesertim cum *facere* et *dicere*, et inde deducta, centies Librarii confuderint. vt apud Ouid. Remed. Am. 507. *nec fac* (vel *dic*) *conuicia posti*. Iam vero *facta* opponi *fabulis* docet Petron. cap. LXXVI. *factum, non fabula*. vid. ad Quinctil. Declam. X. cap. 13. sic Ouid. VI. Fast. 3.

Facta canam, sed erunt qui me finxisse loquantur.

Cicer. III. Off. cap. 9. *Philosophi fictam et commentitiam fabulam dicunt prolatam a Platone, quasi vero ille aut factum id esse, aut fieri potuisse defendat*. et cap. 26. *Dimittamus et fabulas et externa, ad rem factam*

Bonas in partes, Lector, accipias velim.
Ita: Si rependet ipsa breuitas gratiam:

Cuius

factam et nostra veniamus. Thessal. Hippocrat. fil. legat. in operibus Hippocrat. Tom. I. Edit. Charr. pag. 8. οὐ γὰρ μῦθος τὰ Τρωϊκὰ, ἀλλ' ἔργα. *non fabula Trojanum bellum, sed factum*. et ita τὸ γενόμενον Graecis opponitur λόγῳ, vt in prouerbiali locutione λόγον, οὐ γενόμενον. de quo vide Casaub. ad Athen. X. 17. vbi eodem sensu Martialem VI. Ep. 60. et alibi *rem factam* dixisse notat; quod loquendi genus notat quidem Barth. XXI. Adv. 11. sed non explicat. inepte vero Gallicus interpres *dicta* vertit, per *paroles veritables et importantes*. Denique *aliquid* eleganter etiam cum genitiuo construi notius est; quam vt ostendi mereatur: quare etiam *aliquid diversi* potuisset Cl. Bentlejus supponere eodem iure, quo *diuersum*, vt *aliquid terroris* Cicer. V. Tusc. 31. vid. ad Ouid. I. Fast. 484. Vt vero omnes aditus obstruerentur, et occurreretur cauillationi etiam minimae, producenda forent exempla, quae non modo *aliquid diuersi*, *facti*, *solliciti*, *erroris* etc. dici probarent, sed et genitiuum pluralem, *aliquid factorum*, ex aliquo idoneo auctore vindicarent. fateor de illa locutione me numquam dubitasse, et ideo forte transiisse loca similia: sed si *quid* licet ita construere, cur non et *aliquid?* atqui Terentius Heaut. II. III. 28. *vt ne quid huius rerum ignores*. id est, ne aliquid rerum huius mulierculae ignores. Sed forte plura occurrent loca, quae nunc quaerendi otium non est.

11 *Accipias*] Ita et infra fab. XLVII. *Accipiens cuncta in contumeliam*. Terent. Eun. I. 2. *Neue aliorsum, atque ego feci, acceperit.* Hoc obuium: sed ne quis *arripiat*, vt *rapere* prolog. lib. III. supponat, verbo praemonendum erat.

12 *Ita sic rependet*] Locus obscurus et intricatus per has particulas, *ita, sic*. Barthius Ablegm. Critic. II. 23. postquam miratus esset, nemini tam manifestam incohaerentiam esse animaduersam, rescribi iubet, tanta confidentia, vt neminem negaturum esse, iactet,

Ita, si rependet illi breuitas Gratiam.
Cui ius verbosa nescit commendatio.

Barthium, qui omnia fere ei debet, sequitur Eustat. Swarthius Analect. I. cap. 4. Cl. Perizon. Animad. Hist. c. II. legit

Sic istam tibi rependet breuitas gratiam:
Cuius verbosa ne sit commendatio;
Attende etc.

cui accedere forte possem, nam et Ouid. III. Art. 52.

Gratia, dum viues, ista petenda tibi est.

memoriae vero, credo, vitio, ad Valer. Max. VIII. VI. 1. *hanc gratiam* pro huius generis explicans, citat. Anonymus vero *ita* putat profluxisse et *meritam*. sed et eodem iure alius pro *istam* legeret, *sic iustam*, sed neutrum, credo, placebit doctis viris. Ex Perizonii vero suam confecit correctionem Walchius, mutando tantum *istam*, in *ista*. Bentlejus, in parte verborum Barthium sequens, legit,

—— —— —— —— *accipiat velim:*
Ita, si rependit illi breuitas gratiam.

hoc, credo, sensu. Ita demum boni

Cuius verbosa ne sit commendatio,

Attende,

boni consulat, si breuis sim, et non molestus longis narrationibus. quam ipsam breuitatem ne commendem verbosius, attende etc. Quam non absurdam emendationem credimus, et quia Vir maioribus et altioribus occupatus negotiis, haec nostra studia tantum in transcursu tangens, studiosis, qui sua post eum probant, confirmandi ea prouinciam commisit, age videamus, an hac in parte vicariam laudem reportare liceat: Quamuis Heinsius iam quaedam praeceperit, nisi quod pro *accipias* Bentleji, *accipiat*, quod fere eodem redit, et pro *rependit illi*, *rependet*. sed in hac emendatione vellem post *ita* etiam distinctionem duorum, vt dicunt, punctorum, poni. Ouid. I. Met. 375. de Pyrrha et Deucalione, cum preces essent auspicaturi ad Themida, sub conditione eius pacem exposcunt,

> *Atque ita: Si precibus, dixerunt, numina iustis*
> *Victa remollescant.*

Trist. V. III. 53.

> *Idque ita: Si vestrum merui candore fauorem.*

locum ex I. Trist. II. 99. quem Heinsius adduxit, ita mallem distinguere.

> *Immo ita: (vos scitis) Si me malus abstulit error.*

Vbi etiam *sic* quidam Codices. vid. ad XII. Metam. 512. contrarium huic est *non ita*. de quo vid. Comm. ad Virg. II. Aeneid. 583. *Rependet* vero nescio cur mutari mereatur, petit enim veniam ea lege, si rependet breuitas gratiam: *rependit* vero praeferri videtur, vt saltem hac literula differret emendatio ab Heinsiana. Vnica superest difficultas, si, recepta emendatione Cl. Bentleji, legamus *accipiat*, quod videtur sequens *illi* poscere, quomodo deinde iterum conuerti oratio possit ad Lectorem, *Attende* etc. quae omnia cohaererent melius, si liceret refingere,

> *Ita: Si rependit ipsa breuitas gratiam.*

ista fuit olim in editis. nescio tamen post haec omnia, an praestet totum locum vt deprauatum relinquere; certe legendum esse,

> *Paci rependet illi breuitas gratiam,*

nemini persuasum iri vaticinatur Vir doctus, cui facile accedo. Denique nescio quid Praschio in mentem venerit, qui *rependere gratiam* sumserit pro *adferre*; et num Latinum sit dubitat. nam non adferre se gratiam Phaedrus lectori, sed repensurum, id est, relaturum, esse promittit pro studio et lectione fabularum suarum, vt apud Ouid. II. Met. 693. quem locum Gudius adduxit,

> —— —— *non gratia facto*
> *Nulla rependatur.*

et V. Met. 15.

> —— *Meritisne haec gratia tantis*
> *Redditur, hac vitam seruatae dote rependis?*

et II. Amor. 8.

> *Pro quibus officiis pretium mihi dulce rependas.*

Stat. IX. Theb. vs. 49.

> *Hasne tibi, armorum spes o suprema meorum*
> *Oenide, grates, haec praemia digna rependi?*

Apud Valer. Max. IX. I. 2. dubito an non rectius scriberetur, *censibus edendi atque bibendi voluptas repensa est.* nam *reperta* vix commodum

Attende, cur negare cupidis debeas:
15 Modestis etiam offerre, quod non petierint.

(32) FAB. I.

Iuuencus, Leo et Praedator.

Super Iuuencum stabat deiectum Leo.
Praedator interuenit, partem postulans:
Darem,

dum sensum facere videtur, nec respondet praecedenti verbo *infusae.* rectius dixisset, *damno,* vel *iactura censuum reperta est:* nam voluptas illa tam care constat, vt censuum et patrimoniorum damno rependatur. ita Columell. praefat. *nam nec gratuita seruitute, sed donis rependitur honos.* ita legendum ex Codice S. German. non *gratuitae seruituti.* constat ille honos seruitute non tantum, sed et donis. mox dixit, *vmbram compensari triciens sestertium,* eodem fere sensu.

15 *Modestis*] Propria vox. nam in petendo maxime laudantur, qui non improbe petunt, in quo maxime modestia sita est. Liv. XXXII. 3. *Caussam postulandae missionis probabilem esse, si modeste petatur.* Suet. Aug. 24. *Legiones, immodeste missionem petentes, exauctorauit.* Ouid. Epist. XX. 53.

Aut esses formosa minus, peterere modeste.

Adde et Tacit. I. An. 19. et Iuuen. XII. 12. et alios.

FAB. I.

1 *Stabat*] Vide supr. ad lib. I. fab. 28. mirum autem Cl. Bentlejum ipsa soni insuauitate et duritia elisionis, *cum vt*, non deterritum ab inferenda etiam hic illa particula: quis enim ferat, *iuuencum vt stabat?*

1 *Deiectum*] Recte huius verbi vsum in venatu et bello, quibus omnia fere sunt communia, illustrarunt viri docti. sic Mart. I. 61.

Non nisi deiecta pascitur ille fera.

Epigramma vetus in Catalect. Pithoei p. 28. in eumdem sensum.

Iratus recolas, quod nobilis ira Leonis
In sibi prostratam se negat esse feram.

Quod citans Barthius ad Stat. IV. 23 legit *Iratus rege te: sic nobilis* etc. nescio vnde. de verbo *deicere* plura diximus ad Val. Flacc. I. 191.

2 *Praedator interuenit*] Heinsii correctionem,

Praedo interuenit postulans partem lupus,

probare nequeo: nec enim de lupo hic agi vllum est indicium. sed de venatore hanc fabulam dictam credo, vt apud Ouid. XII. Met. 306.

—— —— Abas praedator aprorum.

et ita *praedari* pro venari Martial. I. Epig. 50.

Praestabit illic ipsa figendas prope
Voberca praedanti feras.

vt legit Heinsius ad Claudian. Fescenn. vs. 11. et ita *Praeda* Virg. I. Aen. 211. Venator vero ille forte excita-

Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum reiecit. Forte innoxius
5 Viator est deductus in eumdem locum.
Feroque viso retulit retro pedem.
Cui placidus ille; Non est quod timeas, ait,

Et,

excitanerat iuuencum (nam de fero, in siluis, vt supra I. fab. 30. capiendum est) et fugientem sequutus erat. vnde iure sibi partem videbatur poscere. iuris autem color praetendebatur forte a venatore, quod ipse taurum hunc persecutus erat, et forte vulnerauerat, Leo vero in iuuencum fugientem incidens eum deiecerat. vide §. 13. Inst. de Rer. Diuis. et l. 5. §. 1. ff. de Acquir. rer. Domin. nam Schefferi commentum non placet. Quamqaam et potest intelligi miles, qui praedatum exierat. ita Liv. II. 11. *vt eliceret praedatores, edicit suis* etc. et paullo post. *Ita caesi in medio praedatores.* et cap. 62. *Praedatoribus occurrere*, et centies alibi. Gallicus interpres *un voleur.* sed ille *latro* dicitur, quod et Guyetus sensisse videtur. Decore vero praedatori, (semper enim feri et immodesti venatores inducuntur) opponitur innoxius viator, qui nullas insidias struit, et qui viso lupo multo magis retulisset pedem. nunc reuerentia Leonis, Regis animalium, recedit. Et de viatore omnia verba produnt modestiam. Praedator *interuenit*, subito exsiliens et quasi intercedens, ne praeda tota potiretur Leo, deinde *postulans* pro iure suo partem: viator vero *deductus*, non sponte, sed casu, et via ferente in eumdem locum, *refert pedem*, et sensim, reuerentia Leonis, relegit iter: *improbum* illum *reiicit*, vi quadam et minis Leo, hunc *placide* alloquitur, et partem illi recedens relinquit. si quis tamen de Lupo capere volet, poterit ille tueri sententiam illis Virgilii I. Georg 130.

Praedarique lupos iussit.

vnde et *raptores* dicuntur eidem: sed haec huic fabulae non conuenire puto.

4 *Reiecit*] Electum verbum. vt Ouid. IX. Met. 51.

Ergo ego, quae fueram non reiectura petentem.

Terent. Phorm. IV. IV. 5. *Nam si altera illa magis instabit, forsitan nos reiiciet.* vide Gebhard. III. Crep. 10.

4 *Innoxius*] Actiua significatione, vt recte Schefferus. Suet. Calig. III. *Obtrectatoribus lenis et innoxius.* Curt. III. XI. 4. *Tela innoxia in humum cadebant.* et ita *innoxii morsus* Plinio VIII. 31. *innoxium culpae* dixit auctor argumentorum Ouidii lib. IX. Metam. fab. 3. sic *innocens Lesbium* Horatio I. Od. 17.

5 *Deductus*] Horat. II. Od. 17.

O saepe mecum tempus in vltimum
Deducte.

Ouid. III. Fast. 150.

—— oliuiferis Romam deductus ab aruis.

vid. infr. III. 13.

7 *Non est quod*] Graeca imitatione οὐκ ἔστιν ὅπως. Mart. XII. 38. *Non est quod timeas, Candide.* Terent. Andr. II. 6. *est quod succenseat tibi,* Heaut. I. 2. *nihil est quod vereare.* et IV. 7. *nihil est, illic quod*

Et, quae debetur pars tuae modeſtiae,
Audacter tolle. tunc diuiſo tergore,
10 Siluas petiuit, homini vt acceſſum daret.
Exemplum egregium prorſus et laudabile.
Verum eſt auiditas diues, et pauper pudor.

quod moremur diutius. Hecyr. II. II. vlt. *eſt, quod tranſire ad forum me oportet.* ita Faërnus et Cl. Bentlejus, qui et *oporteat et oportet* in hac locutione aeque bene dici exiſtimat, licet ſubiunctiuum vſitatiorem eſſe exiſtimem. vtuntur etiam ſaepe Latini ita verbo illo *eſt*, ſequente *vt.* quemadmodum Horat. III. Od. 1. *Eſt, vt viro vir latius ordinet arbuſta.* et I. Epiſt. XII. 2. *non eſt, vt copia maior Ab Ioue donari poſſit tibi*, vbi vide Lambin. Terent. Hecyr. III. 5. 51. *Si eſt, vt velit reducere vxorem*; et ita ille et alii paſſim. Dacerius ad Horat. d. l. III. Od. 1. ſupplet ellipſin, per ἐςὶ πρᾶγμα, vel *eſt negotium*: ſed in ipſo Ciceronis loco, quem adfert, *eiusmodi ſpero negotia eſſe, vt vos iſtuc commodiſſime ſitis*, alia eſt ratio. ſenſus enim eſt, negotia illa quae agitis, eiusmodi, vel talia, ſpero eſſe, vt hoc permittant. ſed pro variis rebus de quibus agitur, ſubintelligi debent, *cauſſa, ratio, facultas, animus, caſus* et ſimilia. ſic ſtultum eſſet intelligere *negotium* in illis Ouidii II. Met. 518.

> *Eſt vero, cur quis Iunonem laedere nolit.*

vbi *cauſſa* rectius ſubintelligitur. et ita in aliis.

9 *Tergore*] *Corpore* Guyetus, reprehenſus a Cupero II. Obſ. 20. Virgil. I. Aen. 210.

> *Illi ſe praedae accingunt, dapibusque futuris*
> *Tergora deripiunt coſtis, et viſcera nudant.*

12 *Eſt auiditas diues, et pauper pudor.*] Sine dubio commune dictum, quod ad ſua tempora retulit Phaedrus, vt ſaepe alibi. idem dicunt illa Martialis V. 82.

> *Semper eris pauper, ſi pauper es, Aemiliane,*
> *Dantur opes nullis nunc, niſi diuitibus.*

et idem quod lib. V. fab. 4. *qui rapuere, diuitias habent.* Bentlejus, fecit, *verum hodie auiditas diues eſt, pauper pudor*, ſine vlla ſpecie Phaedrum ita ſcripſiſſe. nam illud *hodie* ſupervacuum: non enim ſcripſit fabulas, vt priores, et qui dudum obierant homines, corrigeret et notaret, ſed vt mores ſui aeui oſtenderet, quare inutile eſt illud *hodie*, et verbum *eſt* ſatis praeſens tempus indicat. Nec ipſe multum videtur huic extemporali coniecturae tribuiſſe, quia non recepit in textum, vt alias facere ſolet vir doctiſſimus.

(33) FAB. II.

Anus diligens virum aetatis mediae, item Puella.

A Feminis vtcumque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.
Aetatis mediae quemdam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia:

Ani-

FAB. II.

1 *A feminis vtcumque ſpoliari viros*] Multa in hanc ſententiam congerentem vide Gebhard. III. Crepund. 22. *exſpoliari* mſ. habere teſtatur Gudius. et certe maioris audaciae et rapacitatis verbum meretrici aptius conuenit: eſt enim ita ſpoliare ſolita, vt nihil fere reliqui ſit, et ita conuenit fini fabulae, quae funditus euulſos capillos narrat. *ſpoliari* ex Terentii loco videtur intruſum. Cicer. X. Epiſt. 1. ad Att. *exſpoliare exercitu et prouincia Pompejum*, quod verbum Epiſt. 4. reponendum ex Mſ. *nunc alia ex parte perſequi, ex alia prouincia exſpoliare conatur:* vulgo *ſpoliare*. Vid. Heinſ. ad Ouid. XIII. Met. 562.

2 *Nempe exemplis diſcimus*] Cl. Bentl. *exemplo hoc:* quod, praeterquam quod inſuauiorem verſum facit, etiam omnem Phaedro elegantiam et acumen demit; cum enim varius ſit vſus particulae *nempe*, ego hic ironiae aut ſarcaſmi indicium eſſe puto: vt dicat Phaedrus, cum obuium hoc ſit et quotidianum, viros a feminis exſpoliari, nec quisquam, qui quotidie hoc accidere videt, ignorare debeat, quaſi hoc non ſufficeret, exemplis, id eſt fabulis, hoc etiam diſcere debemus. Cum enim fabularum vſus ſit, vt ea, quae vel ignorant homines, vel quae per praecepta deberent diſcere, quaſi videant et tangant manu per exempla, vix opus eſſet hoc docere per fabulas, quia vſus quotidianus ſatis ſuperque monſtrat. vide quae de vſu hoc τȣ̃ *nempe* notamus ad Valer. Flac. VI. 282. *vtcumque* hic idem eſt, ac quocumque modo, ſiue ament, ſiue amentur. Quinctil. Decl. CCCLXXIX. *Non vtcumque ſepulchrum attingitur, violatur.* et ita alii ſaepe.

3 *Aetatis mediae*] Columel. I. de R. R. 8. de villico, *mediae ſit aetatis.* Mart. X. 32.

> *Talis erat Marcus mediis Antonius annis*
> *Primus*

Ouid. XII. Met. 404.

> *Huic aetas inter iuuenemque*
> *ſenemque.*

vbi vide.

3 *Mulier non rudis*] Honeſta meretricis circumſcriptio, quae longo vſu artes meretricias probe callebat. Sic Helena apud Ouid. XVII. Epiſt. 141.

> *Sum rudis ad Veneris furtum,*
> *nullaque fidelem*
> *(Di mihi ſunt teſtes) luſimus*
> *arte virum.*

et ita II. Amor. IV. 18. *rudis* dicitur ſimplex puella. Sic *rudis puer*, et ſimilia vbique obuia.

4 *Tenebat, annos celans.*] In priori editione Scheffetus pro *annos*, *canos* conieceras eſſe legendum,

dum, quasi ex illa voce, cum omissa priori litera *c* a librariis *anos* deprehensa esset, illi effecerint *annos*. *Canos* autem Heinsius margini adscripserat, et inde Schefferum accepisse, vt plurima, puto. sed in sequentibus editionibus mutauit sententiam, et in vltima respondit iis, quae Cuperus II. Observ. 20. notauerat. Valerius vero Max. IV. V. ext. 2. videtur captasse acumen in his vocibus de Lacedaemonibus venerantibus senem. *Hominis aetate moti, canos eius et annos adsurgendi officio venerati.* Nos recepimus *tenent*, certissimam Praschii coniecturam, a Gudio probatam, et deinde tot virorum doctissimorum suffragiis confirmatam. Quinctil. Declam. XIV. cap. 3. *qua calliditate miseram simplicitatem meam sollicitauit primum, deinde tenuit.* Declam. CCCLVII. *Cum videret nequissimae mulieris illecebris maritum teneri.* Senec. Agam. 555.

Tenetque regem famula veridici Dei.

et ita passim. Iohnsonus *regebat* cum Scheffero praefert: quia anus quidem amabat, sed non amabatur a viro, cuius animos ceperat pulchra iuuenis. sed si non amabatur, quomodo *regere* virum potest dici, cuius verbi eadem est efficacia fere, quae τῶ *tenebat*? et fuisse aeque obnoxium vetulae ac iuueni patet, quia vtrique caput suum spoliandum praebuit. Gallicus interpres ita vertit, ac si vir peteret vtramque in matrimonium, et hinc vtraque, vt apparerent ipsi pares aetate, eum spoliassent crinibus. sed credo ita capiendam fabulam: primum se anui, forte propter opes, virum hunc applicuisse, quae vt fere solent, eum tenebat et imperiose in potestate habebat. Postea animos eius cepisse iuuenem puellam: ita vt respondeat fabula illis, *ament, amentur*, amabat puellam, amabatur ab anu, quam prius ante puellam amauerat, nunc vero minime.

4 *Celans annos*] hanc lectionem firmant illa Propertii III. eleg. vlt.

At te celatis aetas grauis vrgueat annis.

Apud Martial. III. 1. dubia est lectio, *formosam faciem nigro medicamine celas*, vbi alii *velas*. vid. infr. IV. XIV.

4 *Elegantia*] de hac voce vide Gell. XI. cap. 2. vbi docet *elegantes* homines dici, qui nimis lecto amoenoque cultu victuque essent. Columel. de Re Rust. VII. 2. *Tum etiam casei lactisque abundantia non solum agrestes saturat, sed etiam elegantium mensas iucundis et numerosis dapibus onerat.* Et ita hic *elegantia* pro cultu et ornatu exquisitiori ponitur. Et hoc est, quod Ouidius II. Art. 677. de aetate iam prouectis mulieribus ait.

Illae munditiis annorum damna rependunt,
Et faciunt cura, ne videantur anus.

Illic *munditia* est, quae hic *elegantia*. et ita *elegantes* et *mundos* coniungit Cicero II. de Finib. 8. et Nepos in Attico XIII. *Elegans, non magnificus, splendidus non sumptuosus, omni diligentia munditiem, non affluentiam affectabat.* Walchius per *elegantiam* hic intelligit naturae elegantiam, siue faciem naturae munere tam elegantem, vt per istam potuerit celare aetatem ingrauescentem, ac prae se ferre speciem puellae mediae aetatis. sed nihil adfert, quo probet ita Latinis *elegantiam* dici. et ineptum certe est; cum anus cultu et mundirie celaret aetatis, et etiam ipsius faciei damna, et reparare conaretur, vt ex Ouidio vidimus. sed credo hanc explicationem sumsisse a Francico interprete, qui reddi-

5 Animosque eiusdem pulchra iuuenis ceperat.
Ambae, videri dum volunt illi pares,

Capil-

dit, *son age paroissoit d'autant moins, qu'elle étoit fort agreable.* deberet, *qu'elle étoit fort galemment habillée,* aut, *parée.* Meursius post hunc versum asteriscos posuit, quasi lacuna esset, et deesset aliquid, et idem suspicatur Faber. sed licet viri docti ostenderint, recte omnia cohaerere, nuper tamen quidam Christoph. Hauptius, Rector scholae Grimmensis, in supplemento Fabularum Phaedri, quod iussit inseri Miscellaneis Lipsiensibus T. I. pag. 258. talem versum, neque necessarium, neque admodum elegantem, interiecit,

A talibus fieri vt creberrime solet.

quales versus centum locis inserere liceret. et cui similem etiam obtrudit huius libri epilogo.

5 *Animos*] potuisse aliquem *animum* legendum esse existimare, dicit Schefferus, et ideo firmat *τὸ animos* exemplo ex Cicerone, quod dissimile est; ibi enim *animi* et *spiritus* notant superbiam et ferocitatem, cuius significationis obuia sunt exempla: aliter, si plurali numero ponatur pro *animo*, de pluribus intelligi debet. vt Ouid. I. Art. 159.

Parua leues capiunt animos.

et V. 348.

Et capiunt animos plus aliena suos.

de vno tamen homine idem dixit lib. II. Metam. 39.

Et hunc animis errorem detrahe nostris.

et V. Trist. I. 23.

Quod superest animos ad publica carmina flexi.

et aliquoties alibi. Virgilius quoque de Didone lib. IV. 414.

— Et supplex animos submittere amori.

vbi alii codices *animum.* de solo Aenea etiam lib. II. 755.

Horror vbique animos, simul ipsa silentia terrent.

vbi alii codices *animo, simul* etc. scilicet *est, oboritur* animo, et simul silentia terrent.

5 *Pulchra iuuenis*] Schefferus haec diuisim accipit, *pulchra et iuvenis.* sed tunc addenda esset copula. vt multis exemplis vir doctus, quicumque sit, ostendit in Actis Lipsiens. A. MDCCXVI. p. 455. ad illum Ouidii versum Ep. VII. 121.

Bella tument. bellis peregrina et femina tentor.

vt et Ep. XIV. 55.

Femina sum et virgo.

vbi vide notas. Flor. II. 15. *Femina et vxor ducis.* coniunctim ergo accipienda, *pulchra iuuenis.* et Vossium etiam errasse, cum significatione, non structura commune esse crediderit, ostendit Muncker. ad Hygin. fab. CLXXXII. sic Ouid. I. Art. 64.

Siue cupis iuuenem, iuuenes tibi mille patebunt.

Plin. VII. 26. *Cornelia enim iuuenis est.* Claudian. Praefat. lib. II. in Eutrop. 23. *Amica iuuenis.*

6 *Pares*] Ad externam speciem haec referri debere Schefferus notat. sine dubio: aetate enim ipsi pares esse videri volebant. Ouid. III. Fast. 128.

Inde

Capillos homini legere coepere inuicem:
Quum se putaret fingi cura mulierum.
Caluus repente factus est; nam funditus
10 Canos puella, nigros anus euellerat.

(34) FAB. III.

Homo et Canis.

Laceratus quidam morsu vehementis canis,
Tinctum cruore panem misit malefico,

G 3 Audi-

Inde pares centum denos secreuit in orbes.

pares aetate saepe dicunt. vt VII. Met. 514. *par aetate iuuentus.* et VII. 858. *pares annis animisque.* et III. ex Pont. II. 69. *par fuit his aetas et amor.* et ita *aequales* passim dici notum est.

7 *Legere*] Recte Schefferus explicat. verbo hoc etiam de frugibus, pomis, floribus, etc. vtuntur Poëtae: Vide Heins. ad Ouid. III. Art. Amator. vs. 703.

8 *Fingi*] Et hoc recte assertum a viris doctis. Tibull. I. V. 50.

Et manibus canas fingere velle comas.

Claudian. Epith. Honor. V. 99.

Caesariem tum forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio.

Pingi Gruterum ad Martial VII. 83. tueri obseruauit Hoogstratanus noster.

9 *Cura*] Praeter Gronouium a Scheffero laudatum, vide de hac voce Brouckh. ad Propert. III. XII. 28. et Cl. Bentl. ad Horat. I. Ep. I. 94.

10 *Euellerat*] Propert. III. Eleg. vltima.

Vellere cum cupias albos a stirpe capillos.

vbi vide Passeratium.

FAB. III.

1 *Vehementis*] Heinsius etiam *vehementi* legendum notauit ad marginem, et Gronov. ad Senec. Consolat. ad Marc. cap. V. Et potest defendi, quia Poëtae saepe epitheta personis aut animalibus propria dant eorum armis aut rebus, quibus vtuntur. vt saepe in his notis iussimus animaduerti: ita lib. I. fab. vlt. 12. *Saeuis vnguibus.* et lib. I. fab. XII. 11. *morsus saeui.* vid. lib. I. fab. XXI. 7. quia tamen aeque recte, immo rectius et proprie *vehemens* dicitur canis, quam morsus, praefero vulgatum. ita *Acer canis* lib. III. fab. 7. Horatio Epod. XII. 6. Cicer. pro Rosc. Amer. cap. XX. Catoni de R. R. cap. CXXIV. et aliis. *Acer* vero et *vehemens* non multum differunt. ita Cicero II. de Orat. 43. *potest inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam incitatione.* et Plinius lib. XXXVI. 5. dicit Pollionem Asinium fuisse *acris vehementiae.* et vtrumque epitheton lupo dat Horatius loco a Scheffero adlato.

2 *Misit*] Vid. ad lib. I. 23. *immisit* olim legebatur.

Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: Noli coram pluribus
5 Hoc facere canibus, ne nos viuos deuorent,
Quum scierint esse tale culpae praemium,
Successus improborum plures adlicit.

(35) FAB. IV.

Aquila, Feles et Aper.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Feles cauernam nacta in media pepererat:

Sus

3 *Vulneris*] Posset etiam legi, *vulneri*. vt Liv. III. 3. *Id remedium timori fuit*. et ita passim etiam alii. vid. inf. III. X. 42. vbi vtrumque dici patebit.

6 *Scierint tale*] Cl. Bentlejus molliores numeros fore pronuntiat, si legatur, *tale scierint*. sed a dactylo incipit apud nostrum versus saepissime, et bis in hac breuissima fabula, praeter hunc versum. et ante *sc* syllabas etiam breves produci saepe vidimus ad Prolog. lib. III. et quum hoc fiat, quia durior videbatur concursus, nihil inde molle accedit numeris, si *tale scierint* legas, pro *quum scierint*. quod longe mollius mihi videtur.

7 *Successus improborum*] Liv. XXII. 12. *quae pessima ars nimis prosperis multorum successibus crevit.*

FAB. IV.

1 *In sublimi quercu*] Nemo vmquam, credo, de mendo hunc locum suspectum habuit, ante Cl. Bentlej. qui etiam in textu posuit, *suprema quercu*. neque vllo exemplo firmauit. Recte vero eius adversarius aduocauit III. fab. 13. *in alta quercu*. supr. I. fab. 13. *Celsa residens arbore*. quae omnia nihil aliud notant, nisi in cacumine, summa parte arboris, vt mox fab. V. *monte summo*, non qui alios montes altitudine vincit, sed in eius montis vertice. Et hoc ita capi debere constat ex sequentibus, *in media, ad imam*. Sed haec hodie pueris notissima, vt recte Schefferus exposuit. Forte credidit vir doctus, cum *sublime* frequentius de aëre et coelo dicatur, non recte montem *sublimem* dici. sed Iustinus de Parnasso lib. XXIV. 7. *Vento in sublime expulsus*. Id est in verticem montis. *sublimis mons* Columel. lib. II. de R. R. 2. Plin. X. 8. de accipitribus, *rapiunt auem alii non nisi circa arbores volitantem, alii sedentem in sublimi*, scilicet arbore. Curt. VII. 11. *Petra mollibus ac modicis cliuis in sublime fastigium crescit*. Virgil. IX. Aeneid. 681.

Consurgunt geminae quercus, intonsaque coelo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.

Ita passim. nondum vero *supremam quercum* reperi, quod probare partes fuerant emendantis, non relinquere aliis, sua probaturis.

Sus nemoricultrix foetum ad imam posuerat.
Tum fortuitum Feles contubernium
5 Fraude et scelesta sic euertit malitia.
Ad nidum scandit volucris: pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi:
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult euertere,
10 Vt nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus,

3 *Nemoricultrix*] Per tmesin dixit Statius IV. Theb. 425. *Nemori Latonia cultrix*, quamquam ibi et separatis vocibus recte explicari posse non ignoro. Propert. III. XI. 44. dixit Siluicolas viros. Phaedrus vero Graecos imitatus videtur: vt Pindarum, qui dixit σῦν ὀριχτίτην, quod scholiastes Euripidis ad Orest. vs. 1621. et Phoeniss. vs. 688. exponit ὀρειοῖκον. Apud Athenaeum lib. IX. 4. dixit ὀρειονόμους δέλφακας Anaxilas.

4 *Fortuitum*] Seruius et producta et correpta syllaba tertia pronuntiari dicit ad Virg. VI. Aeneid. 179. qui deducit ab *ire*, cuius verbi tempora in *itus* et *iturus* etc. aliquando corripi, aliquando produci vult. sed semper corripienda esse censet Germanus ad Virgil. VI. Aen. 657. de quo nos ad Ouid. I. Met. 17. agimus. Statius VII. Theb. 449.

Aequa et fortuito ductae quater aggere pennae.

sed in his locis Douza lib. II. Praecid. ad Petron. cap. XVI. duas syllabas in vnam contrahi vult. *Fortuitum* vero minime mutem cum Fabro, in *fortunatum*, nam sensus est: forte ita acciderat, vt contubernales essent tres diuersi generis bestiae: quod vel puero apparet. neque *fortunatum* fuisse ex ipsa fabula apparet.

6 *Scandit*] Heins. *escendit.* vid. ad lib. IV. fab. XXI. 9.

7 *Paratur*] Donatus ad Terent. Andr. IV. I. 32. et IV. II. 7. notat *parari* et *apparari* cum datiuo, perniciem et cladem significare, vt apud Virgil. II. Aeneid. 132. *mihi sacra parari.* vid. ad Petron. cap. XX.

8 *Quotidie*] Produxit et secundam syllabam Phaedrus iterum lib. IV. Prol. 2.

Nam vita morti propior est quotidie.

vide hic notas Hoogstratani.

9 *Aprum insidiosum*] De animalium genere epicoeno agimus ad Valer. Flac. VI. 70. et 347. et cum *aprum* hunc *suem* etiam vocet lib. V. fab. vlt. *suem* masculino etiam genere posuit. rationem vero nullam video, cur distinguendum sit post *aprum*, et deinde legere *Insidiosus q. v. euertere*, idem enim sensus exoritur, si non languidior.

11 *Terrore offuso*] Ita recte viri docti. sic apud Frontin. Strateg. II. IV. 3. *species ingentis multitudinis offusa est hostibus*, vbi et in aliis codicibus est *effusa*. sic et apud

Derepit ad cubile setosae suis;
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
15 Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam compleuit locum,
Dolosa tuto condidit sese cauo:
Inde euagata noctu, suspenso pede,
Vbi esca se repleuit et prolem suam,
20 Pauorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,

Felis-

apud Lutat. ad Stat. IV. Theb. 190. *ostendit offundi solem et tempestates oriri* lego. Vulgo *offendi*. Liv. II. 40. *nec in sacerdotibus, tanta offusa oculis animoque religione, motus est.* vide Cuper. II. Obs. 6. mirum vero, cum manifestum satis sit, haec respicere Aquilam, et transitum sequenti demum versu fieri ad suem, virum doctum hic admittere, quod toties in Bentlejo culpat, et legere *terrore offuso huic et p. s.*

12 *Derepit*] Recte. sed Scheffero aut memoria imposuit, aut librarii aberrarunt, in iis, vbi de Pricaeo ad Apulej. agit: nam ille ad Apulej. p. 189. ibi legit *derepissent*. male vero confundere *erepere* et *derepere* docuit Gronouius ad Senec. Phoeniss. vs. 112. Plin. VIII. 36. *Ingrediuntur et bipedes, arborem auersi derepunt.*

14 *Simul*] Pro *simul ac*, vt noster, Ouidius et alii passim. vide Gronov. ad Liv. VI. 1. et Crenii Animadv. Philolog. t. IX. p. 68.

17 *Dolosa tuto*] Quidam *noto*, vt Heinsius et Cl. Bentlejus, quibus displicebat *toto*, quod arridebat Bentleji aemulo. sed an hoc recte, imo etiam elegantius, dici possit pro totum se condidit cauo, vehementer dubito. et mox sequitur *toto die*. quare ego *tuto* retineo. ipsa enim felis, sciens nullum periculum instare, vt Contubernalibus persuadere volebat, *tuto cauo* se condebat. et hoc magis poëticum, quam *tuta se condidit cauo*. vt lib. I. fab. 29. et alibi discimus.

17 *Cauo*] Vt infra IV. 5. *cauos* muris receptacula dixit. ita hic *cauus arboris* vel *cauus ramus* vt III. fab. 16. debet intelligi. Ita ex Varrone Lutatius ad Stat. IV. Theb. 276. *Filios autem suos, ait Varro, arborum cauis, aut concauis specubus contegebant.* *Caua* et *cauos* dixit Columell. I. 6. et alibi. Terent. Maurus etiam pro puteo *cauum* dixit, notante Barth. XV. Ad. 2. vid. et lib. IV. 5. *cauernam* vocauit initio fabulae, vt et Aul. Gell. XV. 16. de Milone in *cauernam arboris immissis digitis*. antea *rimas* vocauit.

20 *Prospicit*] Vid. supr. ad lib. I. fab. 17.

21 *Desidet*] Vid. Torrent. ad Sueton. Caes. cap. IV.

Felisque catulis largam praebuerunt dapem.
25 Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

(36) FAB. V.

Caesar ad Atriensem.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,

G 5 Gratis

24 *Felisque catulis*] Cl. Bentl. *Feli atque catulis.* vbi apparet, ad τὸ *atque* recursum fuisse fulciendi versus caussa. Anonymus doctissimus corrigit manu faciliori, *Felique et Catulis.* Sed neutro opus est. non enim de se sollicita admodum felis, sed de catulis, quorum caussa has insidias et fallacias struxerat; sua enim caussa, quae euagari poterat, et vndique victum parare, tales insidias struxisse, non verosimile est, neque ingenium Poëta impenderet id fingendo, cui nota erat animalium sollicitudo pro catulis et pullis, vt libenter matres abstineant cibo, dum prolem saturent. nescio praeterea quid hic faciat illud illepidum *sic* a Cl. Bentl. intrusum, pro *fu..t consumpti*, quod necesse videbatur, quia copulam demebat τῷ *felique.* sed maneat *sunt*; ita lib. III. fab. 3.

Quid multa? variis dissident sententiis,
Hominisque curam cura maiore adgrauant.

an et ibi praestaret; *variis sic dissidentes sententiis aggrauant* etc. sed non retulit hanc molestam particulam in textum, quare non multum fidisse huic coniecturae videtur: denique illa coniectura *feli atque catulis* potuit fuisse subnata viro docto, si vidit, ex Gallica versione, quae habet; *seruirent d'un grand festin a la chatte, et a ses petits chats.*

25 *Concinnet mali.*] Cum hoc verbum a cura crinium, qui in cinnos componuntur, aut aliis rebus, quae permixtione aliarum rerum adornantur, sit desumtum, hic malum multa arte et dolo paratum notat. ita *concinnare vinum* Catonem dixisse obseruat Plinius XIV. 20. quod est varie condire. ita *spoliatum crinibus vultum concinnare* Petronio cap. CXIII. est fictitiis comis ornare. *concinnare ingenium* Senec. Ep. VII. et *concinnare corpus* Ep. XXX. Eadem fere ratio illorum Terentii Heaut. IV. V. 35. *ita istaec tua misceto, ne me immisceas.* et Phorm. II. II. 4. *Tute hoc intristi.*

FAB. V.

1 *Ardelionum*] Egregie hanc nationem descripsit Senec. de Tranquill. An. cap. XII. cuius locum totum produxit Hoogstratanus.

1 *Natio*] Adde Schefferi obseruatis illa, quae habent P. Victorius Var. Lect. IX. 22. et Bern. Martin. Var. Lect. I. 13. qui plurimis exemplis docet, *nationem* apud bonos auctores plerumque in malam partem sumi, et pro pessima in vnoquoque genere parte hominum accipi: ex quibus id apprehendit Abraham. ad Cicer. Orat. pro Sex-

tio

Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, et aliis odiosissima.
5 Hanc emendare,, si tamen possum, volo
Vera fabella; pretium est operae attendere.
Caesar Tiberius quum, petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo, posita Luculli manu,
10 Prospectat Siculum et prospicit Tuscum mare;

Ex

tio 45. et de Prouinc. Conf. 12. sed Cl. Graeuius docet, *nationem* per se, nec malos, nec bonos notare, sed pro adiunctis epithetis: hic vero sub ardelione illo Graeculos parasitos et ineptos assentatores, quibus Romani proceres delectabantur, et quibus acquiescebat Tiberius quidem, sed quos non leniter saepe tractabat teste Sueton. cap, 56. intelligi puto: ridiculi autem mihi fuere quidam, qui cum nuper *nationem adulatricem* et *comoedam* dixissem in carmine quodam, hoc opprobrio me totam Francicam gentem notasse iactabant; cum gentis illius ingeniosae certe et doctis viris florentissimae, infimam partem, *Gallulos indoctos et paedagogos*, ὀψιμαθεῖς, et *feros studiorum* tantum tetigerim. quae certe trepide concursans, et occupata in otio multa agendo nihil agens, iure etiam *ardelionum natio* dici posset: hoc tamen ardelionibus Romae agentibus felicior, quod reperiat apud exteros tam insanos sui cultores et admiratores, vt nec odiosa nec illis molesta sit illa natio: immo qui popularibus suis eos multo sapientiores et doctiores esse credant, et eorum ineptias praeferant vere doctorum laboribus et scriptis. vtinam gratis anhelantes eluderent eos Tiberii exemplo proceres, aut certe per fabulas emendari, si possent, se paterentur.

9 *Posita*] Vide de hoc verbo Cerdam ad Virg. VIII. Aeneid. 57. et bis terue in Ouidio quoque, hoc sensu, reposuit Heinsius. vide ad III. Met. 3. et II. Fast. 63. porro hanc Luculli villam respicere etiam Columellam puto lib. I. de R. R. cap. 4. vbi maiorem fecisse villam, quam modus agri postularet, dicit: ex cuius praecepto videmus etiam non recte positam *monte summo:* cum ille velit medii collis positionem esse optimam, in eo tamen obsecutus praeceptis Lucullus, vt *mare recte conspiceret*, vt ait Colum. cap. seq.

10 *Prospectat*] *Spectare*, *adspectare* et cognata his verba frequentissime de situ montium, vrbium, aedium etc. occurrunt. Virgil. I. Aen. 423.

—— —— *Collem, qui plurimus vrbi*
Imminet, aduersasque adspectat desuper arces.

Vbi Seruius. *Rei insensibili dat sensum, vnde illud in quarto de Atlante. Item Sallust. Lyciae Pisidiaeque agros despectantem;* Iam vero *prospicere* et *prospectare* proprie de longo, et summo loco desuper inspicere. Petron. cap. CXXII.

—— —— *summo de vertice montis Hesperiae campos late prospexit.*

Ouid. VIII. Met. vs. 338.

—— —— *Demexaque prospicit arua.*

Flor.

Ex alticinctis vnus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio

Erat

Flor. III. 8. *Homines feros ac siluestres mireris ausos a scopulis suis saltem maria prospicere.* Eleganter Statius II. Silu. II. 3. *Villam speculatricem profundi Dicaearchei* vocat Surrentinum Pollii. vide plura apud Heins. ad Claudian. II. de Laud. Stilic. vs. 255. et ad VI. Conf. Honor. vs. 178. vid. et lib. I. fab. 17. Et hoc de primo verbo, de quo parua est lis inter interpretes, de altero varie censent Viri eruditi. Guyeti *praespicit* nulli placere vidi. Cl. Graeuius legebat,

Prospicit infernum, respicit Tuscum mare.

fere secutus Cl. Gronouium. Heinsius in margine codicis sui,

Respectat Siculum, respicit Tuscum mare.

In Epistola vero ad Schefferum XIX. *Prospectat* retinet. in lectione illorum, qui *respicit* praeferunt, fingenda esset villae positio talis, vt fronte spectaret inferum mare, tergo Tuscum. Sed infernum siue inferum mare est ipsum Tuscum, siue Tyrrhenum. *Siculum* vero aliquando a *Tusco* distinguitur, vt hoc fit, quod Etruriae et Latii litora alluens strictius appellatur, quam vulgo solet, sed quae appellatio postea longius extensa fuit. *Siculum* vero quod a Miseno promontorio versus insulam Siciliam patet: ita etiam ab Hadriatico distinguit *Siculum mare*, agens de freto, Senec. III. Nat. Quaest. 29. Nam et Historicos et alios *Siculum mare* vocasse omne, quod in Siciliam vergit, etiam a diuersa, quam hic, parte, patet ex Liuio XXXIII. 17. Vbi *Acarnaniam solem occidentem, et mare Siculum spectare* dicit. et Priscianus in Periegesi vs. 104. Italiam tribus maribus allui docens, dicit;

Tyrrhenum, Siculum, nec non simul Adria vastus.

et Siculum mare a Tyrrheno ad Cretam vsque extendit vs. 89. et vs. 399. Graeciam cingi Aegeo et Siculo mari: deinde vs. 585. etiam ad Syrtes porrigi ait. Subtilius vero illud *perspicit* explicari a Cl. Gronouio filio, quam verius puto: nam aeque parum Tuscum mare perspiciebat, quam Siculum villa haec, quae puto Siculo erat propinquior, quam Tusco. Et ipse sibi diffidit, cum *prospectare* etiam propinqua et vicina spectare, esse fateatur. *Despicit* quod et aliis et nouissime Bentlejo placuit, conuenit etiam vtrique villae faciei. Sed nobis vulgatum *prospicit* satis placet, vt ex ipsa fronte prospectus esset simul in Tuscum a dextra, in Siculum a sinistra. nam qui de fronte et tergo Phaedrum intelligunt, et alterum *respicit* praeferunt, errare puto. quis enim ad litus ita aedem poneret, vt latus spectaret mare, quod ipsum locum alluit, fronte vero prospiceret mare Siculum, tergo Tuscum? cum sine dubio tota frons obuersa fuerit in mare, tergum in agros, sed stantes ante villam, vel ex fenestris, vel maenianis prospicientes, a dextra in Tuscum, a sinistra in Siculum poterant oculos conuertere. hoc est quod Columella dicit, *recte mare conspicere*, id est a fronte villae. *Despicit* qui praeferre velit, reperiet multa in eam rem apud Cl. Drakenborchium ad Silium lib. VI. 185.

12 *Linteo Pelusio*] ad ostentationem, pretiosa veste cinctum fuisse vult Schefferus. sed cum omnes fere

Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante laeta domino viridia,

Alueolo

fere linteae vestes ex Aegypto mitterentur, tam viliores, quam pretiosiores, nec Phaedrus indicet de lini huius subtilitate vel pretio aliquid, potius de communi Atriensium et ministratorum ordinario, satis tamen mundo, vestitu caperem. Suet. Calig. XXVI. *Caenanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est.* vide Salmas. ad Capitol. Pertin. cap. VIII. et Ferrar. de Re Vestiar. lib. III. cap. 4.

13 *Cirris dependentibus*] Nobil. Neapolis ad Ouid. IV. Fast. vs. 933. putat tunicae huic fuisse subtemen relictum, quod e linteo pendebat. et haec esse *lintea villosa* apud Martial. XIV. 138. quibus opponuntur *lintea tonsa*, vel *tonsis villis*. Sed illa tota quanta erant villosa et quasi hirsuta; hi cirri tantum ex ima ora debuerunt dependere. Ampl. Cuperus lib. I. Obs. 3. *cirros* explicat *κρόσσους* et *θυσάνους*. Praschius ex sententia Pignorii capit de cirris comarum dependentibus Atriensi, vt ita Martial. IX. Ep. 30.

Et matutini cirrata caterna magistri.

et Petr. cap. LVIII. *Cepa cirrata*, vbi vide plura. nobis prior placet expositio, vt fuerit tunica in ima ora fimbriata, vel cirri ex linteo dependerint, qualis erat illa mappa Trimalchionis, *fimbriis hinc illinc dependentibus* Petr. cap. XXXII. vbi vide quae noto. et vbi est eadem constructio, qualis obseruatur in multis aliis, vt *venabula lato ferro*, *culter ferro Norico*, et similia, de quibus ad Ouid. II. Met. 107. et Val. Flacc. IV. 33. infra V. 7. *Princeps niueis tunicis*.

14 *Perambulante laeta Domino viridia*] Quae Schefferus ab Heinsio se habuisse profitetur, in margine Phaedri sui notauerat *ὁ πάνυ*. addidit praeterea, *Vid. Macrob. Sat.* I. 14. p. 171. *Edit. Pontani. et ita saepe apud ICtos in Pandectis Florentinis.* A ICtis, ad quos Heinsius remittit, hanc vocem vsitatam docent L. 12. ff. de Seruit. Praed. Vrban. et l. 79. §. 2. ff. de Verb. Sign. sed et *viridaria* quoque ea dicta a ICtis negari non potest, cum ea voce ICtus in L. 13. §. 4. ff. de Vsufr. vtatur. Nos tamen, vt versui consuleretur, *viridia* recepimus: nam medicinam, quam Gudius adhibet, pro *laeta* substituendo *alta*, minime amplecti possumus, cum recte et eleganter *laeta* viridaria dicantur, vt *laetae segetes*, *tellus iusto laetior* apud Virgilium, et similia apud alios. *Alta* autem viridaria an recte dicantur vehementer dubito; nisi quis in montibus ea fingere velit fuisse. *Altam* quidem *vineam* lib. IV. fab. 2. pro alta vite, quae sublimis et iugata erat, docti viri ad eum locum cum ratione dici ostenderunt. nam ita et vitis vlmo maritata, posset *alta dici*. vid. Ouid. V. Trist. III. 35. et notas ad XIII. Met. 800. sed haec, vt olim edideram, non potuerunt placere Cl. Gronouio, qui nec auctoritate tot virorum doctorum moueri potuit, vt *viridaria* non defenderet, motus solo Suetonii loco, qui in Tib. cap. LX. narrat, militem capite punitum *ob surreptum e viridario* (vt Codex Memmianus habet) *pauonem*, et ideo (vide vim argumenti) principi Tiberio (et sine dubio etiam Phaedro) placuerunt *viridaria* non *viridia*. hoc enim tot annos post mortem Tiberii nouerat Suetonius, qui ideo dedita opera non *viridia*, sed amatam Tiberio vocem *viridaria*

ria in historia sua posuit. Egregia mehercule argumentatio, quasi ipsa Tiberii verba in Suetonio, narrante aliquod factum, non producente, vt saepe solet, epistolas aut operis alicuius fragmenta, legerentur. sed hoc facile est. Durius, non ipsa metri ratione moveri virum doctum, et profiteri illum, qui numquam Poëtica captat, se plus deferre Codicibus MSS. et edere hanc memorabilem et dignam, quae a Poëtis audiatur, vocem. *Etsi scandendi ratio mihi non pateat, forsan patuit auctoris tempore.* Vllumne tempus fuisse vnquam credimus, quo liceret tam inuenuste Legi Pediae vim adferre? et quis non hac specie omnes migrabit leges, et remittet obloquentes ad seculum prius, cuius mores nobis latent. At porro ait, non aeque licet *laeta viridia* dicere, ac *laetas segetes* et *laetam tellurem*, quia scilicet viridia non praebent segetes et fruges; sed pauonibus et alendis animalibus voluptariis sunt destinata. quae nescio quo modo accipienda doctis viris sint verba et ratiocinatio. An *laetae segetes* aliam ob caussam dicuntur, quam quia luxuriant et crescunt laetius in terra fertili, quam sterili? Cum Columella et alii rei rusticae auctores, centies *laetos agros, laetam humum, laetare hortos*, et similia habeant; nonne eodem iure ergo *viridia*, quae arboribus et nemoribus censentur maxime, aeque *laeta* dici possunt, si comis arborum et frondibus luxuriant? Stultus ergo Seneca, qui Consol. ad Marc. cap. XVI. dicit. *Agricolam euersis arboribus, iterum amissarum semina et plantas disponere, et momento adolescere amissis laetiora.* et lib. II. de ira cap. 15. *valida arbusta et laeta.* et Consol. ad Helu. IX. *laetae arbores*, Inepte in Epigrammate super exilio dixit idem Philosophus,

Vmbrarum nullo ver est laetabile foetu,

nam ibi de segete minime agitur, sed de arborum vmbris. Immo ipso Virgilio, auctore summo, se tuebitur Phaedrus, qui lib. I. Aeneid. 441.

Lucus in vrbe fuit media, laetissimus vmbra.

Quod recte Seruius et alii ceperunt. Quid multa? In his viridibus non modo consitas arbores, sed et flores et alia germina, et plantas, quae laetitiam loci adiuvarent, credere tuto licet, vt et hodie in Principum viridariis cernimus. Atqui et Cicer. IV. Verr. 48. *laetissimos flores* dixit. Vide Erhard. ad Petron. cap. IX. sed os vnus Plinii locus obstruet impugnantibus *τὸ laeta*, ex lib. V. Ep. VI. si legatur, vt Codex bibliothecae Leidensis, et quidam Minois exhibent. *His*, sc. fontibus, *nunc illa viridia, nunc haec, interdum simul omnia, laetantur:* vulgo *iuuantur* legitur, quo verbo passim quidem in hac re vtuntur, vt docent notae Heinsii ad Ouid. I. Art. Am. 647. sed numquam librarius mutaret in *laetantur*, sed hoc explicaret per *iuuantur*, quod remansit in corruptis codicibus. in codice Mediceo erat *lauantur*. et hoc ex posterioris seculi linguis et genio. Si ergo et *viridia* et *viridaria* veteres dixerunt, vt iam infinitis (quibus adde Senec. Ep. LXXXVI. Vitruv. lib. V. 9.) exemplis ostendimus, quid prohibebit, quo minus versui consulentes eam eligamus ex duabus vocem, quae legi metricae satisfaciat? Cui vero praeter inuentori placere poterunt *sacra viridaria?* quia scilicet sanctione aliqua custodiam eius loci Tiberium circumsepsisse nobis fingit, sine vlla auctoritate vetustatis commenti huius auctor. Iure ergo *sacras Capreas* multo maiore dicere fas esset, ad quas, secretum agente Tiberio, nulli adire fas erat, et ita omnia loca sacra vocari debent, vbi

15 Alueolo coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, come officium iactitans:
Sed

vbi quis punitur a Principe. sed, an, si pauonem ex alio loco, non ita munito sanctione, miles surripuisset, impune abiturus fuisset sub tam duro tyranno? denique non sibi ipsum persuasisse, quae aliis obtrudit, credo virum eruditum, cum in editione Phaedri, cui notas Patris subiecit, nobis et aliis probatam lectionem, quam tamen Mss. aduersari indignatur, expresserit. In Rigaltii editionibus legi video *viridiaria*, quo efficiuntur septem pedes in versu senario.

15 *Alueolo*] Ad varios vsus, in supellectile rustica alueoli erant. Vide Caton. de R. R. cap. XI. et XII.

16 *Humum aestuantem*] Id est, ex nimio calore solis puluere concitato, ardentem, sic Iustin. lib. II. 1. de Aegypto, *quae etiam nunc torrenti solis calore exaestuat*.

16 *Iactans officium come*] Cur non et huic nodo cuneum istum applicemus. *si nobis ratio scandendi non constet*, *Phaedri temporibus apparuit*, et ita obsequamur Mss. vel agnoscamus spondeum in vltima sede, vt ad lib. III. VIII. vs. 15. Schefferus est ausus, qui, vt hoc probet, ex scazontibus Martialis loca etiam adferre sustinuit? immo in editione Iac. Gronouii etiam transpositis vocibus, *come officium iactans*, spondeus claudit versum iambicum, multo turpiori macula, quia nec haec transpositio vllis Mss. nititur. sed religione quadam tacti omnes fere alii interpretes maluerunt legi Pediae, quam rationi satisfacere, vide Hoogstratanum, qui metri caussam animose egit. Heinsius secutus alios, et motus maxime Manilii loco, *come* retinet, sed transpositum loco. vel coniicit etiam legi posse, quod nemini persuasit, *iactitans comem offuciam*. vt apud Plaut. Most. I. III. 107. sed *comis* vox hic locum non habet in Atriense, Tiberio officinm iactante: nam *comiter* agit fere superior cum inferiore, senior cum iuniore: vt Columel. I. de R. R. 7. de patrefamilias, *comiter agat cum colonis*. et cap. 8. *comitate domini leuari perpetuum laborem seruorum* dicit, et ita semper fere. et ita intelligenda illa *officii comitas*, qua se insinuabat Alcibiades apud Iustin. V. 2. et eo sensu Tiberius dicitur *minime comis imperator* Plinio lib. XXXV. 4. et contra *Maiestas Augusti comis* Ouidio II. Trist. 512. Quare cum haec non satisfacerent Cl. Bentlejo, ille haerens in difficili hoc vado, nec se explicans, tandem eo decurrit, vt fateatur, sibi nihil melius occurrere, quam *iactans officium leue*. sed eodem iure alius aliud epitheton supponere poterit. an vero Atriensis ex sua sententia hoc officium *leue* censebat? ille vero iactabat vt insigne nec debitum, aut quod a se exigi poterat, et ideo sperabat praemium meriti et officii extraordinarii. deinde, si iam respectu Tiberii et eius comitum *leue* velis capere, perit vis aduersatiuae *sed deridetur:* cuius vis est, vt sibi videretur id officium magni momenti, vt qui non cogi posset ad illud, quare ille iactabat magnum officium, et ideo a comitibus Tiberii deridetur. Alter vir doctissimus cum recte et Latine quidem dici *come officium* ostendisset, nec tamen id recipiendum firmis rationibus docuisset, nec *officium come* vllo modo placeret, delabitur in Wasii corre-

Sed deridetur. Inde notis flexibus

Prae-

correctionem, *iactans officium comes:* quae nescio an non absurdior sit reliquis omnibus. *Comites* enim hoc tempore dicti soli amici Principis, quos Tiberium in tres ordines distinxisse ex Suetonio scimus: non ergo in sacro comitatu hic seruus poterat esse, nec iactantior caeteris. Quare etiam vir doctus Wasii interpretationem deserens aliam fingit; fuisse nimirum alium quemdam, quem sibi Atriensis comitem adsciuerat, vt spargentis Atriensis officium, interim dum ille gratis anhelaret, Tiberio et eius comitibus venditaret et praedicaret. Nil vidi magis. Itane duos homines non apertius distingueret Phaedrus? et quid coactius et frigidius, quam *coepit conspergere*, capere de Atriensi, *iactat* (quod etiam contra codices pro *iactans* supponitur) respicere alterum comitem illum: deinde *praecurrit*, iterum de Atriensi intelligi. praeterea, quis iam *deridetur?* an *conspergens*, an *comes iactans?* an *deridentur*, vt in Rigaltiana editione vidi, huic commento posset subseruire? haec omnia sunt *ἀδόξαστα*. Quid faciemus huic loco? nescio, et praestat ignorantiam profiteri, quam ineptire. dicam tamen, et, si non de verbo *come* possim omnem scrupulum tollere, aliquid tamen, quod non animaduersum video vlli interpretum, forte excogitandi postea meliora viam ostendet eruditis. Inter seruos notum est fuisse alios honoratiores aliis, vt vrbanos rusticis, et inter ipsos vrbanos, qui officium domino praestabant, ordine antecessisse illis, qui artificium exercebant. et inter quos Atrienses habebantur, vt multis ostendit Pignorius: vid. etiam quae notauimus ad Quinct. VIII. de Inst. Orat. prooem. iam vero hic Atriensis, vrbanus forte seruus, cum vellet iactare officium suum Tiberio, non dubitauit vilioris mancipii, quale erat ruri quod spargere solebat humum aqua, partes subire; et eo nomine se iactabat Tiberio, quod ministerium vilius sponte subiret. Hoc illustrari potest insigni loco Ciceronis in Paradox. V. cap. 2. *Atque vt in magna familia sunt alii lautiores, vt sibi videntur, serui, sed tamen serui, Atrienses ac topiarii*, etc. deinde addit, *sed vt in familia, qui tractant illa, qui tergunt, qui vngunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum seruitutis tenent*, etc. vbi video eos, *qui spargunt*, illustrari ab interpretibus hoc Phaedri loco. et recte, vt puto: vt enim Atrienses in vrbe praepositi sunt atriis, in quibus signa et tabulae, imagines, etc. eorum curae erant commissa, sic et Topiarii villas et viridaria curabant, non tamen illi debebant tergere, verrere, spargere aqua, etc. sed haec vilioribus mancipiis, quibus illi praeerant, erant commissa. Hic ergo Atriensibus vnus ex altecinctis, vsurpat partes viliores in spem gratiae, et vt Seneca ait III. de ira cap. 19. *a seruitute vrbana et feriata, se transfert ad durum opus, nec rusticum laborem recusat.* Si quid liceret huic coniecturae addere, crediderim illud *come* natum ex *domino*, et posse legi, *domino officium iactitans:* vt lib. III. 7. *Domino praestare officium.* sed quia modo praecedit *domino*, vix audeo. Si praeterea vanis coniecturis indulgere liberet, legerem, *iactans officium nouum.* Atriensis enim hic alterius serui officium, sibi nouum, obibat inepte. et tale quid exigit Phaedri scopus, qui Ardelionem hic voluit exhibe-

Praecurrit alium in xyſtum, ſedans puluerem.
Agnoſcit hominem Caeſar, remque intelligit.
20 Id vt putauit eſſe neſcio quid boni,

Heus,

exhibere, non enim ſpargere humum erat opus Atrienſis altecincti, et delicatiore veſtitu inſignis, ſed ſerui, qui ſub Topiario opus facere debebat. Poſſet Atrienſis non vrbanus intelligi, qui in illa, viridario adiuncta, villa atrio praeerat: nam potentium cultiores villas habuiſſe aeque Atrienſes, atque aedificia lautiora in vrbe oſtendit Pignorius et Popma de Seruis. et fuiſſe Atrienſem illius villae incolam colligi poteſt ex ſequentibus, quia *notis flexibus* (ſcil. ſibi) *praecurrit in xyſtum alium:* ita Seneca Ep. CXXXIII. de Albano ſuo agens, *non habet panem meus piſtor, ſed habet villicus, ſed habet atrienſis, ſed habet colonus.*

18 *Praecurrit alium in xyſtum*] Ita fere omnes edit. Meurſius vero *illum*, vt intelligat Tiberium. ſine dubio quia hic per *xyſtum* ambulationem ſub dio videbat eſſe intelligendam, in qua ſedare puluerem volebat Atrienſis. ſi enim tectus fuiſſet, debuiſſet, *aliud in xyſtum* dicere, ita enim diſtinxiſſe veteres docent viri docti ex Vitruu. V. cap. 11 licet non videatur ſemper hoc obſeruatum diſcrimen. cum et Plinio lib. V. Ep. 6. *xyſtus ante porticum, diſtinctus Buxo* dicatur; et lib. II. 17. *xyſtus violis odoratus*, et alibi: Senec. III. de Ira 18. *xyſtus maternorum hortorum, qui porticum a ripa ſeparat.* retinemus itaque *alium*, quia iam Tiberius vnum perambulauerat, ſed ibi forte nondum Caeſaris in ſe oculos conuertetat Atrienſis. deinde ambulationibus inſeruiiſſe xyſtos docet et Senec. III. de Ira 18. de Caio Caeſare, *in xyſto maternorum hortorum inambulans.*

19 *Hominem*] Contemptum indicare hanc vocem putat Scheſſerus. ſed cum Phaedrus paſſim ea voce vtatur, cum eum, de quo in fabula agit, deſignare velit, nos ſimpliciter pro *illum* capimus. vt ſup. II. 1. et 2. vbi etiam ſingulare quid captabat Scheſſerus. lib. IV. 21. et alibi. vid. Manut. ad Cicer. I. in Verr. 26. et I. Fam. 2. Vorſt. ad Valer. Max. III. I. 2. qui de ipſo etiam Antiocho rege vtitur III. VII. 6.

20 *Id vt*] *Id* deeſt codicibus Rigalt. *Et id.* forte Atrienſis ex vultu Caeſaris, et ſermonibus cum comitibus collegit, intelligi rem et officium ſuum: et inde ſpem concepit donationis. ;quare poſſit legi,

Inde vt putauit eſſe neſcio quid boni.

ex illo habitu Caeſaris *ut* (id eſt poſtquam) putauit et coniecit ſibi inſtare quid boni, forte Caeſar eum vocat, et *heus, inquit. Aliquid boni* vero hic non eo ſenſu, quo apud Petronium, a Scheſſero adductum, capio; ſed quo apud Terent. Heaut. IV. V. 15. *accede huc Syre, faciam boni tibi aliquid pro iſta re ac lubens.* quod idem eſt ac *bene facere* Adel. V. 5. et 6. Heinſ. Epiſt. XIX. ad Scheſſer. hunc verſum de Tiberio intelligens legit

Id vt putauit neſcio eſſe quid doli.

vt putauit Tiberius fieri callido conſilio, vt libertatem conſequeretur. ſed non video hanc ineptam ſedulitatem *dolum* poſſe commode ſenſu dici.

Heus, inquit Dominus; ille enimuero adsilit,
Donationis alacer certae gaudio.

Tum

22 *Donationis alacer certae gaudio*] Gudius *donationis*, *alapae certe*, *gaudio*, id est, sperans se, si non pecuniam, certe, id est, ad minimum, manumissionem consecuturum. sed recte Vir doctus vidit hoc absonum esse: maius enim beneficium erat manumissio donatione, quare debuisset inuerso ordine dixisse, *alapae*, *donationis certe gaudio*. sed tunc perit acuta emendandi ratio, ex repetitione syllabae *cer* in vocibus iunctis *alacer certae*. Deinde sollemnis illa et familiaris locutio *alacer gaudio* tuetur vulgatam. Curtius X. 5. *itaque ad exspoliandum corpus, qui vulnerauerat, alacer gaudio accurrit.* et aequalis noster Valer. Max. VIII. XIV. 5. *Idem vt audiit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armillis donat, alacer gaudio abiit.* et *alacrem* et *laetum* coniungit Cicero Act. I. in Verr. 6. vbi vid. Ascon. et Anonym. Schol. et Manut. ad Lib. V. ad Famil. 12. et Camerar. et Sylv. ad Orat. pro Muraen. XXV. ita vt vix credam hic aliquid mutandum. nam noua illa interpretatio de *alapa* proprie sumta, nihil habet veri simile, licet et Heinsius Epist. XXI. ad Schefferum de colapho, sed paullo aliter, sumserit; qui videri potest. sed vt de Viri docti sententia breuiter agamus, quis vnquam legit *alapam*, leui etiam et amica manu ductam, inter blandimenta haberi, aut tales blanditias *alapas* vocari? deinde quis credat, has amicas blanditias tetrico, lento, moroso et minime comi Tiberio posse adfingi, aut illud a Caesare et tanta maiestate ducis sperare potuisse Atriensem? an ille similis credi poterat Chremeti Terentiano? qui in Heaut. IV. IV. 13. Syro dicit. *non possum pati, quin tibi caput demulceam, accede huc.* sed *demulcere caput*, non est alapam infligere, nec etiam leui manu. hoc potius esset *commitigare caput sandalio*, vt Omphale Herculi solebat: Eun. V. VIII. 4. Et *demulcere* fere est idem, quod ex Lucilio apud Non. in *Scabere* producunt. *subblanditur*, *palpatur*, *caput scabit.* ego certe numquam *alapam* inter blandimentorum genera legi, ipsa illa in manumissione, quae certe leni etiam manu fiebat, *iniuriae* nomine a quibusdam insignitur, vt notum est. nec poterat Atriensis se sperare tam familiarem Caesari, vt ille hoc blandimento eum exciperet, qui ne notos quidem et familiares comites et amicos nisi fastidiose osculo dignabatur, teste Suetonio cap. X. quare coniecturis missis inhaereamus codicibus, nec durior ille concursus syllabarum quas litera canina quasi efferare videtur, valeat ad mutandum. Quot enim loca veterum hoc titulo mutari necesse foret? et an semper ita attendisse ad delicatos illos sonos putemus Scriptores? certe quaerimus saepe nodos, vbi minime sunt. Et literam *R.* geminare et cumulare Virgilium ipsum non refugisse docere possunt notae Pierii Valer. ad lib. I. Aeneid. 570. vbi *considere regnis* expulsum ideo, quia *re* geminandum non censebant: quid dicemus de illo versu IV. Aeneid. 178.

Terra parens, ira irritata deorum.

vbi in quinque vocibus septies iteratur. et vbi, vt vnam saltem expellerent, *inritata* reponunt, alii *irritata*, ab *ira.* Vid. Pierium. At hoc

Tum sic iocata est tanti maiestas Ducis:

Non

hoc decoris causa affectatum ferent a Poëta, qui canina illa litera *irritatam* terram voluit ipso sono exprimere. at vero an et hoc quadrabit in lib. II. Aeneid. 655.

Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.

vbi octies in quinque vocibus iteratur, et vbi Emmenessius etiam bilem et dolorem declarari putat. sed dolor, credo, magis quam ira Aenean decebat, qui patris reverentissimus semper inducitur. in illo apud Ciceron. III. de Orat. 42.

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Itidem octies in quinque verbis repetitur litera canina. At nos saepe nimis polita et delicata volumus reddere carmina Veterum, cum nobis vix constet ratio, quae eos mouerit et induxerit. vide de his Voss. I. de Inst. Poët. cap. VIII. quo Emmenessius remittit. Sic in illis Tibulli lib. III. Eleg. III. 10. *cogerer ire rate*, magnam quidem sono scabritiem animaduertit Brouckhusius, sed an ideo correxit? minime, sed illa, *rer*, *re*, *ra* reliquit. plura de concursu ingratarum et difficilium literarum, vt *c*, *l*, *m*, *n*, possem adnectere, sed notarum ratio hoc non permittit. ceterum nunc demum animaduerti in Tan. Fabri editione totum hunc desiderari versum, neque vllam rationem in notis reddi. forte negligentia librarii in prima editione peccandi exemplum dedit sequentibus.

23 *Iocata est*] Ita pro *locuta* Rigaltius et alii ediderunt ex MS. vid. ad Ouid. III. Art. Amat. 275. male vero hic nullum iocum agnoscit Vir eruditus, nisi corrigatur. sed de eo videbimus mox. ex more vero suo Phaedrus dixit *Maiestatem Ducis*, pro ipso duce, reip. principe, penes quem tum fere maiestas erat. De *ducis* titulo, quo eum ornat, egimus ad Ouid. Epist. XIII. 43. illas vero locutiones, quae tituli locum obtinent, *maiestas est iocata* et similes demum inualuisse volunt per adulatores post Augusti tempora. nam licet Poëtae ad exemplum Graecorum saepe similibus vsi fuerint, vt Horat. III. Od. V. *mens prouida Reguli*, *Vis Herculis*, *virtus Catonis*, et *Scipiadae* et similia: haec aliquantulum inter se differre, et magis per Graecismos, quam linguae Latinae idiotismos veniam consecuta arbitror. Propius accedit illud Tibulli. I. II. 11.

Et mala si qua tibi dixit dementia nostra.

et Horat. IV. Od. X. *insperata pluma venit tuae superbiae.* In prosa abstinuisse magis videmus. sed vt labente in humilitatem et adulationem seculo *mea paruitas*, Valer. Maximo, *meo mediocritas*, Velleio, *nostra infirmitas* Quinctiliano, et alis frequenter vsitari coepta sunt, ita *tua clementia*, *excellentia*, *maiestas* etc. coepit postea frequentari. vide quae ad Valer. Max. Praef. notant eruditi, et Barth. XXIII. Adv. 9. non recte tamen Gallus reddidit. *cette haute maiesté*. Phaedro enim ea non fuit mens. sed eodem modo haec scripsit, vt dixit, *gemuit corui stupor*. et centum talia, de quibus modo egimus.

23 *Tanti*] Praestat, quia *iocata* praecedit, et rectius *maiestas* interponitur τοῖς *tanti ducis;* quam *tanta maiestas ducis*. nec iuuabit, credo, Ouidii ille locus IV. ex Pont. VIII. 56.

Tantaque maiestas ore canentis eget.

Non multum egisti, et opera nequidquam perit;
25 Multo maioris alapae mecum veneunt.

24 *Non multum egisti*] Qui in vulgatis verbis nullum hic iocum agnoscebat Vir Eruditus, quaerit eum in figura, quae dicitur *παρὰ προσδοκίαν*, cum ex prioribus verbis speratur aliquid secuturum, sed posteriora contrarium significent. ergo legit,

Tu multum egisti, et opera ——

sperabat vel exspectabat Tiberium dicturum *et opera gratissima est.* cum ille praeter spem adiiciat, *nequicquam perit:* sed iocus in vltimis verbis, aut potius toto complexu duorum verborum consistit. Tu, qui videris multum *egisse*, (vt ardeliones in initio fabulae dicuntur *multa agendo nihil agere*) reuera nihil *egisti*, et opera illa *conspergendae humo* insumpta, quam tu pro alio subis, nec pro officio tuo debes, perdita tibi est; sperasti me liberalitate aliqua, aut forte manumissione donaturum te, sed non tam vili pro opera vendere libertates soleo. et ita princeps auarus elusit coruum hiantem, qui alienum sibi ministerium vindicans inepta opera libertatem sperabat. De manumissione etiam capit Raderus ad Martial. II. 6. licet ex verbis se non expediat, et *maiores* legat. idem sentit Cellarius ad Sedul. V. 103. *maioris* etiam Scaliger in codice suo emendauerat. mihi hic adhuc aquam haerere ostendi in prioribus notis. *mecum veneunt* insolens quidem locutio, sed similia iam dederunt viri docti exempla; et ex Propertio III. XVI. 17. Heinsius adscriberat.

> *I nunc tolle animos, et tecum finge triumphos.*

sed ibi *tecum finge*, est vt *secum cogitare*, *reputare* et similia. propius accedunt illa Ouid. I. Amor. VI. 37.

> *Ergo amor et modicum circa mea tempora vinum*
> *Mecum est.*

Terent. Eun I. 2. *mecum tota sit*, id est, licet corpore sis apud militem, tamen animo sis apud me; sed vt verum fatear, non ita plene satisfaciunt haec exempla, vt probent recte dici *rem venire mecum*, pro a me vendi. Gronov. explicat *mecum*, *domi meae*, non male, vt idem sit quod *apud me*. vt Terent. Hecyr. I. 2. *reliquit cum matre vxorem*. et noster III. 7. *veni mecum* pro ad me, ad meas aedes: sed ego in illo *mecum* vlcus latere existimo. Vt vero *maioris venire*, ita *minoris* dixit, Val. Max. III. VII. 10. Quidquid sit, etsi nondum plane mihi satisfaciam in horum verborum explicatione, minus certe placent commenta doctorum: quare haec inter Phaedri singularia habebo, donec maior lux appareat.

24 *Opera nequicquam perit.*] Senec. Ep. XIV. *postea videbimus an sapienti opera perdenda sit.*

(37) FAB. VI.

Aquila, Cornix et Testudo.

Contra potentes nemo est munitus satis;
Si vero accessit consiliator maleficus,

Vis

FAB. VI.

1 *Nemo est munitus satis*] Non mouendam censeo hanc vulgo receptam lectionem, quamuis et in codice Gudius *nemo tutus est* fuisse testetur, et Cl. Bentlejo aeque bona, eius aemulo vero melior videatur: Ego enim a Glossatore eam profectam existimo, qui arripuit ex fine huius fabulae: nam et Romulus Nielantii, et Rimicius *munitus* et *tutus* simul exhibent, vnde manifeste apparet alterutrum esse ab interpretatore profectum. Praeterea Romulus in fine fabulae habet, *contra quam natura munierat*, et Rimicius paullo melius, *testudo quam natura forti concha munierat.* et perpetuus ille vsus, vt mox docebo, verbi *munire*, et inde deriuatorum, id suadet. Natura enim benigna mater, vt a Phaedro habetur, quae prouidit omnibus, quae in vniuerso sunt producta, etiam animalibus imbellibus et debilibus sua arma et munimenta, contra eos, qui nocere illis sustinent, dedit. Praeterea si *tutus* scripsisset Phaedrus, vix puto librariis potuisse in mentem venire vocem elegantiorem, et metaphorico suo vsu vulgo minus notam, vt eam supponerent, cum glossatorum mos sollemnis fuerit translatas voces per magis simplices et apertas exponere. Deinde dubito vehementer, an ex genio linguae Latinae aliquis *tutus contra potentes* dici possit, cum in frequentiori vsu sit *tutus ab*, vel *ad*, vt de ipsa testudine Liuius a Cl. Gronouio laudatus lib. XXXVI, 32. *tuta ad omnes ictus* dixerit: et noster lib. I. fab. 31. *tutus ab iniuria;* Cuius locutionis millia suppetunt exemplorum nullum vero producitur, licet forte hic vel illic latere possit, quo *tutus contra* adstruatur. producunt certe Lexica ex Celso lib. X. 23. de Mithridate, qui *aduersus venenorum pericula tutum corpus suum reddidit.* Quidquid sit, quotidiani magis vsus esse *munitus contra* vel *aduersum* constat. Tacitus vita Agricolae cap. XLV. *saeuus ille vultus et rubor, a quo se contra pudorem muniuerat.* Salluft. Iugurt. cap. CXIV. *muniti aduersus hostes.* Senec. Epist. VIII. *domus munimentum aduersus infesta corpori.* et de animalibus verbum hoc passim occurrit. ita Plinius lib. IX. 30. *Locustae crusta fragili muniuntur.* lib. XI. 37. *Perdices spina et frutice sic muniunt receptacula, vt contra feras abunde vallentur.* et ita Plinius centies, vt ita dicam. Sic iam elegantissime testudo cortice sua, vt domo aut moenibus munita intelligitur: aut quasi thorace et scuto, vt illa etiam *munimenta corporis* dicuntur: quomodo *thorax* Curtio lib. IV. 13. Sic etiam vestes et alia velamina hominibus, quibus natura munimenta negauit, munimenti vice sunt. Sueton. Aug. cap. LXXXII. *toga, tunicis etc. muniebatur.* vbi Torrentius apposite illa Horatii adducit

— — *toga, quae defendere frigus*
Quamuis crassa queat.

ita et de rebus aliis auctores. Colum

Vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.
Aquila in sublime sustulit Testudinem:
5 Quae cum abdidisset cornea corpus domo,
Nec vllo pacto laedi posset condita;
Venit per auras Cornix; et propter volans,
Opimam sane praedam rapuisti vnguibus,
Sed, nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
10 Graui nequidquam te lassabit pondere,

 Pro-

lum. I. 6. *emunita sola et latera horreorum.* et cap. 8. *familiam diligenter munitam a vento, frigore pluuiaque.* Virgil. II. Georg. 352.

—— —— effusos munimen ad imbres.

quod Columella lib. III. cap. 15. *tutari semina et munire* dixit. et ita ille saepius, nec minus Cicero, cuius loca cumulare nihil attinet. Per illa iam munimina *tutus* demum fit homo, animal et alia, vt Ouid. IV. Met. 773.

Esse locum solidae tutum munimine molis.

Senec. Epist. LXXIV. *aduersus hos casus muniendi sumus*, et mox, *si illa pars tuta est* (scilicet illis muniminibus) *pulsari homo potest, capi non potest.* Nihil ergo huc faciunt omnia loca, quae firmandae alteri lectioni produxit etiam Cl. Gronovius, in quibus tamen nullus est, vbi *tutus contra aliquem* dicatur. nec quia alius scriptor in hac vel simili re, voce *tutus* fit vsus, inde confici potest, Phaedrum in breui hac fabula bis eadem vtendo voce voluisse inopiam suam nudare, cum recte et ordine in initio, *munitum esse*, in fine *tutum* posuerit.

5 *Cornea domo*] Sic Seren. Sammonicus dat *tecta* ostreis, et *domos* conchis. vide Keuchenii notas pag. 122. *Carcerem concharum* dixit Manil. II. 93. *Corneum* vero pro duro poni vidimus ad Petron. cap. XLIII.

6 *Nec vllo pacto laedi*] Quae vero necessitas hic transponendi voces, *pacto nec vllo?* quod si fiat concinnitatis caussa, et vt secundum locum iambus teneat, nae centum et plures in Phaedro versus, immo in hac ipsa fabula aliquot sunt immutandi. vid. Anonym. ad lib. II. fab. III. 6.

7 *Venit per auras*] Videri posset tautologum *venit* et *volans:* non enim aliter *venire per auras* poterat, nisi volatu: quare aliquis me audacior legeret, et distingueret.

Vidit, per auras cornix et propter volans.

sed acquiesco vulgatae. per *auras* vero est plane Poëticum. vid. ad Ouid. III. Met. 296. XI. 184. XIV. 824. *ire per auras* pro volare II. Art. Am. 59. in quibus fere omnibus locis codices alii *sub auras* exhibent. *propter* vero volans est iuxta vid. ad Ouid. V. Met. 159. Rimicius et Romulus habent *contra volans*, vt obuia fuerit aquilae facta.

8 *Opimam*] *Optimam* Rimic. et Rom. sed male; inde vero videmus voces rariores in vulgatas fere mutari a descriptoribus, qui saepe glossas pro auctorum verbis nobis exhibere solent.

10 *Te lassabis pondere*] Nolui refragari

Promiſſa parte, ſuadet, vt ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facili veſcatur cibo.

Inducta

fragari Cl. Gronouio, qui ex MSS. reponendum indicabat, *te laſſabit*, vt ipſa teſtudo laſſaret ferentem aquilam, ob quod indicium gratias quidem agit Gudio, ſed laſſatum miratur. in illa ſubtili indagatione Latinae linguae, vt nihil adferat, quo MSS. lectionem firmet. quaſi vero opus eſſet obuiae locutionis exempla, quae plurima indices et lexica exhibent, cum taedio adferre. hoc demum opus eſt, cum rarior vel elegantior, quam vulgaris vſus oſtendit, eſt ſignificatio, aut vbi controuerſia voci vel locutioni mouetur. vt hic deſiderat exemplum, vbi qui aliquid gerit, *ſe laſſare* dicatur. produxi ex Lucan. V. 966.

—— neuter longo ſe gurgite laſſat.

at, inquit vir doctus, non agitur ibi de homine, nec de pondere, ſed de fluuiis, qui ſunt breuis curſus. quaſi interſit quo modo ſe quis laſſet homo, aut per metaphoram fluuius, ſi modo vires diminuat currendo. hae ſunt indignae literaris cauillationes, quae de omnibus rarioribus locutionibus moueri poſſunt, nec vmquam illis ſatisfiet, niſi totidem literis, ſyllabis et verbis, loca idem exprimentia producantur. Nihil ergo Analogia et ratio vmquam valebit. ſic et lib. III. 14. *ſe torquet diu* notandam locutionem dicit Schefferus, cuius tamen nec exemplum adfert. Videamus an melius ſuccedat in illis Senecae Ep. LIX. *Cum fatigauerunt ſe vino et libidinibus*, etc. an, vt hic *ſe loſſare pondere*, ibi non dicitur, *ſe fatigare vino:* atqui dicet, ibi ſubintelligitur *bibendo*, recte. et hic *pondere ferendo*, inter quae nihil plus intereſt, quam inter res ipſas intereſt, non vero vis alia verbo eſt in rebus diſſimilibus, ſed quibus aeque nos laſſamus: Val. Max. VII. III. 6. *dum adoleſcentis dextera irrito ſe labore fatigat*, *ſenio confecta manus miniſterium exſecuta eſt:* vbi *dextera* eſt pro adoleſcente dextera manu vtente, nota et obvia locutione. idem ergo eſt ac ſi dixiſſet, adoleſcens, dextra conuellere conans caudam equi, ſe fatigat labore irrito. Martial VII 59.

Quum vetis ſibi quiſque ſe fatiget,

Terent. Adelph. IV. 1.

—— —— —— vtinam quidem
Quod cum ſalute eius fiat, ita ſe defatigarit velim.

vbi intelligendum *opere faciendo* ex praecedentibus: ergo licet *ſe laſſare, fatigare*, etc. poſſet ſine reprehenſione dici, hic tamen obſequamur ſcriptis exemplaribus.

12 *Duram corticem*] Feminino genere poſuit, vt et alii. vid. ad Ouid. IV. Met. 375.

13 *Facile veſcatur cibo*] Conieceram olim legendum eſſe, *faciili veſcatur cibo:* quia ſi *facile* legeretur, ſine dubio *cibo* non eleganter ſatis adiungeretur τῷ *veſcatur*, quod per pleonaſmum explicat Schefferus, videns eam vocem admodum incommodam: quo enim, quaeſo, veſcimur, niſi cibo? neque locus Ciceronis, quo vtitur, huc quidquam facit, quem debuiſſet integrum adducere; ſed tunc nullus pleonaſmus apparuiſſet? nam lib. II. de diuin. cap. 23. dicit de Diis, *nec iis eſcis, aut potionibus veſcuntur, vt aut nimis acres, aut nimis* concre-

concretos humores colligant. Tolle tibi *escis et potionibus*, et vide quis sensus tolerabilis remaneat, qui hic superesset, si Phaedrus dixisset, *facile vescatur*, adiecta voce *cibo*; nam *vesci* absolute poni constat. sed si addere placeat *cibo*, addendum simul epitheton erat, vnde qualis *cibus* sit pateat, vt Cicero *iis escis* dixit: absolute Curtius dixit lib. VIII. cap. 6. *stabat ad fores aedis eius, in qua rex vescebatur.* an ibi eleganter adderetur *vescebatur cibo?* ita Valer. Max. II. V. 4. dixit, *in aede Iouis vesci.* et passim alibi, vbi de genere cibi nihil adiici necesse est. Gaudeo vero Cl. Bentlejo placuisse etiam *facili cibo*, et iussisse ita reponi. sed Aduersario eius doctissimo haec locutio nimis Poëtica, pro hoc scribendi genere, videtur. Quid? an ergo Poëtarum ex numero ita exigendus est Phaedrus, vt hac simplici et aperta phrasi vti ipsi non liceat? ridiculum hoc nasutis videri possit, cum sine vlla nota mox dixerit, *per auras*, et *altis ab astris*, quae certe Poëtica nimis videri debuissent. vide ad Ouid. XV. Met. 147. Et si similia ex toto Phaedri opere colligere vellem, molestus certe forem lectoribus. humilius quidem Poëseos genus secutus Phaedrus, sed adsurgit aliquando, vt in prologo lib. III. et IV. V. 9. et alibi. vbi etiam tumidioris et affectatae orationis accusari hoc colore posset. Sed adiicit vir doctus, *facile vescatur cibo*, dictum, vt lib. V. fab. 3. *Mecum facile in gratiam redeo.* Egregie vero et docte! Quicumque enim vel Poëtas a limine vmquam salutauit, nescire nequit (quod et notauimus lib. I. XXIII. 3.) quotiescunque vtuntur adiectiuis, vbi videtur requiri adverbium aut adiectiuum aduerbii modo positum, vel contra, aliquando eumdem debere exire sensum, si illud adiectiuum mutetur in aduerbium, vel vice versa adverbium in adiectiuum; aliquando autem paullum discrepantem: sed Latinitatis semper debere constare rationem: Conuerte iam orationem, et scribe, *mecum redeo in facilem gratiam*; an hoc Latine potest dici, aut eodem modo reciprocari? ac fabula mox VIII. *et opportuno se bubili condidit*: quod potuisset efferre, *et opportune se bubili condidit*, sed non aeque eleganter. Ita lib. IV. fab. 5. *plebes facili praesidio latet*, potuisset etiam efferri *facile latet praesidio*, id est, facile reperit latebras. sed cur et ibi vir doctus non vtitur vi sua emendatrice? vtinam Poëtica tractarent Poëtae! Hoc vero hac occasione monendi tirones, in quorum gratiam haec elaborantur, vt, vbi similes locutiones, quae conuerti et reciprocari possunt, reperiant, et etiam quae aeque satisfaciunt genio linguae Latinae et loquendi consuetudini, aures doctas adhibeant, et in castigandis Poëtis acri iudicio vti addiscant. Exempla ex immensa copia pauca pro re dabimus. apud Ouidium XI. Met. 130. vulgo editur.

> *Vrit, et inuiso merito torquetur ab auro.*

constat ratio loquendi. sed quis assuetus venustati Ouidianae ferat ingratum illum sonum *inuiso merito*, et non cum Heinsio malit legere *meritus?* contra lib. IX. 105. vbi legerit,

> *Vberior solito, nimbis hiemalibus auctus.*

non statim applaudet Heinsio, corrigenti,

Vberius solito etc. nam *vberior auctus* intolerabile est. lib. IV. Met. 508.

> *Consequitur motos velociter ignibus ignes.*

multo magis Poëticum est vt MSS. exhibent, *velocibus. ignes motos conse-*

Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
15 Simul et magistrae large diuisit dapem.

Sic

consequitur ignibus velocibus. in his oppositio et congruitas est optima. Epist. X. 29.

Nam ventis quoque sum crudelius vsus.

vbi dubium lectorem facile facient vtriusque locutionis, apud Nasonem quoque, exempla. sed praeferendum *crudelibus*, non te tantum, Theseu, crudeli, sed ventis quoque crudelibus vsus sum. contra Epist. XVI. 245. praetuli

Vt possem verbis petulantius vti.

prae *paetulantibus*. hoc enim noceret Paridi, si petulantia aperte verba effudisset, sed simulata ebrietate paullo *petulantius* (comparatiuo diminuente) vti verbis in rem eius erat, mox vs. 267.

Nostra per has leges audacia fortior isset.

non *fortius*; audacia nostra fortior Herculis et aliorum. Virgil. VII. Aen. 486.

Et lati custodia credita campi.

vbi Pierius praefert *late*, Heinsius *lati*. sed desino: sexcenta enim adduci talia possent, in quibus acri opus est diiudicandi vi, et assueta Poëticae elegantiae mentis intentione; quia manu exarati codices plerumque vtramque lectionem exhibent, cum alterutra tamen a Poëta sit profecta. Redeamus ergo a deuerticulo in viam: patebit vero eruditis, hic praeferendum esse *facili*, non tantum quia *cibo* requirit hic epitheton, sed tale, quod Aquilam statim inducat ad parendum consilio cornicis. Cibum tenebat vnguibus Aquila, sed qui sub cortice dura latens rostro carpi nequibat. sed fracta cortice facilis et paratus ipsi ostendebatur. eodem fere modo vt apud Valer. Max. VII. VI. 2. Casilinates, oculis intuentes pinguissima arua et fertilissimos campos moenibus suis subiectos, tamen obsessione Annibalis clausi, *alimentorum facilitate* (ita ex MSS. legendum) *defecti* erant. et quem noster *facilem cibum* vocat, idem Valerius in simili et nota Aeschyli historia, lib. IX. XII. ext. 2. dixit, Aquilam illisisse testudinem, vt *fractae carne vesceretur*; tunc enim demum facilis erat. plura de *facili* cibo et victu reperiet ad Petron. cap. XCIII. Lector, a quo veniam tam longae notae peto. sed gratiam, spero, rependet vtilitas.

14 *Inducta verbis*] *Veris* I. F. Gronouius coniiciebat, et Heinsius etiam *monito*, vtramque emendationem amplectitur Cl. Bentlejus. *veris* certe rectius, quam quod Aug. Buchnerus in notis ad Venantii Hymn. de resurr. vs. 42. *verbis monitis* coniunctim capiat. Ita *conuictus veris* Liv. XXVI. 12. *vera* autem et *verba* saepe a librariis confundi docebunt te notae Heinsii ad Claudian. II. in Eutrop. 470. et Brouckhusii ad Propert. I. VIII. 22. sed valde dubito, an non hoc in loco praestet *verbis*, ex more nostri Poëtae. vt I. 11. *verbis iactans*. IV. 2. *verbis eleuant*, V. 2. *verbis adiuuisset*. debet autem intelligi *eius*: vt *verbis non moueor tuis* lib. III. fab. 6. nescio vero cur *monito* praeferendum sit *monitis*, passim enim Ouidius in plurali vti solet. sic III. Fast. 760.

Hic paret monitis, et linit ora luto.

et ita Virgilius *monita Iouis* bis terue dixit, et alii centies.

15 *Magistrae*] Id est consiliatrici, vt

Sic tuta quae naturae fueras munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

vt in principio fabulae *Consiliator*, nam pro suasore, auctore consilii, *Magister* saepe a scriptoribus ponitur. Terent. Andr. I. 11.

Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.

Senec. Thyest. 310.

Saepe in magistrum scelera redierunt sua.

Monita vero et *magistra* recte inter se congruunt. Ita enim Geta apud Terent. Phorm. I. II. 32. dicit se quasi *magistrum* relictum filiis, et Act. II. I. 4. *O Geta monitor* exclamat Demipho. vid. Barth. XXI. Ad. 2. et ad Stat. V. Silv. III. vs. 147. et XII. Theb. 205.

15 *Large diuisit dapem*] Hic eadem ratio, quae modo in *facile*, est dubitandi, an *large*, an *largam* praestet: nam vtrumque recte dici constat. sic Liuius lib. XXI. 5. *Hi large partiendo praedam*, etc. eodem modo, Curtius VIII. X. *large ad epulas omnibus praebitis*. Senec. Ep. XXI. *et aquam quoque large ministrabat*. Ideoque de similibus contendere, paedagogicas rixas refert. hic enim ita, illic aliter loquuntur auctores, quare consuetudo Poëtarum et mos Phaedri hic praecipue efficere debet, vt *largam* praeferamus sic:

Felisque catulis largam praebuerunt dapem.

Fab. IV. huius libri et ita alii scriptores. Senec. Oedip. 307.

Quid flamma, largas iamne comprendit dapes?

Boët. de Consol. Phil. lib. III. Metr. 2. *Largasque dapes dulci studio Ludens hominum cura ministret*. *largae* vero *dapes* sunt, quae saturandae vtrique abunde sufficiunt: et Poëtis nihil vsitatius, quam res *largas* et *parcas* dicere, quae vel *large* vel *parce* praebentur. Ouid. III. Fast. 656.

Et celebrant largo seque diemque mero.

et contra II. Fast. 636.

Parca precaturae sumite vina manus.

et ita passim Virgilius. vid. Cerd. ad II. Georg. 390. et I. Aeneid. 465. Plinius etiam lib. VIII. 40. de canibus, *quo largiore aluntur lacte, eo tardiorem visum accipiunt*. Curtius IX. 1. *aquae largae manant e fontibus*. vbi etiam Codex Leidensis *large*, quod aeque defendi posset. Nam et lib. VI. 6. *ex quo largae aquae manant*, in MSS. duobus est *large*: adiectiuum tamen esse praeferendum docet etiam Seruius ad III. Georg. 403. *aut parco sale contingunt*, post alia ita notans, *Aut certe parco dixit pro parce, vt sit nomen pro aduerbio*. nihil ergo est, quod vir doctus *large* hic praeferat, cuius nullum exemplum adducit, quamuis nos iam multa dederimus. de *diuidere* vide Gron. Diatr. Stat. cap. XIII.

(38) FAB. VII.

Muli et Latrones.

Muli grauati sarcinis ibant duo;
Vnus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere diues, celsa ceruice eminens,
5 Clarumque collo iactans tintinnabulum:
Comes quieto sequitur et placido gradu.

Subito

FAB. VII.

4 *Celsa ceruice eminens*] Interserit admodum insuauiter τὸ *it* Cl. Bentl., non modo quia *ibant* in primo versu iam praecedit, vt obseruat vir doctus, sed quia, cum tria auctores diuersa enumerant, prioribus sine copula positis, tertio demum membro copulam solent adiungere, *diues*, *eminens et iactans*. ita vt hic non opus sit verbo *it*. licet sciam exempla extare plura, vbi copulae illae cumulantur. sed vbi non sunt in MStis. nullum inferendi ius esse puto. Richerus eiectis participiis legit,

——— *Ceruice eminet,*
Clarumque collo iactat tintinnabulum.

sed hoc sibi licitum esse putent, qui nihil captant, nisi emendationes, et hanc solam laudem eruditionis venantur, nouare semper aliquid in editionibus iteratis.

6 *Comes*] Quia *ille* praecessit, volebat Heinsius Epist. XIX. ad Scheffer. *Comes hic.* sed non opus est construere, *hic sequitur comes;* sed intelligere simpliciter, alter mulus, qui comes erat.

6 *Quieto*] Cl. Bentl *quietus:* idem fraudi fuit viro docto, quod modo notauimus, et nemo ignorat qui Poëtas legit. nec in Poëtis solis, sed et in prosa varientur hi casus nominatiuus et ablatiuus, vt *excellens forma*, vel *excellenti*. vid. Gron. ad Liv. I. 8. Sallust. Catil. I. III. *diuersi moribus fuere*, vel *diuersis*. vide Cort. ad Iug. LXXVIII. *impares magnitudine: pares*, vel *pari natura:* vid. et infr. III. VIII. 3. Tutius ergo sequi scriptos, et in talibus nil mutare. miror non aduocasse Cl. Bentlejum illa Ouidii II. Trist. 142.

Praeterii toties iure quietus eques.

sed ibi alia res est. Forte credidit vir doctissimus *placido* et *quieto gradu* vnum et idem esse. sed iam vidimus non tam acerbe omnia exigenda in Poëtis, qui saepe cumulant verba et nomina, quae eandem vim habere videntur. vid. supra ad lib. I. fab. vlt. 3. sed neque eandem plane vim habere haec duo infinita docent exempla, et Virgilius, qui nil molitus inepte est, haec duo coniungit V. Aeneid. 848.

Mene salis placidi vultum, fluctusque quietos
Ignorare iubes

et nescio an eius exemplo, licet de alia re Valerius Max. VI. III. princ. *vtilia quidem legum munimenta, sed minime in placido et quieto paginarum numero reponenda.* Seneca de Prouident. II. *vincit, et alio-*

Subito latrones ex insidiis aduolant,
Interque caedem ferro mulum trusitant.

Diri-

alioquin quietus placidusque, contra incurrentia attolluntur. Idem Ep. IV. *si volumus illam vltimam horam placidi exspectare, cuius metus omnes alias inquietas facit.* IV. Quaest. Natur. 2. *quietum et placidum aëris statum esse.* de Ira. I. 1. *caeteris aliquid quieti placidique inest.* Apulejus de Deo Socratis, de Lare familiari, qui *placato et quieto numine domum possidet.* Virgilius etiam lib. V. 836. *placidam quietem* dixit, *placida laxarant membra quiete.* et lib. IX. vs. 107.

—— —— nec placida contenta quiete.

denique oppositio hic duo haec epitheta requirit, *placido gradu* opponitur τοῖς *celsa ceruice eminens*, *quiete* τοῖς *iactans collo tintinnabulum.*

8 *Interque caedem*] Hic litem mouent Phaedro quidam quia nulla caedes facta fuit, sed intra direptionem fiscorum vis omnis latronum constitit. et hinc forte Heinsius adscripsit margini, vel, *interque sepem.* vel, *vterque foede.* et in Epistol. XIX. ad Scheffer. *interque se dum ferro mulum trusitant.* Meursius, *interque praedam.* sed vulgatam vindicarunt iure viri docti: cui etiam patrocinatur Virgilii auctoritas: lib. VIII. 492.

Ille inter caedes Rutulorum elapsus.

vbi et in codicibus Vaticanis omnibus se reperisse restatur Pierius *inter caedem.* et vs. 709.

Illam inter caedes pallentem morte futura.

neque minus licet dicere *inter caedem*, quam Florus dixit lib. I. cap. 6. *inter Tarquinii mortem*, et eadem fere locutio videtur, quae occurrit apud eundem lib. III. 19. et 21. *inter manus lacerari.* et qua noster paullo aliter vtitur lib. V. 7. et de qua vide Cl. Ducker. ad Flor. III. 21. et doctissimum Snakenburgium ad Curt. VIII. X. 18. Quod vero hic caedem factam negent, vnde quaeso probent? nam muliones occidi a latronibus potuerunt, quod praeterit auctor, quia non singula exsequi debet fabularum scriptor, sed illa tantum, quae ad finem, quem sibi proponit, faciunt, reliqua verbo tangere sufficit, vt fabulae sua constet series et ordo. Vt et vidimus lib I. fab. XIX. et saepe alibi. Quin et *caedes* non necessario mortem secutam esse notare semper solet; sed tantum verbera, pulsationes, intra quas ira Latronum, praeda contentorum, forte constitit. ita apud Ouidium lib. I. Amor. Eleg. VII. 27.

Quid mihi vobiscum caedis scelerisque ministrae?

at ille pulsasse se tantum amicam, non occidisse, dolet. et ita Donat. ad Terent. Adelph. II. I. vs. 46. vbi Sannio colaphis contusus erat, notat, *Colaphus, contumeliosa caedes.* Prudent. Cathem. Hym. IX. vs. 85.

O nouum caedes stupenda vulneris miraculum.

Paullin. Petroc. de vita Martin. lib. I. 174.

Innumeras vicit, sine caedis vulnere, gentes.

Vbi vide Barth. et ad Stat. Theb. II. 123. et haec videtur prima huius vocis significatio a *caedere*, quod est *verberibus caedere* Terentio And.

Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
10 Spoliatus igitur casus quum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo.
Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas.
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

Andr. I. II. 28. quia vero hinc mors saepe sequitur, etiam significatio prolata fuit. Eodem modo occurrit apud Graecos quoque φόνος, ita Pindarus VIII. Isth. 110. de Telepho, qui tantum vulneratus ab Achille, non occisus fuit, Αἵμαξε Τηλέφου μέλανι ῥαίνων φόνῳ πέδιον: *cruentauit Thelephi atro spargens sanguine campum.* et in genere de omni sanguine ex vulnere, siue sit mors secura, siue non, vtuntur Graeci. vid. Schol. Sophocl. Trach. 562. et Nicandri Ther. 497. Etiam de sanguine ex animali sauciato vel caeso profluente sumi docuit Reines. I. Var. Lect. I. de sanie vsus Apollon. Rh. II. 1217. Alterum, quod additur, verbum magis me sollicitum habet: *trucidare* quidem *ferro* dixit etiam Valerius Max III. II. ext. vlt. sed nec *trucidant* fert metrum, aut veritas: nec *trusitant*, nec *tunsitant*, nec *tonsitant* vllo exemplo adfirmantur fuisse in vsu: hinc *sauciant* ab Heinsio excogitatum placuit etiam Bentlejo. Aequo iure potuissent rescribere *vulnerant.* nam mox sequitur, *nec sum laesus vulnere:* sed haec sunt pro arbitrio dicta. Et dubium semper relinquitur, an verba tam nota et familiaria in tot monstra a librariis potuerint deformari. *incursitant* magis placeret, si posset persuaderi, verbo hoc in bello fere vsitato, et a Plauto ridiculi gratia, translato ab ipso boum et animalium incursu, delectatum fuisse Phaedrum. fateor hic mihi aquam haerere, nec me expedire posse. seruetur ergo huius loci medicina feliciori ingenio. Gallus interpres vertit, *percent ce premier mulet a coups d'epée.* hoc ipsi diuinitus, credo, rescissere datum, nobis non fas est scire omnia. sed hoc scimus, si gladiis ita transfossus fuisset, non decore ipsi postea querelam de casibus suis attribui. sed *spoliatus* et leui *vulnere laesus*, vt mox sequitur, queri apte potest. an *lancinant* liceret coniicere? de quo verbo vide Stewech. ad Arnob. lib. II. pag. 79. vix puto.

14 *Magnae periclo sunt etc.*] Hic vero vir doctus admittit, quam toties in Bentlejo exagitat, culpam, et sine vlla necessitate, contra scriptos et editos opinatur legendum, *magno periculo*, quod in quibusdam editionibus etiam olim legebatur, vt Daneti, et a Iohnsonio iam teiectum fuit. Ratio, quam reddit Vir doctus, haec est; quia Phaedrus alibi hoc epitheton adiunxit τῷ *periculo.* sed an ideo semper cogendus eodem modo loqui? sed et sine epitheto ponit lib. IV. fab. 16. *factus periclo gubernator sophus.* et ter quaterque alibi. altera, quae induxit virum doctum, ratio est, quia *opes* satis per se notant opulentiam. fateor, sed praeterquam quod ipse Phaedrus prol. lib. III. vs. 24. iterum dixit *magnas opes*, ita omnibus Poëtarum locis, vbi *magnae* adduntur, mouenda lis esset. vt Ouid. I. Fast. 304.

Magnarum fames sollicitauit opum.

nam

nam sufficit *fames opum*, paullo ante vs. 211. dixerat

Creuerunt et opes et opum furiosa cupido.

idem lib. III. 574.

Sed timuit magnas Pygmalionis opes.

ibi vir doctus iuberet forte rescribi, *magni Pygmalionis*, etsi in scriptis nulla sit differentia. nam et Virgilius I. Aen. 363. dixit, *portantur auari Pygmalionis opes*, sine epitheto. Denique non plane inutile esse epitheton, patet, quia *magnae opes* minui possunt, et *exiguae* fieri. nam et *exiguas opes* dixit Ouid. in Ibi. 579.

Propter opes magnas vt perdidit hospes alumnum,
Perdat ob exiguas te tuus hospes opes.

IV. ex Pont. IX. 122.

Exiguas carpo munere pauper opes.

Opes paruae sunt pauperibus idem, quod *magnae* diuitibus, et pecus agricolae, quod aurum potenti. Ouid. III. Trist. X. 59.

Ruris opes paruae, pecus et stridentia plaustra,
Et quas diuitias incola pauper habet.

Hoc ergo vult fabula indicare, mediocritatem esse tutam, quae per hordeum indicatur, magnas opes, quas referunt fisci cum pecunia, obnoxias esse periculo. haec operosius, vt saltem pateat magno periculo obnoxiam esse temeritatem in corrigendis Poëtis, in quorum lectione non longo tempore versati sumus. praeterea regerere possumus viro docto, *periculum* etiam per se sufficere, etsi non addatur *magnum* epitheton, et idem fere esse si dicamus, *magnae opes obnoxiae sunt periculo*, ac sic, *magno pericula opes sunt obnoxiae*. Gallus interpres sibi egregie cauit, nam ille vtramque lectionem exhibet, *les grandes richesses sont exposées a de grands perils.* hoc est latere tecto semper incedere, nec vnquam criticis nudum praebere. Tertia quoque ratio, quam adfert vir doctus, certe pudenda magis videtur: quia si legatur, inquit, *magnae pericio sunt opes*, epitheton disiungitur a nomine suo, nec solet Phaedrus *tanto* interuallo a nominibus epitheta seiungere. tantumne interuallum, duae interpositae voces faciunt? quo abibunt ergo infinita Poëtarum, immo Historicorum et Oratorum, loca, in quibus multo longiori spatio distant? quid fiet illis, qui obseruant, studio saepe captare Poëtas, vt inter epitheta et nomina non vna vel duae, sed plures intercedant voces? sed ne taedio simus, ex aliquot millibus producendo exempla plura, contenti simus solo Phaedro, qui *largam*, vel *large* satis nobis praebebit materiem fab. seq. vs. 8.

OCCASIONE rursus erumpam DATA.

III. X. 6.

Quam STVLTA praue iudicet SENTENTIA.

vs. 8.

MEMORIA quod factum est MEA.

Ibid. vs. 36.

MALIGNA insontem deprimit SVSPICIO.

III. XV. 16.

DVLCEMQVE sponte praestat BENEVOLENTIAM.

V. Prol. vs. 3.

CONSILIVM tacito corde damnaui MEVM.

V. IV. 5.

TVVM libenter prorsus appetarem CIBVM.

Ibid. vs. 8.

PERICVLOSVM semper vitaui LVCRVM.

fab.

(39) FAB. VIII.

Ceruus et Boues.

Ceruus nemorosis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret instantem necem,

Caeco

fab. V. 5.

PROPOSITO *cunctos inuitanit* PRAEMIO.

Plura ad manum sunt, sed nolo cumulare: quis enim vnquam de talibus dubitauit? Vide vero, lector, quo descendere nos cogant noua et inaudita emendationes nouas captantium commenta: tantum notari meretur talia dictata criticorum saepe variare, prout libido corrigendi hoc vel illud suadet. nam lib. IV. 17. vbi coniunctum est epitheton nomini, *melioris vitae tempora*, disiungit legendo, *meliora vitae tempora*, vir falti dio suo saepe Phaedro, et nobis molestior.

FAB. VIII.

2 *Vt venatorum fugeret instantem necem.*] Non potuerunt quidam interpretes concoquere, *venatorum instantem*, pro *a venatoribus*. licet alii multis exemplis locutionem illam adstruxerint; et nos notauerimus ita Sallustium dixisse, *Pompeii metum.* et Liv. I. 13. *Sabinas mulieres, quarum ex iniuria bellum ortum erat*, pro quam ipsae passae erant. et cap. 14. *vt expiarentur legatorum iniuriae*, pro quae illatae erant legatis. Senec. VI. Nat. quaest. 23 *Scelus Callisthenis*, de Alexandro, qui eum occidit: et ita passim veteres locutos probauerimus. vide Voss. ad Pomp. Mel. II. 7. Broukh. ad Prop. IV. VII. 65. Barth. ad Stat. V. Theb. 565. et XI. 310. et Adv. XI. 13. Muret. ad Cicer. II. Cat. 2. tanta enim copia auctoritatum opus est. Periz. ad Aelian. II. 25. et nos ad Val. Flacc. V. 526. et alibi saepe. Rimicius, *vt venatores euaderet* habet, vnde patet mortem a venatoribus instantem intelligi debere, sed haec nondum reprimere potuerunt ardorem corrigendi omnia, etiam sanissima. Heinsius volebat; *venatorem fugeret instantem neci.* vel *venatores instantes neci*, vel *venatore fug. instanti necem.* Bentlejo ridiculum etiam videtur, *necem venatorum* dici, et quia *excitatus* dicitur cernus, nec additur a quo, ille corrigit; *excitatus A venatore, vt fugeret instantem necem.* Vir doctus etiam, etsi Bentlejo obloquitur, mallet, *instantum necem:* sed omnia vana. et satis vulgata lectio munitur contra correctores Phaedri tot exemplis et auctoritatibus, quas adduxi: *Excitatus* autem defenditur exemplo Senecae a Scheffero adducto,

Iuuat excitatas consequi cursu feras.

et quis non intelligit a quibus excitatus fuerit ceruus? nimirum a canibus sagacibus, non ab ipso, venatore, vt fingit Cl. Bentl. *excitatas* enim a canibus feras sequuntur, et iis instant venatores: licet non negem etiam *excitare* dici venatores posse, qui per canes ex cubilibus et latebris feras excitant. vt in fine *tollere* dicitur dominus, quod per seruos fit, nota figura, qua quis facere aliquid dicitur, quod eius iussu, monitu etc. fit. Senec. I. de Clem. 16. *Idem facit*

venator

Caeco timore proximam villam petit,
Et opportuno se bubili condidit.
5 Hic bos latenti, quidnam voluisti tibi,
Infelix, vltro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite,
Occa-

venator, *qui instituit catulos vestigia sequi*, *quique iam exercitatis vtitur ad excitandas*, *vel persequendas feras*. Ouid. X. Met. 710.

Forte suem latebris vestigia certa secuti
Exciuere canes

excire enim pro *excitare*, quod lex carminis refugit, posuit Poëta. vide de hoc verbo, quae notaui ad Petron. CXXXI. *instans* vero *nex* moneri non meretur, vt enim *pernicies instans*. I. fab. 10. *partus* I. fab. 18. et apud alios, *instans bellum*, *instantes curae* et similia, quae proximae sunt et imminent, passim occurrunt, quae ratio, quaeso, suadere potest, hic *instantes venatores* supponere? licet probetur etiam homines instare, qui persequuntur aliquem: hoc enim nemo negat. sed hic de Phaedri manu et scriptura agitur: non, an non aliter loqui potuisset, si ita ipsi visum fuisset.

3 *Caeco timore*] Illustrat hoc epitheton Heins. ad Ouid. III. Met. 490. idem I. Amor. IV. 42.

Illa mihi caeci caussa timoris erunt.

vbi recte explicat Micyllus. II. Fast. 822.

— et caeco flentque pauentque metu.

et talia infinita apud Poëtas. hoc etiam erat nobis exemplis pluribus firmandum, ne nimis Poëticum possit posthac quibusdam videri. Ceterum hanc fabulam nobis exhibere rem saepe fieri solitam, et ceruos pressos a canibus et venatoribus se recipere in tecta et stabula, docet idem Ouid. II. ex Pont. I. I. 39.

Nec se vicino dubitat committere tecto,
Quae fugit infestas territa cerua canes.

vnde forte et hic pro *condidit*, *credidit* posset legi, vt mox *tecto commiseris*, et suspicari liceret cum Praschio, excidisse vnum versum, quem *condidit* claudebat; nam *credere* et *committere* etiam occurrunt in eadem fabula lib. I. 14. Nec tantum ad domos confugere ceruos, sed Plinius lib. VIII. 32. dicit, etiam, *vrgente vi canum vltro ad hominem confugere*. sed quia incertum sit an aliquid exciderit, tutius vulgata seruabimus.

4 *Bubili*] Recepimus ex Gudii sententia hanc vocem pro *bouili*. *Bobili* erat in codice MS. vt *rodis* pro *rudis*. vid. et Voss. de Analog. I. cap. 21. et ita Cato de R. R. IV. Columella et alii passim. in Anonymo Nielantii, pro varia lectione *ouile* legitur, sed de bobus agi manifestum est.

8 *Vos modo parcite*] Gallicus interpres verterat, *vous autres seulement ayez pitié de moy*, quod carpit eius censor, quia *modo* vim praesentis temporis hic habere credit, et idem esse, ac si dixisset Phaedrus *nunc parcite*, *rursus occasione data erumpam*, sed perperam: nam *modo* numquam praesens tempus

Occasione rursus erumpam data.
10 Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
Nemo animaduertit: transit etiam villicus,
Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus
15 Bobus quietis agere coepit gratias,

Hospi-

pus significare certum est, et a *nunc* differre clare patet ex lib. I. fab. 9.

Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

vbi *nunc ploras* virum doctum velle vidimus. lib. V. fab. 2.

Vellem istis verbis saltem adiuuisses modo.

ex mox:

Nunc conde ferrum.

Vbi Gallicus interpres; quasi censori suo obsequens, inepte reddit, *je voudrois que presentement vous m'eussiez secondé.* cum debuisset *un peu auparavant* reddere nam adiungit verbo praeteriti temporis adverbium praesentis, et ita sibi contradicentem Phaedrum facit. nam sequens *nunc* vertit, *mais maintenant.* quae haec, quaeso, oppositio, *presentement*, et *mais maintenant?* quasi Latine liceret dicere, *vellem adiuuisses in praesentia, sed nunc conde ferrum. modo* vero proxime elapsum tempus notare, ita vt spatium aliquod intercedat, inter illud et praesens, putidum esset probare, cum centenis auctoritatibus id facile esset efficere. sufficiat illud Terentii ex Hecyr. III. IV. 8. *Advenis modo?* PA. *admodum.* vbi et Donatus errare et alus errandi caussam praebuisse videtur, qui dicit difficile inueniri praesentis temporis *modo*, sed vt ostendat esse etiam momentum praesentis temporis, dixisse *admodum.* male nam paullo antequam Pamphilum viderat pater, aduenerat iam: et remotum a momento temporis praesentis esse *modo*, apparet, quia subiicit *admodum*, scilicet *admodum modo*, id est, breuissimo temporis spatio elapso, antequam viderat patrem. idem Adelph. III. I. 2. *modo dolores occipiunt primulum.* vbi *modo* etiam paruum spatium praecedentis temporis, quo inceperunt dolores, antequam colloquantur mulieres, notat. immo et de tempore aliquando longiori sumi, vt etiam *nuper*, docuit egregie Bernecc. ad Instin. XXXVIII. 6. et infr. lib. IV. 20. videbimus etiam de futoro tempore sumi, sed ita; vt mens retrahat cogitationem ad proxime praeteritum. quare hic *modo* pro *tantum, solum*, debet capi, vt lib. I. XVII. 4. et XX. 1. et millies alibi.

11 *Frondem*] Frondibus boues pastos docet Passerat. ad Propert. II. 33. pag 388. et Casaub. ad Athen. I. 19. Anonymus et Rimicius, foenum et omne pabuli genus addunt. vide etiam Hoogstratani addenda.

15 *Quietis*] Et hic *quietus* contra mentem auctoris Cl. Bentlejus repouit, et explicat, *securus* Cervus. quasi vero et *quietus* non pro tacito sumeretur, vt recte Praschius, Schefferus et Vir doctus. ita Terent. Heaut. IV. III. 12. *quiesce* pro tace, ne *interloquere.* vt et in prolog. And. 22.

Dehinc

Hospitium aduerso quod praestiterint tempore.
Respondit vnus: saluum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
20 Haec inter ipse dominus a coena redit:
Et quia corruptos viderat nuper boues,
Accedit ad praesepe: cur frondis parum est?
Stramenta desunt? Tollere haec aranea
Quantum est laboris? dum scrutatur singula,
25 Cerui quoque alta est conspicatus cornua.

Quem

Dehinc vt quiescant porro moneo. sic et Senec. II. de ira 21. *quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur*, id est, tacenti, non flenti. Virgil. III. Aeneid. vlt.

Conticuit tandem, factoque hic fine quieuit.

Rimicius etiam et Anonymus ita τὸ *quietis* circumscribunt, *quod fugientem celarent*, vel *celassent*.

16 *Praestiterint*] Bene vim verbi animaduertit Schefferus, et Manut. ad Ciceron. IV. ad Fam. 8. notat inter *praebere* et *praestare* hoc discrimen intercedere, quod illud sit animi propensi ad iuuandum, hoc re ipsa et actione declarandi, quod an semper spectauerint scriptores nescio; sed duo haec verba librarios centies inter se commutasse deprehendi. sic Ouid. III. Art. Amat 663. dicit *locum et lectum praebere*, quod idem, quod hic *praestare hospitium*. vide et Gronov. ad Senec. Phoeniss. 178.

24 *Quantum est laboris*] Nec hoc placere potuit Heinsio nec Bentlejo, qui volunt, *quanti est laboris*, licet ipse Phaedrus I. 13. *quantum decoris* dixerit, et II. 4. *quantum mali* Ouid. XII. 19.

Quantum perfidiae tecum, scelerate, perisset?

XVI. Met. 472.

Pro superi! quantum mortalia pectora caecae
Noctis habent?

II. Fast. 408.

Heu quantum fati parua tabella vehit?

et ita ille passim: *quantum dotis* Terent. Phor. IV. 5. Val. Flacc. VI. 677.

Belli quantum iam restat acerbi?

an pluribus haec confirmari merentur, vt expugnetur pertinacia corrigendi? Ad manum sunt infinita. vide viros doctos ad Valer. Max. II. IX. pr. At dicent, in illis exemplis est verbum aliud, hic vero substantiuum *sum*. *quanti laboris est*, non *quantum laboris faceretis*, *toleraretis*. sed an non et Plautus Poen. I. III. 22. dixit? *quantum est mortuorum*. et Senec. Epist LXIV. *Quantum in illo, di boni! vigoris est?* quare relinquamus Phaedro suas locutiones, et si scripsisset *quanti laboris est*, nefas putarem et hoc mutare in *quantum laboris*. nam non nego et hoc eleganter et Latine dici. sic Senec. Ep. XXXI. *nonne vides, quanti operis sit fila disponere?* et ita alii passim.

I

Quem conuocata iubet occidi familia,
Praedamque tollit. Haec significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

EPILOGVS.

Aesopo ingentem statuam posuere Attici;
Ser-

27 *Praedamque tollit*] Heinsius *tolli*, vt similiter censet in loco Valerii Flacci VI, 610. Parum refert; *tollit* enim per seruos suos, et ita ipse tollere censetur. vt initio fabulae de *excitare* diximus. Ceterum saepe in similibus locutionibus post *iubere*, vidi in MSS. alterum verbum non infinitiui, sed indicatiui modi poni. Curt. VII. V. 40. *Alexander Oxathrem propius iussit accedere*, *tradique Bessum ei.* ubi MSS. *traditque Bessum ei.*

28 *Dominum videre.*] Columell. lib. III. vlt. *Quocumque domini praesentis oculi frequenter accessere, in ea parte maiorem in modum fructus exuberat.*

EPILOGVS.

1 *Aesopo ingentem*] Crediderim Gudium, quia *Aesopi* erat in MS. dexterrime coniecisse *Aesopi ingenio:* non enim videtur statua Aesopo posita, magnitudine alias, viris claris et bene meritis erectas, superasse, neque id vllo auctoris testimonio probatur. neque nouum librariis esse pro *ingenio*, *ingentem* nobis obtrudere, ostendit Acidalius ad Curt. X. 5. n. 32. apud Valer. Max. I. VII. Ext. 4. pro *ingenti agilitate et corporis dotibus praestantiorem*, Gronouius, Gudius et Perizonius *ingenii* reponunt, quibus suffragatur amicissimus *Torrenius*, cui nuper plurimum debuit Valerius: qui locus etiam veterem apud Silium scripturam posset asserere lib. XVI. 46.

Cantaber ingenio, et membrorum mole timeri.
Vel nudus poterat.

licet sententia Heinsi rescribentis *ingenti membrorum mole*. Cl. Drakenhorchio arrideat; *ingenium* vero in bellis passim de excogitatis machinis, et artibus bellicis occurrit. sic Florus dicit lib. II. 6. Syracusas *ingenio Archimedis* defensas: quod de iis, qui machinas, et strategemata inueniunt, passim dici notius est, quam vt probari debeat. apud Ciceronem quoque II. de Orat. 82. *vitanda etiam ingenii ostentationisque suspicio*, in MSS. quibusdam legitur, *ingentis ostentationis*. Gudii coniecturam probauit, quoque iam olim Vir Illustris Ez. Spanhemius ad Iuliani Caesares pag. 528. At non placuit Hoogstratano, quod nollem, neque Agathiae epigramma deducere eum a priori sententia debuisset, in quo verbum nullum de modo statuae, sed de ordine, quo posita fuit. Non praeteriisset enim, si etiam supra septem sapientium statuas Aesopi colossea eminuisset. Vulgatum etiam retinet Cl. Fabricius lib. II. Biblioth. Graec. cap. 9. pag. 391. qui *ingentem* splendidam et illustrem interpretatur: vellem probasset, et hoc etiam, si ex modo splendor posset colligi, intelligi potuisset, si modo *magnam* dixisset

xisset. sed plus quam *magnam* nobis ostentasset Phaedrus, si *ingentem* scripsisset. nam sine dubio *ingens* plus esse quam *magnum* docent praeter infinita, illa Terent. Eun. III. Sc. 1. *Magnas vero agere gratias Thais mihi.* Gn. *ingentes.* et ita Caesar, I. Bell. Gal. 39. *ingentem magnitudinem* dat Germanis, quos Romani scriptores gigantibus comparare solebant. et Liuius XXVII. 16. *ingentis magnitudinis Dii sunt.* et Valer. Max. I. VII. 7. *homo ingentis magnitudinis.* et ita ille et alii saepius. Et vt passim *aquae magnae* dicuntur, tamen, cum insolitae essent, *ingentes* dixit. Liuius XXIV, 4. et XXXVIII. 18. ita vt numquam maiores fuissent. Iure ergo etiam Cl. Bentlejus calculum suum huic emendationi adiicit: nam *ingenium* Aesopi caussa fuit, vt ipsi statuam ponerent Attici: statua enim praemium fuit et honor: si vero possimus ingenio alicuius praemia dare, cur non licet *statuam ponere ingenio.* atque ita Ouid. III. ex Pont. XI. 50.

Da, precor, ingenio praemia digna meo.

et vt iidem Athenienses Beroso statuam *ob diuinas praedictiones inaurata lingua posuerunt publice in gymnasio*, teste Plinio VII. 37. ita Aesopo ob *ingenium*, id est, inuentionem fabularum hunc honorem habuerunt. et ideo etiam Ennii statuam in sepulchro Corneliae gentis positam huc referre licet, quam Africanus ibi collocari voluit, quia *ingenio* eius opera sua illustrata iudicaret. Nam ita *ingenium* noster in fabularum inuentione celebrare solet. vt sibi tribuit lib. III. Prolog. vs. 5. et Aesopo, qui simul et Anacharsis *condidere famam ingenio suo* vs. 52. quo in loco nescio quo indicio suspicatur vir doctus, Gudium potuisse credere *ingenio* fuisse datiui casus cum debeat subintelligi *sibi condere ingenio*, id est, per ingenium; haec fingere otiosae est diligentiae, quamuis, si liberet, et ita capere liceret. an enim non similis locutio Ouidii ex Pont. X. 126.

Non fuit ingenio fama maligna meo.

et V. Trist. I. 76.

Ingenio stimulos subdere fama solet.

et infinita talia. sed hoc nunc non agimus, Phaedrum id velle solum ostendimus, non nobilitati, non generi, aut patriae hunc honorem habitum, sed *ingenio Aesopi*, qui peregrinus et barbarus retulit honorem, solis ciuibus bene meritis tribui solitum. Quare minime etiam placet mox mutare *cunctis* in *cuncti*. viam enim *cunctis*, etiam barbaris et peregrinis patuisse, docent illa Phaedri verba. *honori patere* viam nemo ignorat, nec hoc monendus erat lector. sed *omnibus patere*, nec excludi seruos, peregrinos, barbaros, hoc docet exemplum Aesopi, qui ab Atheniensibus, suae gentis iactatoribus et aestimatoribus, hoc obtinuit. vnice illustrat haec locus Senecae Epist. XLIV. *Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles.* et quae plura ibi sequuntur. quod de *bona* illic *mente*, hic de *honore* dicitur: Gallicus interpres eadem dexteritate, qua supra fab. 7. vertit quasi scripsisset Phaedrus, *patere cunctis, vt cuncti scirent: afin d'apprendre a tout le monde, que la carriere de l'honneur est ouverte a toutes sortes de personnes.* Decepit vero virum eruditum, qui *cuncti* volebat, quod *scirent* non haberet appositum nomen; rogat enim *quinam* isti? respondeo ex notis Bentleji ad Terent. Heaut. I. II. 30. *homines*, vel *omnes*, sollemni ellipsi. sic etiam haeret idem ad lib. V tab. 1. et 3. *passim et certatim ruunt.* sed videat ibi Hoogstratani

 notas

Seruumque collocarunt aeterna in basi,
Patere honoris scirent vt cunctis viam,

Nec

notas. Cette ignorantia huius loquendi moris multa corrupit loca, vt saepe in Ouidio Heinsius et ego ostendimus. sic I. Met. 132.

Vela dabant ventis.

V. Fast. 423.

Annus erat breuior, nec adhuc pia Februa norant.

Epist. XIV. 42.

Quaeque tibi dederant vina, sopo-ris erant,

II. Amor. XIV. 29.

Colchida respersam puerorum sanguine culpant,
Aque sua caesum matre queruntur Ityn.

III. Amor. VIII. 43. vt quidam codices,

Non freta demisso verrebant eruta remo.

ad quae loca notae nostrae consuli poterunt, et inf. III. X. 7. et ad Quintil. II. de Inst. cap. 16. Millia eiusmodi sunt obuia illis, qui Poëtas cum cura legerunt, et quae in tanta litterarum luce hodie in promptu habere debent, qui manus illis interpretandis adhibere audent, vt instructos varia eruditione Viros, Gronouium, Heinsium, Perizonium et alios, quos laudo et sequor, in notis meis fecisse ostendo. quibus adde Scaligerum adCatull. carm. 2. qui haec inusitatae elegantiae esse dicit, quae tamen hactenus nemo intelligebat. sic cum apud Gratium Cyneg. 126. *fecere* simpliciter occurreret, et Barthius rogasset, vt nunc Bentlejus *quinam?* ostendit deinde hoc familiare esse idoneis scriptoribus, et multis firmat exemplis. vt ergo longae nimis, sed necessariae adnotationi, finem imponamus, totus ordo et sequentia verba docent, Aesopo non *ingentem* statuam, sed propter eius *ingenium*, licet nec nobilis, nec ciuis esset, sed seruus et peregrinus, positam ordinarii modi statuam. vide plura in hanc rem apud Cicer. pro Muraen. cap. VIII. Senec. III. de Benef. 18. maxime vero in hanc rem egregia inscriptio apud Gruter. pag. DCCV. 12. *Nulli praeclusa est virtus, omnibus patet, non quaerit censum, sed nudo homine contenta est.* quae et τὸ *cunctis* confirmat.

1 *Posuere*] Proprium in hac re verbum. Ouid. III. Art. Amat. 409.

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

et ita alii passim.

2 *Aeterna in basi*] Hic versus respicit sollemnes statuarum inscriptiones, in earum basi, quibus memoria virorum illustrium aeternitati, vel aeternae memoriae commendari solebat. vt apud Gruter. pag. CCCLXXII. 6. Tertullus coniugi suae, AETERNITATIS MEMORIAM POSVISSE legitur et in Marmoribus Felsineis a Maluasia editis Sect. VII. cap. 2. POMPEIAE MAXIMAE MEMORIAE AETERNAE, Reines. clas. VI. Insc. 129. STATVAM AD VIVACEM RECORDATIONEM, ET SEMPITERNAM MEMORIAM POSVERVNT. et passim talia in indicibus Lapidum videri possunt. egregie de Augusto Horatius lib. IV. Od. 14.

Quae cura patrum, quaeue Quiritium

Plenis

Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.
5 Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne solus esset, studui; quod superfuit.

I 3 Nec

Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aeuum
Per titulos, memoresque fastos
AETERNET?

vbi per titulos statuas intelligit, vt *titulorum cupido, dum sub imaginibus suis Araxen et Euphraten legi cupit*, de Antonio Flor. IV. 10. apposite etiam Ammian. Marcell. XXIV. 6. *ex his quidam aeternitati se commendari posse per statuas existimantes, eas ardenter affectant.* haec satis ostendunt Guyetum temere hic de *aerea* vel *extrema* basi cogitasse.

4 *Nec generi tribui*] Post hunc versum lacunam asteriscis notatam reliquit Meursius, quasi aliquid deesset. Rittershusius supplere tentauit. Nuper etiam Christoph. Hauptius in Obser. XXI. tom. I. Miscel. Lipsiensium, versum hac coniectura supplere ausus est.

(*Id quod solet fieri saepissime.*)

Ne audiant, precor, Musae; nam periculum est, ne furcillis a Parnasso tam lepidum Poëtam detrudi iubeant, qui ne senarium quidem efferre potuit, sed quinque pedibus claudicantem versum inserit, et cuius notae et sententiae versiculum etiam supra lib. II. fab. II. intrudere voluit: et centum fabulis talis sententia accommodari potest. ego satis cohaerere puto. Aesopus seruus, licet Phryx genere, tamen primus inter Graecos fuit, qui fabulas prodidit et edidit, hinc meritus ab Atheniensibus est statuam. Inter Latinos se primum dicit Phaedrus, qui ne primus inter omnes esset, *Alter*, scil. Aesopus, qui occupauit, fecit. Phaedrus nunc, quod solum ipsi superfuit, studuit ne solus Fabularum scriptor audiat Aesopus, et ideo non occulte innuit se similem laudem et praemium a Latio sperare, nisi inuidia et liuor obstiterit etc. nescio autem quam leuis sit de illo *altero* coniectura Heinsii ad Ouid. IV. ex Pont. eleg. vlt. vs. 30. qui Melissum intelligi credit, quia *Jocorum* libros scripsit, quos fuisse fabulas Aesopias interpretatur; sed et Ouidius et Martialis sua Poëmata *iocos* et *iocosam Musam* vocant, nec tamen fabulas scripserunt. deinde se Aesopo comparat, non Latino Poëtae Phaedrus: nam mox in nouo hoc scribendi genere sectatores se habiturum gloriatur,

— — — *Latium*
Plures habebit, quos opponat Graeciae.

ita vt tamquam auctor et conditor huius scribendi generis velit haberi, apud Romanos. Si *fauerit* vero est, si applauserit, si probauerit, si laudauerit, vt in scena faueri solet recte partes agentibus. quare non satis accurate puto Gallicum interpretem reddidisse, *Si l'Italie fauorise mon dessein*, quae aliud quid notant verba.

6 *Ne solus esset, studui, quod superfuit.*] Nec hunc sollicitandum credo locum, et quem recte ceperunt Rigaltius et Rittershusius. *illud quod superfuit*, scilicet, eum alter gloriam illam, ne primus forem praeripuisset, studui et operam dedi, ne solus ille esset: hoc enim solum mihi supererat et relictum erat. Ouid. XIX. Ep. 16.

Quod faciam, superest praeter amare nihil.
Quod superest facio: etc.

Nec haec inuidia, verum est aemulatio.
Quod si labori fauerit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
10 Si liuor obtrectare curám voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,

Omnem

de Nuce 166.

Quod superest, tutum, Pontice Castor, habes

Martial VII. 63.

Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.

et ita centies Poëtae et alii: et hic haesit Richterus, qui nuper specimen artis criticae edidit, et legit,

Ne solus esset, scripsi, quod superfuit.

Sed bene habet, quod ipse non mordicus defendat tales coniecturas, et aeque facile abiiciat, ac profundat foetus ingenii sui immaturos.

7 *Aemulatio*] Vid. I. Frid. Gronov. ad Liv. I. 18.

10 *Si liuor*] Quia *si* praecessit modo, Heins. Epist. XXI. ad Scheffer. malebat, *vt liuor*, pro *vtcumque*. posset faciliori manu *sin* legi; sed vix opus puto, vid. prológ. lib. III. 52.

10 *Curam*] Recte Schefferus explicat hoc opus, vel potius studii genus, scribendi nempe fabulas. vt lib IV. fab. I. 7. Vide Acidal. ad Anctor. Dialogi de Orator. cap. VI, Ouid. XV. Met. 7. de studio naturae, *Huius amor curae.* Martial. I. 112. ex emendatione Gronouii et aliorum,

Cum tibi sit sophiae par cura et fama laborum.

et ita *Assyriam curam* dixit Lucan. lib. VI. 429. et *Babyloniam* Claudian. VI. Conf. Honor. 18. de studio Astrologiae. Vnde et *Curiosi*, qui vanae huic arti operabantur. Horat. Epod. vlt. vs. 77 Vide Steph. II. Schediasm. cap. 28. et Brisson. Lexic. in *curiositas.*

13 *Arte fictas*] Licet hae voces saepe confundantur in MSS. vt ex notis ad Ouidium III. Art. Am. 485. est videre, non puto tamen opus esse hic *apte fictas* reponere, vt Heinsius coniiciebat: quae enim fabulae *arte* sunt fictae, etiam *apte* fictas nemo negabit: in ineptis enim fabulis nullum artis argumentum. sic contra apud Liv. XXIII. 1. *Numidas partim in insidiis, quacumque apte poterat disposuit:* recte legitur, vbi alii *arte.* et apud eumdem VIII. 6. *nam et vera esse, et apte ad repraesentandam iram Deum ficta possunt.* Praeterea quia hic noster verbo *sentire* vsus, quod de operibus arte factis sumi ostendemus, retinemus *arte.* ita Stat. VI. Theb. 535. de cratere Herculeo signis caelato:

Centauros habet arte truces, aurumque figuris Terribile.

vbi Barth. recte explicat *arte*, ad viuum exprimente eorum truculentiam, et adducit alterum locum ex III. Silv. II. 30. *grauis arte Molorchus*, Ouid. XIX. Ep. 183. *arte laboratae puppes.* Et ita passim. In Epist.

Omnem querelam submouet felicitas.
15 Sin autem: ac illis doctus occurret labor,

I 4 Sinistra

Epist. XXI. ad Scheffer. Heinsius coniiciebat, si *forte fictas.* sed si vulgata seruari debeat, subintelligebat *esse: fictas esse.*

13 *Sentit fabulas,*] Non male Schefferus. sed et vis huic verbo est, vt perite de iis iudicare, tamquam artifex, cuius animus delectatur ipso adspectu operum suae artis, significet: vt Gronov. Diatr. Stat. cap. 43. de iis, qui de tabulis pictis et imaginibus recte iudicare possunt, explicat. quo sensu et Graecis *αἰσθάνομαι*, vt in Philemon. Fragm. pag. 326.

> *ὥτ'. ἀνδριάντος γὰρ καλῶς πεπλασμένου*
>
> *Ἂν μὴ τὸν αἰσθησόμενον ἡ τέχνη λάβῃ.*

et ita *sensus* apud Ciceron. IV. Verrin. 14. Eodem sensu *intelligere* sumi docuimus ad Petron. cap. LII. et Quinctil. I. de Inst. Orat. 2. *iam coccum intelligit.*

15 *Sin autem:*] Non intelligere haec me ingenue fateor, neque satisfaciunt conatus doctorum. Heinsius sub finem codicis sui manu sua scripserat, se quae margini adscripserat de *acescendi* verbo, nunc improbare, et reponebat, *sin autem, vbi illis doctus occurret labor. sin autem,* vt mox initio lib. III. 31.

> *Quem si leges laetabor; sin autem minus,*
>
> *Habebunt certe, quo se oblectent posteri,*

Ouid. VII. Epist. 81.

> *Sin minus, est animus nobis effundere vitam.*

praeterea coniiciebat,

> *Sin autem doctus illis arguitur labor,*

et in Epistola XXI. ad Scheff. *ob illis d. arcetur labor.* sed neque haec placent. de illis formulis *sin autem, sin minus* multi egerunt, vt Sciopp. Suspect. Lect. III. 7. Zinzerling. Promulsc. cap. VII. et qui de particulis L. L. scripsere, fere omnes. omnis difficultas est in verbo *occurrere*, quod exponunt ad manus peruenire, vt ante *ad aures* dixit; Scioppius, aduersari, sed non satis haec illustria et clara sunt. Bentl. pro arbitrio rescribit, *obteritur*, quod nihil melius atque Heinsii *arguitur.* I. Gronouius *sin autem asellis doctus occurret labor.* sed ille Phaedri mos non est, ita aperte conuiciari; nec asellorum est proprium meliores carpere, sed nasutorum, vt alibi dicit. neque etiam *labor occurret asellis* quid notet intelligo: si enim simpliciter illis occurret labor, nescio quale inde ipsi exitium fatale sit metuendum. Gronouii patris dictata hic male excepta et confuse edita fuisse credo. nam quasi scripsisset Phaedrus verba eius ita exhibentur, *sin autem ad illos decurrit.* ita puto discipulis explicuisse *τὸ occurrit*, quod pro praesto esse sumi docet; vt et fecit ad Liv. XXIX. 34 et XXXI. 29. et XXXVI. 24. et Graev. ad Suet. Calig. 36. sed non video exempla, vbi hoc de libro vel simili re dicatur, quae peruenit in manus alicuius. Sine dubio intelligit tales, qui eius fabulas maligne interpretabantur, et hinc Tiberium aut Seianum, quasi eos tangeret, ipsi infestum facerent: nam multa indicia sunt, eum hoc nomine accusatum et etiam poenam passum, vt viri docti ostenderunt. quare *arguitur* quidem sensui satisfacit, sed an a Phaedro sit nescio: forte posset;

Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam poſſunt, niſi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,

Donec

poſſet, cum Scioppio, *occurrit* illis doctus labor ſignificare, illorum ſententiae repugnat, vt ita *occurrere* centies poni conſueuit. Cicer. II. de off. 2. *occurritur autem nobis, et quidem a doctis.*

15 *Doctus labor*] Ita vocat ſtudium Poëticum et literarum. German. in Arat. prin.

Te veneror tibi ſacra fero, doctique laboris
Primitias probat ipſe deum rectorque ſatorque.

et mox noſter prologo ſeq. v. 26.

16 *Siniſtra*] ita *ſiniſtra fortuna* Suet. Tib. XXIII. *hora ſiniſtra* Ouid. Ep. XXI. 68. *natura praua et ſiniſtra* Curt. VII. IV. 10.

17 *Nec quidquam poſſunt, niſi meliores carpere,*] In hoc verſu ſyntaxim vitioſam, et numeros abſonos eſſe dicit Cl. Bentlejus. neutrum video: non enim ſententia eſt, homines eſſe, qui nihil poſſunt niſi carpere, ſed, niſi meliores carpere. *qui* vero deeſt, ſed debet ſubintelligi, hoc modo, *nec qui poſſunt quicquam, niſi meliores carpere.* mirum non haeſiſſe ad ſimilem locum lib. I. fab. 22. 11.

Quorum priuata ſeruit vtilitas ſibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

vbi *iactat* ſuppoſuere, qui hoc ellipſeos genus ignorabant. eodem modo offendit vir doctus ad ſimilem ellipſim lib. I. fab. 8. *lupi, dolore victus*, pro *qui.* vel diſtinctione maiore poſita, *ille.* tales ſpecies anacolythi, vt vocant Grammatici, obſeruare magis decet, quam ad ſyntaxeos canonas decurrere, vt ibi docuimus. Praeterea *nec quidquam* poſitum, pro *nec aliud quidquam.* vt Ouid. I. Met. 8.

Nec quidquam, niſi pondus iners.

vid. Caſaub. et Torrent. ad Suet. Galb. VIII. integrum habes prol. lib. II.

Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur.

18 *Fatale exitium*] Et hoc crucem figit viris eruditis *Exitium* enim mortem, perniciem, et quocumque modo homo vel res aliqua perit, notat: hoc autem nemo corde durato ferre poteſt, donec in melius mutetur, et fortunam poeniteat criminis ſui: mors enim omnia finit. Hinc Cl. Bentlejus *euentum* corrigit: ſed ita omni nodo paratus erit cuneus, nec Phaedro credo probatum fuiſſe *euentum* neutro genere. Quare ſaltem *fatalem euentum* feciſſet. minori moleſtia poſſumus legere,

Fatalem corde durato exitum feram.

vbi vnica modo litera mutata, idem obtinetur, quod alii volunt violentiori medicina. hoc vult vero Phaedrus. Quemcumque fata dederint exitum, feram, donec fortuna magis fauens appareat. ita vt idem dicat, quod in alia re Ouidius Ep. XX. 44. *Exitus in Dis eſt*, et XII. Met. 522. *Exitus in dubio eſt.* et centies alii. ita *optatos exitus* Cicero II. de offic. 3. dixit. Aliquid viderat vir doctus qui *talem exitum* volebat, inductus hac ratione, quia *fatale* putabat tantum

Donec fortunam criminis pudeat sui.

tum dici quodcumque dirum et pestiferum esset. sed et hic, vt saepe in magnis illis Criticis desiderare quis posset maiorem linguae vsum et peritiam: non enim semper, nec prima origine id notat. sed in genere omnia, quae fatis destinata credebantur, siue bona siue mala. Sic Ovid. Ep. IV. 63.

Hoc quoque fatale est, placuit domus vna duabus.

vbi Phaedra nondum de diro exitu augurans, meliori omine amorem suum fatis adscribit. Idem XV. Metam. 54.

—— Inuenit Aesarei fatalia fluminis ora.

vbi fatis destinata, sed felici exitu. Apertius Velleius Paterc. II. 5. de I. Caesare. *fatalem victoriae suae Thessaliam petiit.* et nescio cur Anonymus doctissimus potius illum Ciceronis locum elegerit, quo *fatalis euentus* ad interitum dicitur, quam alterum, quem facile eodem loco inuenire potuisset, vbi Cicero *fatalem consulatum suum ad salutem reipubl.* dixit IV Catil. 2. et eo sensu etiam *fatale remedium* dixit Valer. Max. I. VII. 2. quod in salutem Populi Romani libri Sibyllini monstrabant. quare rectius intellexisset vir doctus Phaedrum, si *pestiferum exitum* ad exemplum Valerii Max. V. II. 4. dixisset. hoc enim caret omni dubio. idem lib. VII. VI. 3. *Deorum prouidentia venditori et emptori, quem vterque merebatur, exitum attribuit,* id est malum venditori, emptori bonum.

18 *Corde durato*] Vid. ad Quinctil. Decl. VI. 3.

19 *Fortunam criminis pudeat*] Imitatus videtur Ouidium, qui lib. III. Met. 141. de Actaeone.

At bene si quaeras, Fortunae crimen in illo.

Non scelus inuenies. vbi vide.

PHAEDRI FABVLARVM

LIBER TERTIVS.

PROLOGVS AD EVTYCHVM.

Phaedri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Vt liber animus sentiat vim carminis.

Verum,

Lib. III. *PROLOGVS.*

1 *Phaedri libellos*] Ita veteres solere Poëtas loqui, pro *meos libellos* exemplis aliquot ostendit elegantissimus Hoogstraranus. sed accommodatius ad hunc locum illud Ouidii V. Fast. 377.

Floreat vt toto carmen Nasonis in aevo.

In Ibi, vs. 3.

Nullaque, quae possit, scriptis tot millibus, exstat
Litera Nasonis, sanguinolenta legi.

Remed. 71.

Naso legendus erat, etc.

et haec apertiora sunt, quam saepe affectatum loquendi genus arcessentes solutae orationis scriptores, vt Valer. Max II. IX. 4. *Ipsae me- diu fidius mihi literae seculi nostri obstupescere videntur, etc.* vbi se et suum librum intelligit sine dubio Valerius, nec opus est *literae nostri styli* emendare, quae locutio insolens. sed *literae* notant *libellos*, vt noster loquitur magis proprie, et literarum cultores, et in genere loquendo, se potissimum declamatorio stylo intelligit, vt recte Gudius: ita, *omnium doctorum literae loquuntur*, idem Valer. lib. III. IV. Ext. 2. id est, omnes libri et monumenta. et ita ille aliis locis. *Seculi* vero mutandum non est, ita Vellej. Paterc. II. 53. Pompejum vocat *virum pene nostri seculi.*

2 *A negotiis,*] De curis publici officii capit Schefferus, ego potius talia *negotia* hic explico, vnde *negotiatores* et *negotiantes* dicti, qui vel pecuniae collocandae, vel pecuariae exercendae, vel similibus studebant, qualis negotiator Atticus fuit, et de quo genere negotiorum ad Petron. cap. CI. et Gronov. IV. Obs. 24. et de quibus Horat. Ep. II.

Beatus ille, qui procul negotiis,

et hoc innuere Phaedrum suspicari licet ex vs. 11. et 21. fuisse vero libertinum hunc Eutychum nomen satis indicat.

Verum, inquit, tanti non est ingenium tuum,
5 Momentum vt horae pereat officiis meis.
Non ergo caussa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non conuenit.
Fortasse dices: aliquae venient feriae,
Quae me soluto pectore ad studium vocent.

Leges-

4 *Inquit,*] Ita Gudius et Heinsius in veteri Codice exstare testantur: quibus libenter paremus, et ipsi etiam I. Gronouio, qui de illo vsu τῷ *inquit* potuisset laudare patrem suum, qui plurima exempla dedit ad Liv. XXXIV. 3. nam facile patimur praeteriri ab eo, quae notauit Broukh. ad Propert. II. XXIV. 35. quibus adiecit etiam quaedam Hoogstratanus: et de Graecis idem docuit nuper Raphelius in Annot. in N. T. ex Xenophonte ad Act. Apost. I. 4. mirum tamen est, Cl. Gronouium, qui indignatur, hanc lectionem, licet plurimi scierint et monuerint esse in codice scripto, non fuisse tamen receptam, non curasse tamen, vt in sua editione exhiberetur. retinuit etiam Bentlejus, *inquis*, nec tot auctoritatibus cedere potuit.

4 *Ingenium tuum,*] Hic capio pro ipso poëmate, siue opusculo fabularum: quia *ingenium* proprie Poëtis, qui inuentioni praecipue laudem suam debent, adscribi solet. Propert. I. 7.

Tunc ego Romanis praeferar ingeniis,

id est Poëtis. vid. quae ibi notat Passeratius. et ita millies Ouidius *ingenio suo* periisse dicit, et mille alii ita solent vti. et in praecedenti Epilogo quaedam diximus.

5 *Pereat officii mei.*] *Officiis meis* Heinsius cum Scheffero legendum significauerat, quae emendatio et approbatores inuenit, etiam illos, qui sibi idem in mentem venisse profitentur. Plin. praefat. *Homines enim sumus, et occupati officiis.* et alter Plinius de Auunculo suo lib. III. Epist. V. qui tantum legit et scripsit; *vt nec in officiis, nec in amicitia Principum fuisse videatur.* idem lib. IX. 15. *distringor officio, amicis deseruio.* Senec. Epist. XXII. *id age, vt te istis officiis exuas.* Ouidio haec vox familiarissima. vt I. ex Ponto 6.

Nec quisquam meliore fide complectitur illas,
Qua finit officium militiaeque labor.

et ita passim alii. male Schefferus coniunxerat *momentum horae officii:* durissima cumulatione genitiuorum, cum *momentum horae* debuisset sufficere, vt vulgo dici solet. Horat. I. Sat. 1. *Horae momento cita mors venit aut victoria laeta.* Liuius lib. V. 7. *horae momento simul aggerem ac vineas incendium hausit.* IX. 16. *momento vnius horae Samnis caesus, Satricanus captus.* etc. XXV. 28. *Occasionem eam, qualis illo momento horae sit, nullam deinde fore.* Suet. Aug. 50. *ad epistolas horarum quoque momenta addebat.* vbi *quaeque* legere quis mallet.

9 *Soluto pectore*] Licet non damnem, insolentior tamen videtur locutio, qua frequentior est *animo soluto.* accedit proxime, licet de vino, quod soluit mentes, agatur, apud Tibul. I. Eleg. 8.

Bacchus

10 Legesne, quaeso, potius viles naenias,
Impendas curam quam rei domesticae,
Reddas amicis tempora, vxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Vt adsuëtam fortius praestes vicem?
15 Mutandum tibi propositum est et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.

Ego

Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.

de quo vide ad Ouid. Epist. XIII. 126. contra Ouid. I. Art. 361.

Pectora dum gaudent, nec sint adstricta dolore.

vbi etiam vide, quae notamus.

12 *Reddas amicis tempora,*] Et haec locutio singularis mihi videtur, idem vero notare quod apud Terent. Adel. IV. 1. *dare operam amicis*, clientibus, hospitibus. *tempora* sunt opportunitates adeundi, quibus possunt te conuenire, et commendare negotia sua, dum per ferias illis vacare possis, cum officia, quibus distringeris, tempora amicis danda eripiant. nam ita haec omnia intelligenda, quasi officiis occupatus neglexerit rem domesticam, amicos, vxorem, quibus vacare feriis praestare dicit, quam legere fabulas Phaedri. *tempora* ergo hic dixit fere vt Horat. I. Sat. IX. 58. *tempora quaeram.* Ouid. IX. Met. 610.

Non adiit apte, non legit idonea, credo,
Tempora: nec petiit horamque animumque vacantem.

Tempus dixit I. Art. 355.

Illa legat tempus (medici quoque tempora seruant)
Quo facilis dominae mens sit et apta capi.

vid. et vs. 399. Senec. Ep. LXIV. *eligas tempus.* et *eligere tempora* Curt. VII. VII. 10. vel vt Modius, *legere.*

13 *Otium des corpori,*] Fatigato curis et officiis continuis. similiter fere, *voluptatibus otium praebere* dixit Sallust. Catil. LII. vbi vide quae notauit Cortius.

14 *Adsuetam fortius praestes vicem?*] *Vicem* hic interpretor regressum iterum ab otio ad munera et officia, hoc enim proprie notat haec vox, cum alternantius et mutantes negotia et res, occupationes et curas otio et remissionibus animi. sic, licet in alia re, Horat. III. Od. 29.

—— *Gratae diuitibus vices.*

Et Seruius ad Virg. II. Aeneid. 432. *vices* interpretatur pugnas, quia per vicissitudinem pugnatur, et hinc locutio illa, *vicem suam fungi*, illustrata egregie a summo Gronouio ad Liv. I. 19. sic quoque *vices* in excubiis et aliis castrensibus muneribus. de quibus ad Quinctil. II. cap. 2. Ceterum Heinsius Ep. XXI. ad Schefferum malebat, *perstet vicem.* scil. corpus, quod nescio an liceat dicere, certe exemplum non occurrit. *praestare* vero *vicem*, licet paullum alio sensu, pro alicuius locum obire, partes agere, dixit Ouid. III. Art. 666.

Saepe vicem dominae praestitit illa mihi.

Ego, quem Pierio mater enixa eſt iugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Ioui,
Fecunda nouies, artium peperit chorum:
20 Quamuis in ipſa natus ſim pene ſchola,

Curam-

19 *Artium chorum:*] Suſpectum hoc Heinſio Epiſt. VIII. ad Scheffer. cum debuiſſet *artificem*, vel *praeſidem artium chorum* dixiſſe. certe clarius dixiſſet *virginum peperit chorum.* ſed ne mutemus omnia ſingularia. Priſcian. in Periegeſi vſ. 70. de Muſis dixit,

Ades o numen ſtudiorum praeſul et artis.

Guyetus *artium*, id eſt Muſarum explicat.

20 *Natus ſim pene ſchola,*] Ita MSS. et editi olim. mutarunt Heinſius et Bentlejus ordinem vocum, metuentes ſcilicet metro, quod non conſtare in vltima ſyllaba τῦ *pene* videbatur. Non tamen opus eſſe, Muſas ſibi prae aliis fauentes habere, ne offendantur aures hac poſitione vocum, inde indico, quod videam Principes Poëtarum ſyllabas et voces natura breues produxiſſe, ſi vox ſequens a *Sc.* vel *Sp.* inciperet, immo fuiſſe viros doctiſſimos, qui nefas crediderint, eas corripere. Ne multis, quae ad manum ſunt, exemplis obruamus lectorem, conſulat Pincier. Parerg. lib. IV. 12. qui moroſiſſimis ſatisfaciet, et vtrumque viſitatum fuiſſe docebit. vt et Barth. ad Calpur. Ecl. II. 31. qui licet correptas tales ſyllabas aliquando ſaepe concedat, tamen ibi ſtat pro frequentiori vſu. vt et Adv. XXI. 8. et XXIII. 4. et ad Stat. VI. Theb. 551. vid. et Lambin. ad Horat. I. Sat. II. 30. et V. 33. Quibus etſi refragari nolumus, credimus tamen cum Acrone ad Horat. II. Sat. III. 43. breuem natura ſyllabam longam poſitione effici. neque eam in Phaedro religionem legi Pediae habitam deprehendimus, vt non aliquando liberius ſibi indulſerit. cum et plurimi, praeſertim poſt eum, Poëtae id vſurpauerint. Lucan. V. 118.

Aut pretium, quippe ſtimulo fluctuque furoris.

Sidon. Carm. V. 87.

Hannibal ante meus, quam noſtra Scipio vidit.

et vſ. 205.

Excluſa ſceptris Geticis.

Ex ipſo Marone et aliis Poëtis infinita etiam produci poſſent, quorum partem videre licet in notis Taubmanni ad Virgil. XI. vſ. 309. et Broukh. ad Tibul. I. V. 28. vid. et II. fab. III. vſ. 6. Miror vero Heinſio potuiſſe in mentem venire coniecturam aliam, quam prodit Epiſt. VIII. et IX. ad Scheffer. t. IV. Sylloges Epiſtolarum, *in poenae ſchola*, id eſt, in ergaſtulo vel piſtrino. cum Phaedrus hic praedicet ſtudium ſuum et labores, quos impendit literis, vt poſſet famam Aeſopi aſſequi, et ſe tamen adhuc faſtidioſe recipi in coetum Poëtarum dicat. vnde oſtendit parum ſpei ſupereſſe Eutycho qui ſtudiis honeſtiſſimis praepoſuerit rem faciendi et lucri ſtudium. vide Shefferi Epiſt. XI. et Heinſii XII. vbi repudiat ſententiam priorem.

20 *Natus ſum ſchola*] Ita Cicer. III. de Orat. 32. *natus in literis.* et V. Verr. 19. *in Fetialium manibus*

Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude inuita vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
25 Exaggerare quaerit omni vigilia,

Docto

bus natus. simile illud Stat. VI. Theb. vs. 739.

Sacras inter creuisse palaestras.

Liuius X. 16. *Galli inter ferrum et arma nati.* per *scholam* intelligit Pieriam; sedem Musarum, vel totam Graeciam, in cuius vicinia natus Phaedrus: nempe in vicinia Thraciae et Macedoniae. vid. mox vs. 54.

21 *Curamque habendi*] πλεονεξίαν Graecis eleganter dictam. vid. Lucae Euang. XII. 15. Ouid. III. Art. 541, et I. Fast. 195. vocat *amorem habendi.* Aurel. Victor. Caes. III. *Studium habendi.* Rutil. Lup. Sent. pag. 7. *cupiditatem habendi.* vid. Sitzman. ad Boët. lib. II. de Consol. Philos. V. Metr.

22 *Et laude inuita in hanc vitam incubuerim*] Nec metrum, nec sensus satis constat. illi succurrere voluerunt viri docti duplici modo: alii *m* in *vitam* non elidendo, alii legendo *incubuerim*, vt supra fab. XI. *fuuissem.* cui tamen incommodo medetur transpositio Praschii, *vitam in hanc.* Neutrum vero placet aliis, certe non Cl. Bentlejo, nec eius Aduersario, qui varie locum tentat, quae apud eum legi possunt. *laus* etiam *inuita*, non placet multis, nec repetitio eiusdem fere soni *inuita*, *in vitam.* Gronouii *laude nuda* posset firmari inscriptione apud Gruterum, adducta a me ad finem praecedentis libri, vbi *nudo homine contenta virtus*, id est, *solo.* ita *nuda virtus* Grat. Cyneg. 3. Lucano IX. 594. Stat. IV. Theb. 229. *nudae vires* VI. Theb. 170. *nuda odia.* IX. Theb. 20. et quae plura Barthius produxit, et nos ad Petron. LXXXVIII. et Heins. ad Sil. I. 219. sed neque *laude nuda*, pro laudis solius amore, *incumbere in vitam* satis Latinum putem. *laude multa* rectius videtur, nisi gloriosius dictum videri posset. quare praeferrem, quod olim Guilielm. Best, cuius immatura mors multa nobis egregia inuidit, coniiciebat, *Et laude insueta vitam in hanc incubuerim*, scilicet Latinis insueta, sed quae adhuc apud Graecos manebat. vt apud Lucan. lib. V. 163.

Insueto concepit pectore numen.

ita edidit Grotius, alii *inuito.* nam *et solam ob laudem* viro docto natum est ex Gronouiana *nuda laude*; et certe potuisset eodem iure *Et nudam ob laudem.* Alia coniectura, *et laudis studio*, longius recedit Iohnson. coniicit *laude innitatus.* sed ita possimus omnibus locis succurrere. sufficiat vero illud Heinsii Epist. XXI. ad Scheffer. *nec laude inuita vitam in hanc incubuerim.* quem vide; quod adhuc prae aliis placet.

23 *Fastidiose*] Quasi non meritus essem, vix inter Poëtas habeor a principibus artis istius. Senec. de Benef. II. 24. *Alius accepit fastidiose.* Epist XLIV. *Non omnes curia admittit: castra quoque, quos ad laborem et periculum recipiunt, fastidiose legunt.* Petron. cap. XIII. *tamquam mendici spolium etiam fastidiose venditabat.* Horat. III. Od. 1. *dominusque terrae fastidiosus.*

Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed iam, quodcumque fuerit (vt dixit Sinon,
Ad Regem quum Dardaniae perductus foret)
Librum exarabo tertium Aesopi stylo,

Honori

26 *Docto labori*] Nescio an Galli id intelligant per *Travaux de l'esprit*, cum et indocti, sed ingeniosi possint talia extrudere, quare non recte vertisse puto Gallum. qui melius in epilog. lib. II. reddidit *productions savantes & etudiées: doctus* vero *labor* hic, quia Graecorum aemulatione institutus est. nam *docti* viri non dicuntur, quia ingenii acumine valebant, sed quia Graecas artes et disciplinas colebant, et linguae Graecae studiosi erant. vt ita *doctus Ennius* Claudian. Praef. lib. III. de Laud. Stil. *Pacuuius* Horatio II. Ep. I. 55. *Lucretius* Stat. II. Silv. VIII. 70. et alii: et praesertim quasi proprio titulo *Catullus* superbit apud Ouid. III. Amor. IX. 62. et Tibul. III. VI. 41. et saepe apud Martialem. vid. Brouckh. ad Tibulli locum. et Barth. ad Stat. II. Silv. VII. 66. sic Cicero *doctos* opponit rudibus Graecae linguae. I. de Off. 1. et de Clar. Orat. 30. et 45. et eo sensu Ouidius celebrat Perillam, quae altera fere Sappho erat, III. Trist. VII. 12.

Doctaque non patrio carmina more canis.

Graeca enim scribebat, vel Latina Lyrica ad exempla Graecorum carminum. Phaedrus autem in hoc prologo et alibi se Aesopi, qui Graece scripsit fabulas, exemplum sequi profitetur. haec ratio est cur *doctum laborem* hic et in epilogo praecedenti vocet.

26 *Dulce lucrum?*] Proprium in hac re epitheton. Terent. Heaut. II. II. 5. *cui nihil iam praeter pretium dulce est.* et Ouid. I. Fast. 193.

Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cuius non animo dulcia lucra forent.

et in alia re II. Am. VIII. 21.

Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende.

Dulce lucellum dixit Horat. I. Ep. XVIII. 102.

27 *Quodcumque fuerit*] Non solum prouerbii locum potest vindicare, sed in non multum diuersum sensum, quam apud Virgilium, capi posse mihi videtur. ibi enim notat quicumque euentus me sequatur, siue mors, siue liberatio a malis, quae passus apud Graecos, vt exposuit Seruius. hic, siue inter Poëtas habeor, siue excludar coetu, tamen exarabo librum tertium. de vsu eius alio *quodcumque* vide Passer. et Brouckh. ad Propert. IV. II. 1. et Heinf. ad Claudian. Conf. Manl. 57. simili modo dixit Terent. Hecyr. IV. IV. 47. *Quidquid futurum fuerit.* quamquam et hic Phaedrus ad fatalem exitum respexisse potuit, quia fabulis suis ambiguae explicationis, quosdam offensurum se praeuidebat, et iam etiam prioribus editis offensam et odium contraxisse intelligebat.

29 *Aesopi stylo,*] Schefferus construit *stylo* cum *exarare*, ita vt dicat Poëta se librum tertium Aesopi exaraturum stilo, scilicet suo. sed *stylo Aesopi* coniungendum, id est genere scribendi, quo Aesopus vsus est,

30 Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
Nunc, fabularum cur sit inuentum genus,
Breui docebo. Seruitus obnoxia,
35 Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit,

Calum-

est, vt toties hoc iactat. sic *Orationes Attico stylo scriptas* dixit Cicero in Bruto 45. C. Titii, qui tamen sine Graecis erat literis. Quis vero credat, hunc Phaedri librum tertium cum Aesopi tertio plane congruere? certe fab. X. sui temporis historiam refert: et quis nobis probabit, Aesopum fabulas suas in libros aliquot digessisse? aut tempore Phaedri fabulas Aesopi libris distinctas in manibus doctorum fuisse?

31 *Sin autem minus,*] Vide notas ad Epilog. lib. II.

32 *Posteri.*] Senec. Epist. XXI. *Habebo apud posteros gratiam.*

34 *Breui docebo.*] Heinsius malebat *breuiter*, quia, credo, *breui* vulgo ponitur pro intra breue tempus; sed et *breui* pro *breuiter* dixerunt. Cicer. III. ad Fam. 8. *Breui tuis literis responderem.* et IV. 5. *decreui breui ad te perscribere.* I. de Orat. 46. *a me posse exponi tam breui.* et III. 6. *significabo breui.* ita et apud Macrob. II. Satur. 4. *Augustus breui, sua manu, in charta exarauit Graecum epigramma.* quamquam et ibi aliter quis posset sumere, et Pontanus coniungat *breui manu*, et hoc simili apud ICtos locutione explicat. sed aliud apud illos erat *breui manu* aliquid agere. integre dixit Sueton. Caes. XLI. *breui scriptura.*

34 *Seruitus obnoxia,*] De solo Aesopo haec capiunt Schefferus, et vir nuper doctus. nec damno; sed de ipso statu et conditione, in qua serui sunt, capienda puto: et simul hic quoque seruitutem publicam sub Tyranno indicari, sub quo *omne studiorum genus paullo liberius et erectius periculosum esse* ait Plinius lib. IV. Ep. 5. Et ideo coguntur viri docti talia deuerticula quaerere; addıtque ideo Auunculum suum libros octo dubii sermonis scripsisse, ne videretur vltra Grammaticos sapere. *Obnoxia* vero non tantum est subiecta alterius potestati, sed semper timida, exposita iniuriae. ita *obnoxia infirmitas* Quinctil. Decl. XIII. et Decl. I. 6. *obnoxia calamitas*, vbi de ea voce videndus Cl. Schultingius.

35 *Non audebat dicere,*] Heinsius corrigebat *hiscere*, ingeniose. ita apud Plaut. Milit. I. I. 11. meliores notae codices. *Mors haud ausit hiscere*, pro vulgato *dicere*. et obvium hoc verbum eo sensu.

36 *Affectus suos*] Id est, sensus animi sui, quidquid animo suo sentiebat, non audebat libere et directe eloqui, sed per fabulas adumbrabat. sic Seneca lib. II. de Ira cap. 11. de Laberiano versu,

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

quo dicit, *missam esse vocem publici affectus.* Ita *affectus publicos* saepe dixerunt Auctores Declamationum, sub Quinctiliani nomine editarum. Vide

Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego porro illius semitam feci viam,

Et

Vide ad Decl. II. 1. Immo Ouidius iam coepit hac voce saepe simili sensu vti, vt VII. Met. 147. *Quod licet, affectu tacito laetaris.* et VI. 171. *non tamen affectus talet confessa.* et *affectum animi* dixit V. Trist. II. 8. et alibi.

37 *Elusit*] Ex deprauata codicis MS. lectione *scelusit*, Gudius coniicit *seclusit*: sed quid est, quaeso, *secludere iocis calumniam?* id est, separare a frequentia hominum? saltem *exclusit*, inde fecisset: sed *elusit* rectum est. vid. I. 12. satis enim verborum in re clara.

38 *Ego porro illius semitam feci viam.*] Ita non male Schefferus. Gudius post alia tentata, tandem coniicit, *Ego illius pro semita feci viam.* quod nobis etiam commodum satis videbatur, nec displicere video nunc Cl. Bentlejo. sensus est, ego studium eius et genus scribendi, angustis terminis et paucis fabulis iisque fictis contentum, ampliaui, plura cogitans, quam ille reliquerat. intelligit nimirum veras etiam historias, quas fictis intermiscer, vt saepe iactat Phaedrus: ludunt vero saepe auctores in his *semitis*, *viis*, *itineribus*. sic Flor. lib. I. 14. *ad victoriam iter sanguinis sui semita aperuit.* id est, exiguo illo damno sui sanguinis militibus occasionem dedit magnae et memorabilis victoriae: nam qui primus iter aperit, semitam nouam facit, quam alii sequentes amplientes, viam et iret faciunt. Virgil. I. Aeneid 418.

Corripuere viam interea, qua semita constat.

Propert. III. 3.

Qua noua muscoso semita facta solo.

vbi vide Passeratium, qui *semitam* angustam esse docet. et in inscriptione nota apud Reines. I. 141. *Deo, qui vias et semitas commentus est.* sic et *viam sibi facere* auctores dicunt, qui genus peculiare scribendi sequuntur. vt Quinct. III. 1. *Fecit deinde velut propriam Hermogenes viam.* obuium vero apud Ouidium et alios est *facere viam.* vid. ad I. Trist. II. 86. sed maxime huc pertinet locus Ciceronis, quem iam olim adscripsi margini editionis primae, sed quem publice edere occupauit Hoogstratanus ex lib. II. in Ver. 23. vbi videndus Cl. Graeuius, et in quo nondum mihi satisfacio. *Iam intelligitis hanc pecuniam, qua via modo visa exisse est ab isto, eadem semita reuertisse.* Ex quibus verbis colligeretur *viam et semitam* esse eamdem. sed legerem, *eamdem semita reuertisse.* pecunia, quae palam per viam abiit, eadem illa clam per semitam rediit. Offendit librarios pleonasmus ille *hanc*, et deinde *eamdem*; sed ita centies Cicero et alii, vt alibi docemus. Praeterea hinc explicandus ille Ouidii versus lib. II. Art. 332.

In tabulas multis haec via fecit iter.

Vt enim hic e semita Aesopi Phaedro via est facta, ita illic e via fit latissimum discipulis iter et facile, per artes, quas amorum magister docet. Nec dissimilis etiam locutio Velleji lib. II. cap. 3. *Non enim ibi consistunt exempla, vnde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime euagandi sibi viam faciunt.* vbi *tenuis trames*, est idem, quod hic *semita.* vide Lutat. et Barth. ad Stat. II. Theb. 48. et VI. 155. Non tamen damno alteram

Et cogitaui plura, quam reliquerat,
40 In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius; iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
45 Suspicione si quis errabit sua,

Huic

alteram lectionem, *Ego porro illius semitam feci viam*, quae in eumdem sensum congruit, immo eam recepi in contextum.

39 *Cogitaui*] Positum pro *excogitaui* recte notant viri eruditi, vt Terent. Heaut. Prolog. vs. 13.

> *Sed hic auctor tantum poterit a facundia,*
> *Quantum ille poterit cogitare commode.*

sic prolog. lib. V. *animi cogitatio.* vbi vide.

40 *Deligens*] Frustra hoc verbum sollicitat Heinsius: est enim idem quod ex magna materia eligens, vt *deligere rosam* Ouid. IV. Ep. 30. *vuam* Remed. 190. eadem ratio in *delectu*, de militibus, vnde *delectores* Frontino IV. I. 3. Male autem haec capit Gallicus interpres, quasi elegerit quaedam, quibus calamitatem suam depingeret, aut describeret. nec melius eius censor, quibus consolaretur et levaret calamitatem suam. sed *in calamitatem* est, vnde ipsi postea per calumniam inimicorum calamitas fuit conflata. similis locutio apud Flor. II. 6. *In caussam belli delecta Saguntus:* vbi videndae doctorum virorum adnotationes. non vero eo animo delegerat, vt sibi ipse calamitatem contraheret, sed ex delectu fabularum et historiarum inimici eius calumniam suam exstruxerunt, quasi carpendi et traducendi Tiberium, Sejanum et alios potentes caussa eas potissimum delegisset. et hinc illae lacrimae.

42 *Iudex*] Non debet haec vox sollicitari; dictis vero ab Heinsio et aliis, adde locum. Tacit. IV. Ann. 59. vbi Sejani in Germanici stirpem odium refert. Si ergo integri a sceleribus viri essent iudices, qui fabellis meis virus subesse iudicarent, tunc dignum me censerem malis, quae patior.

44 *Delinirem*] Legendum est *delenirem.* Horat. III. Od. 1.

> *Quod si dolentem nec Phrygius lapis,*
> *Nec purpurarum sidere clarior*
> *Delenit vsus*

vide quae diximus ad Quinctil. V. de Inst. Orat. 8. et ad Ouid. XI. Met. 163.

45 *Suspicione*] De secundae huius vocis syllabae modo lis est; quidam corripiendam censent, sed vsus et consuetudo veterum produxit. vide Pincier. Parerg. lib. IV. 1. qui vtrumque admittit, sed si breuis sit, scribendum censet *suspicio*, si longa, *suspitio.* noster producit etiam inf. h. l. Fab. X. vs. 36. qui religiosior est, posset supponere cum Gudio *suspectio*, vt Martialis et alii fecerunt. Vide ad Quinctil. Decl. I 2. et Tennul. ad Frontin. I. VIII. 5.

Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.
Huic excuſatum me velim nihilominus:
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
50 Verum ipſam vitam et mores hominum oſtendere:
Rem me profeſſum dicet fors aliquis grauem.
Si Phryx Aeſopus potuit, ſi Anacharſis Scytha

46 *Rapiet ad ſe,*] Ciceroni ſollemnis locutio, etiam in aliis rebus, ſic lib. I. de Off. 3. *Vtilitas ad ſe rapere, honeſtas contra reuocare ad ſe videtur.* et II. 10. de admiratione, *totos ad ſe conuertit et rapit.* Terent. Prolog. Adelph. *rapere in peiorem partem.*

47 *Nudabit*] Vide de hoc verbo, quo ſaepius vtitur Liuius, Gronouium ad Lib. XLIV. 38. ſed praeterea, et rariori ſignificatu pro deprehendere alterius mentem vtitur idem lib. XXXIV. 24. *Ad Aetolos etiam legatum miſit, magis vt nudaret animos, id quod euenit, quam ſpe impetrari poſſe.* Niſi et quis ibi *nudarent* mallet, quod tamen nollem. nam ſimiliter Ouidius II. Amor. V. 5.

Non mihi deletae nudant tua facta tabellae.

Ibi tabellae, apud Liuium legatus, vel qui mittit, nudat animos. Quinctil. Decl. IV. cap. 4. *Dignum, cui ſe fatorum arcana nudarent. Nudauit* in MS. ortum ex confuſione *b.* et *v.* Si enim ita legendum eſſet, in ſuperioribus etiam *errauit* et *rapuit*, reponendum, quaſi aliquem certum iam deſignaſſet, qui ſe fabulis illis tangi a Phaedro doluerat. ſed melius eſt vulgatis inhaerere, et intelligere de illis, qui ſuſpicantur in ſe ſcriptas fabulas, quia iis erant vitiis infecti, et ſibi conſcii facinorum. quos errare dicit, et tamen nudare illam conſcientiam ſtulte, cum potius deberent diſſimulare, quaſi nihil ad ſe illae pertinerent fabulae.

52 *Si Phryx Aeſopus potuit, ſi Anacharſis Scytha*] Vexatiſſimus etiam locus, et in quo conſtituendo omnes aliquid noui voluerunt proferre, vnoquoque religionem codicis ſcripti prae ſe ferente: non excutiam ſingula, quia vulgatae lectioni, vt adiuta fuit a I. F. Gronouio, facile acquieſco: illa enim particula *ſi* geminari ſaepe ſolet. vt modo, vſ. 41. *Si accuſator alius, ſi teſtis alius.* Vide quae diximus ad Ouid. III. Amor. IX. 1. et ſupra Epilog. lib. II. 10. repetiit etiam hanc particulam. Certe reliqua mihi prae hac lectione dura et ferrea videntur. vt illa Cl. Iac. Gronouii filii, *Phrygem ecce Aeſopum: Fuit et Anacharſae Scythae, etc.* (vbi ex *fuiſſe*, quod in codice dicitur fuiſſe, primum formaſſe *eſſe*, et inde *ecce* videtur, deinde illud *fuit* eadem ſplendet elegantia, qua in Prolog. lib. II. *ſi fuerit interponere*) hinc tamen videtur Cl. Dauiſius ad Cicer. III. Tuſc. cap. 6. Edit. prioris, hoc vltimum arripuiſſe, qui vult legi,

Phrygi ſi fuit Aeſopo, ſi Anacharſae Scythae.

In quibus emendationibus vellem docuiſſent viri docti; vnde illud *Anacharſae* probare potuiſſent. non enim, quantum quidem noui, *Anacharſes*, ſed *Anacharſis* dictus fuit: Vir

Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, literatae qui sum propior Graeciae,
55 Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threïssa cum gens numeret auctores suos,

Lino-

Vir doctus, qui Bentleji coniecturas excussit, insigni confidentia totum locum interpolat, et interiecto versu legit,

Rem me professum dicit forsan quis grauem,
Barbarie in media qui sum natus: At Phrygi
Fuit si fas Aesopo, si Anacharsi Scythae, etc.

in quibus miror potuisse Phaedrum dici natum in *media Barbarie*, qui ipse profitetur bis in hoc prologo vs. 20. se in ipsa *pene natum schola*, id est, fere in Graecia, vel eius vicinis finibus. et mox 54. *Literatae se esse propiorem Graeciae*, Aesopo scilicet, qui in Phrygia, quae proprie Barbariae nomine insigniri solebat, et Anacharsi, qui in Scythia erat natus. Thrax enim erat Phaedrus, quae regio vicina Graeciae, et in qua plurimae coloniae Graecorum, et magna etiam pars a Graecis occupata fuit. quare miror non mansisse in priori emendatione, quae multo verisimilior,

Phrygi licuit si Aesopo, si Anacharsi Scythae.

et quae non multum a scripti codicis lectione recedit. nam *fuisse* nasci potuit ex *cuit si*, sed cum *Aesopum*, vel *Aesopus* praeferant membranae, hoc *Aesopo* male mutavit. quare vel desperata et ne tangenda quidem cum I. Gronouio haec sunt pronuntianda, vel acquiescendum vulgatae lectioni.

53 *Condere*] De hoc verbo egimus ad Elegiam in mortem Drusi ad Liuiam, vs. 343.

55 *Deseram*] Heinsius *deteram*. vt saepe veteres. Nepos Timol. I. *nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabunt, et inuidia laudem virtutis obterent.* Sil. Ital. VII. 246. *Quantum detritum est famae.* et hoc confirmat vir doctus, qui recte ostendit *τὸ patriae* nihil conferre emendationi praecedentium verborum a Bentlejo institutae. sed si Aesopus ex media Barbaria, si Anacharsis Scytha potuerunt celebritatem consequi ingenio, cur ego, Thrax, quoque non famam mihi condam, cum ex illis gentibus ante Aesopum et Anacharsin nulli memorentur viri illustres doctrina, sed ex Thracia Orpheus et Linus prodierint, et patriae nostrae decus iam olim pepererint, quod, licet deinde posteri neglexerint, cur ego minuam et deteram illam laudem? et non potius augeam et amplificem? certe hic *deterere* multo opportunius exhiberetur, quam in Epilog. libri II. vs. 15. vbi *obterere laborem*, de liuore, invidia et obtrectatione poni contendit Cl. Bentl. sed, omnibus rite expensis, *deserere* tueri locum suum potest: *deserimus* enim proprie inchoata iam. vt ita *deserere bellum* Iustino II. 12. et V. I. et *deserere carmina* Ouid. IV. ex Pont. VIII. 72. *morte opus*, Ibid. XVI. 16. et infinita talia. sic ergo decus iam inceptum et acquisitum per Orphea et Linum Thraciae (vnde mox *sollemnis gloria* vocatur) ego cur *deseram somno inerti*, id est, ignauia mea destituam et non propagem studio et cura mea?

56 *Auctores suos.*] *Deos* Rittershusius. sed hoc merito displicuit,

et

Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu mouit, et domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
60 Ergo hinc abesto, liuor, ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.
Induxi te ad legendum; sincerum mihi
Candore noto reddas iudicium peto.

et forte scripserit, *numeret auctores duos:* iactat ergo Thraciam solam habuisse tot, quot Phrygia et Scythia simul; nec etiam has regiones posse ostentare Diis genitos, vt Thracia, quae Diis natos duos Poëtas Orphea et Linum produxit; et hoc verbum *numeret* exigere videtur. *auctores* hic cape, vt *auctor doctrinae* Scipio apud Vellej. I. 13. vbi vide notas Heinsii.

58 *Et domuit*] *Edomuit* Cl. Bentl. mirum est hic displicuisse copulam, quae alibi odiose inseritur. vid. ad lib. III. fab. X. 1.

59 *Hebrique*] Meursii et Neueleti editiones habent, *Erebique*, quasi ad fabulam Eurydices respiceret Phaedrus. sed an *impetus* et *mora* huic conueniunt, quae de rapido flumine, per carmina Orphei cursum suum retardanti, proprie dicuntur? sic Senec. Herc. Fur. 573.

Ars, quae praebuerat fluminibus moras.

sic *magnum impetum* maris dixit Iul. Caes. lib. III. de Bell. Gallic. 8. et Senec. Nat. Quaest. III. 30. *magno impetu erumpentes fluuii*, de exundantibus: et simili ratione *impetum coeli*, quo mouetur et vertitur, dixit Cicero II. de Nat. Deor. 38. vbi vide Dauisii notas. et de ventis, quos fluminibus comparat, Seneca V. Quaest. nat. 12. *impetus illis accedit et mora.* quae duo hic quoque vocabula occurrunt. Et de Araxe VI. 17. *impetum mora quaerit.* Et vt tenere, ita *detinuisse* flumina Orphea canit Propert. III. Eleg. 2. vide de Orpheo ad Ouid. XI. Met. 1. et vbi ad Hebrum a feminis laceratum, et caput in flumen illud abiectum canit, vs. 50.

61 *Sollemnis*] Nescio cur hoc non placeat viris doctis, qui vel *perennis*, vel *similis illis* rescribunt. *perennis* enim vagum esset epitheton et tralatitium, quod omnes sibi Poëtae tribuere possunt, etiam non Thraces. *similis illis* idem dicit fere, quod *sollemnis*. hoc enim notat patriae meae iam solitum, vt recte Schefferus. sic cum Horat. I. Ep. I. 101. *sollemnia insanire* dicit, recte Lamb. et Torr. explicant, *more solito*. Quid, quaeso, *dies sollemnes*, *sacra sollemnia* aliud sunt, quam solita, et a maioribus instituta, et a posteris certis temporibus celebranda? sic *sollemnia verba, cantus etc.* vid. ad Ouid. X. Met. 4. ita Valer. Max. III. VI. 1. *sollemnes exercitationes* vocat a Siculis ex instituto maiorum celebratas. *Sollemnis mihi debetur* legebat etiam Scaliger. Gallicus interpres non intellexit vim vocis *sollemnis*, qui reddit, *une gloire publique et generale*, quia scilicet sollemnes dies sunt publice, et ab omnibus celebrari, ideo etiam Phaedrum publicis et omnium laudibus celebratum iri, se iactantem inducit; et quia Gallis *solemnelle*, id fere notari solet.

62 *Induxi*] Guyetus more suo hos

(40) FAB. I.

Anus et Amphoram.

Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc, Falerna faece, e testa nobili,
Odorem quae iucundum late spargeret.
Hunc postquam totis auida traxit naribus:
5 O suauis anima, quale in te dicam bonum

O sua-

hos duos versus vltimos suspectos habebat. Cl. Bentlejus, meam deserens editionem, haec verba, *induxi te ad legendum ?* interrogationis nota expressit. nescio quo sensu; nam *an induxi te?* videretur negandi vim habere, cum toto hoc prologo illud egerit, vt induceret Eutychum ad legendum, si modo otium illi esset: nunc cum fiducia finit: *induxi te*, (ita certe confidit) hoc prologo ad legendum, et peto vt iudicium mihi reddas. nec Heinsii *condixi te* hic habet locum. sed vt lib. II. 6. *inducta verbis*. ita hic *induxi te* verbis huius prologi ad legendum. *Condicere aliquem* an dicatur, commodo ad hunc locum sensu, vehementer dubito.

FAB. I.

1 *Epotam amphoram,*] An a se, an ab aliis, non addit; sed *faecis* mentio recenter fuisse siccatam docet: forte in conuiuio quodam, anus ebria haec dixit: vt apud Horat. I. Od. 35. *cum faece siccati cadi* Suet. Tiber. XLII. *Ignotissimum quaesturae candidatum nobilissimis anteposuit ob epotam in conuiuio, propinante se, amphoram. Falerni* vini *amphoram* etiam laudat Martial. I. Epig. 19.

2 *Falerna faece, et testa nobili,*] Intricata merito haec visa verba. quae Celeb. Bentlejus laudans ad Horat. III. Od. XIV. 20. nondum habuit suspecta, nunc vnica voce addita, reponit,

Adhuc Falerna e faece, et testa nobili.

quae coniectura nihil fere a Gudiana differt, nisi transpositione praepositionis, sed commodior tamen erit sensus, quod amphora epota adhuc spargeret odorem ex faece Falerna, et testa nobili. Mihi quoque Heinsii coniectura non displicet,

Falernae faecis, testa e nobili

Odorem, etc. nam *odor* proprie fuerat fragrantissimi vini, sed eius reliquiae adhuc erant in faece, siccata iam amphora. ita μέλας οἶνος ἀνθοσμίας Aristoph. Plut. IV. 1. 7. et conferenda illa Lenae apud Plautum Curcul. I. II. *Flos veteris vini naribus obiectus est*, etc. vt recte Gudius monuit. *nobilem* vero testam dici ob titulum, qui amphoris appendebatur, et qui aetatem vini referebat, vix puto. potius ob materiem cum Gudio puto, vel locum, vbi fingi vasa solebant, et in qua luxuriasse veteres notum est: vnde et Ouidius II. Trist. 490. scripsisse quosdam dicit artem, quae docet.

Quae liquido testa sit apta mero.

5 *Suauis anima,*] Walchius haec intelligit de ipsa muliere, quasi diceret, *quantum mihi suauis est anima*

anima mea, *dum tam dulcem odorem ex Faerna faece excitatum percipio.* quae vix intelligo, nisi de anhelitu suaui, quem mulier, vino potato, emitteret ore, capi velit. sed quid tunc faciet *in te*, vt legit? sed mox videbimus.

5 *Qualem te dicam bonam*] Ita vetus lectio, sed offendit merito eruditas aures, et debuisse legi, *quam bonam* Rittershusius recte animaduertit. Faber commentus: *qualem de dicam, bona:* quod et nuper placuit viro, docto: sed licet *bone*, *o bone*, centies in Comoediis et familiari sermone occurrat, adducendum erat exemplum, quo, sermone ad rem inanimatam conuerso, vsus istius vocis probaretur. plerumque etiam ironice solet sumi. Cl. Bentlejus, qui non solet vti communibus remediis, pro *bona* substituit *amphora*, vel *amfora*, vt ex vltima syllaba τῦ *dicam*, *am* prima *amforae* absorpta fuerit, et pro *fora*, *bona* a librario substitutum: ego, si *amphoram* hic intrudere vellem, loco *animae* ponerem, *o suauis amfora*, *quale in te dicam bonum.* certe *amphora* et *anima* minus literis et sono differunt, quam *dicam bona*. sed quam mollior et exemplis similibus commendatior Gudii medicina? centies, immo millies, *m* et *in* a librariis permutari nemo ignorat, qui MSS. tractauit, et hodie typothetas sollemniter ita peccare constat omnibus, qui specimina typographica emendarunt: et *a* et *u* permutari nihil vulgatius. *qualem* ergo est ex *quale in* natum, et *quale in te bonum* sensum egregium exhibet. sed non recte explicat Schefferus: nam reuera *te* respicit *amphoram*, quam *animam* suam vocat, vt saepe amantes *animas* suas vocant amicas, et Graece ψυχὰς, vt recte Gudius: vel si de odore est capiendum, sermonem, vt centies fit, ab odore conuertit ad *amphoram*, vnde odor ille emittebatur, vt et Gallicus interpres cepit. *Quale bonum* autem est, quam praestans vinum olim continuisti, cuius faex ipsa tam suauem adhuc odorem spargit. Tibull. II. IV. 36. de alia re

Quale bonum multis addidit ille malis?

bonum vero de delicatis cibis et potu dici patet ex adducto a Scheffero ad lib. II. 5. Petronii loco cap. XXXIII. *Hic nescio quid boni debet esse.* vbi vide notas. et hinc *bonae res:* vide infr. ad lib. IV. fab. 23 et de vino idem Petron. cap. XXXIV. *heri non tam bonum posui.* et cap. 48. *vos oportet bonum faciatis. bona* etiam *vina* salubria dici notauit Keuchen. ad Sammon. cap. XXVIII. Schefferus Epist. VII. ad Heinsium capiebat etiam vulgatam lectionem, *qualem te dicam bonam antehac fuisse*, cum adhuc esses bona, id est, plena vini addit vero posse et legi pro *bonam*, *viuam.* sed tunc non video qua ratione metro satisfiat. Miror vero inter tot viros eruditos, qui hunc locum tractauerunt, neminem cogitasse, verba haec potuisse etiam ita refingi,

—— —— Qualem dicam, et quam bonam
Antehac fuisse,

vt hic ellipsis statuatur, non τῦ *te*, sed τῦ *eam*, qualem eam dicam, et quam bonam? quae ellipsis aliis et nostro vsitatissima, de qua mox etiam fab. seq. vs. 17. Iam vero sollemne in his exclamationibus post *qualem*, addere vel *quantam* vel *quam* cum alio adiectiuo, sic Petron. cap. LXXIX.

Qualis nox fuit illa, Di Deaeque!
Quam mollis torus!

Cicer. I. de Orat. 17. *Qualem illum et quantum oratorem futurum*, nec dissimilis illa et obuia formula, qua vtitur Liuius XXI. 48. *Quantas, quamque prosperas in Hispania*

Antehac fuisse; tales cum sint reliquiae?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit.

(41) FAB. II.

Panthera et Pastores.

Solet a despectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foueam decidit;
Videre agrestes; alii fustes congerunt,

Alii

spania res gesserit. et Terent. Eun. V. IV. 3. *Quantam et quam veram laudem capiet Parmeno?* et plures alii.

7 *Dicent qui me nouerint*] Guietus de ipso Phaedro, quem senem nunc noscentes inde colligent mirum fuisse iuuenem: quia vero Phaedri fabulis saepe obliqui in Tiberium et tempora eius sensus subsunt, nescio an non hic tangat imperatorem, qui defectus annis, et effoetus, tamen libidinis infamis erat, et cum ipsi vires deessent, omnibus modis et adspectu obscaenissimarum libidinum, deficientes vires excitabat, et cum patrare ipse non posset, ligurriret adhuc, vt hircus vetulus, naturam. vide Sueton. cap. XLIV. et XLV. ita quod anus de odore ex amphora epota, Tiberium potuisse de natura ligurrita dicere, intelligent, qui Phaedri mores et ingenium nouerint. posset et fabula simpliciter de vita humana, et senectute, quae *faex vitae* est, vt ait Senec. Ep. LVII. intelligi, cuius, etsi optima pars exhausta sit, reliquiae adhuc sunt grauissimae. sed quia Phaedrus noluit se aperte explicare; et nos a quaerendo desistamus.

FAB. II.

1 *Despectis*] Non male diuinasse Guietus videtur, qui Tiberium Rhodi exsulantem, et deinde reducem et saeuientem in eos, qui eum despexerant, describi putat.

3 *Agrestes*] Ita passim apud Poëtas et historicos vocantur rustici, in agris viuentes, qui *Vrbanis* opponuntur, vide Liv. XXXVII. 29. Tacit. IV. Ann. 45. Ouid. VI. Met. 122. et 349. et ita alii saepius. Sic apud Curtium ex Vossiano codice malim, lib. IX. IX. 5. *qui agrestes vagosque exciperent:* nam et lib. X. V. 8. *vagi* absolute ponitur, vt centies apud alios: et *agrestes* apud eumdem Curtium VIII. VIII. 12.

3 *Congerunt,*] Cl. Bentlejus corrigit, *ingerunt*, quia ictus et plagas *congeri*, vt fabula vltima huius libri saxa, tela, fustes: pugnos vero *ingeri* solere adfirmat: quod quam parum verum sit, infinita veterum loca docent. Valer. Max. III. II. 1. *Telis quae vndique congerebantur.* aut vt in Codicibus quibusdam est, *in eum congerebantur.* Curtius lib. VIII. XIV. §. 38. *vndique et in pedites, et in ipsum Porum tela congesta sunt.* Liv. I. cap. 11 de Tarpeja clypeis obruta. *eo scuta illi pro aureis donis congesta.* et cap. 51. de Turno. *crate superne iniecta, saxisque congestis, mergitur.*

Ouid.

Alii onerant ſaxis: quidam contra miſeriti,
5 Periturae quippe, quamuis nemo laederet,
Miſere panem, vt ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt, abeunt ſecuri domum,
Quaſi inuenturi mortuam poſtridie.
At illa, vires vt refecit languidas,
10 Veloci ſaltu fouea ſeſe liberat,

Ouid. XIV. Met. 777. de eadem Tarpeja.

Digna animam poena congeſtis exuit armis.

et II. Faſt. 665.

Nec foret Othryades congeſtis tectus in armis.

Praeterea per *tela*, *ſaxa*, et ſimilia, *ictus* et *plagae* quoque infliguntur, vt ita *plagam teli* dixit Ouid. in Ibi 608. et in Nuce, quae ſaxis petitur, dicit 167.

Quid mihi tunc animi eſt, cum ſumit tela viator,
Atque oculis plagae deſtinat ante locum?

et ita *miſſilibus telis ictus* Ep. XVI. 40. et infinita eſſent congerenda, quae vanam hanc diſtinctionem oſtenderent, et quam periculoſum ſit, confidenter adfirmare, vt emendandi libidini indulgere liceat, aliqua Latine dici vel non; quibus rudes, moti auctoritate eruditi viri, ſaepe decipiuntur, ſed talia ſaepe in criticorum hariolationibus deprehendere licet.

4 *Alii onerant*] Haec nuperi, qui omnia ad metrum exigunt, Phaedri editores tranſeunt. et Cl. Bentlejus accentum etiam in prima ſyllaba τῦ *onerant* poſuit, vbi ſi primus pes finitur, claudicabit verſus. nec tamen video conſtare rationem carminis, niſi quis *alii* biſyllabum faciat, quod minime placet, vt neque primum pedem quatuor credere ſyllabarum: vid. ad lib. I. XXX. vſ. vlt. haeſit hic etiam Richterus, qui legere volebat, tranſpoſitis vocibus,

Quidam onerant ſaxis, alii contra miſeriti.

addit Heumannum ita tranſponere,

Alii onerant ſaxis, contra alii miſeriti.

quod mollius. ſed et reſcribi poſſit, *illi onerant*, vt ita ſaepe auctores poſt *alios*, ſolent ſubiicere, *hi, illi, quidam, pars* et ſimilia. vid. ad Ovid. Nuc. 103.

4 *Contra*] Vltimam in hac voce corripi aliquando volunt Grammatici, vt apud Manil. II. 253. *contra iacens.* vide Voſſ. II. de Art. Gram. 23. Hic tamen, cum primam ſyllabam dactyli faciat, nihili eſt illa obſeruatio.

5 *Periturae*] Vide ad Petron. cap. CXIX. Liv. V. 39. *facilem iacturam eſſe ſeniorum, relictae in vrbe vtique periturae turbae.*

6 *Suſtineret ſpiritum.*] Vide quae notauimus ad Ouid. I. Epiſt. 114.

10 *Veloci ſaltu*] Poëtice, cum ipſe velox eſſet. ita vidimus lib. I. fab. XII. *curſu leui.* et ita Hirt. de Bel. Afr. 71. *illi veloci curſu facile periculum vitabant.* Valer. Max. etiam lib. II. III. 3. de velitibus, *veloci ſaltu iungere ſe equitantibus.* Heinſius huc refert *velox toxicum,* de

Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, prouolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et, cuncta vastans, saeuit irato impetu.
15 Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant,
At illa; Memini, qui me saxo petierint,
Qui panem dederint: vos timere absistite:
Illis reuertor hostis, qui me laeserant.

F A B.

de quo egimus ad Val. Flac. VII. 333.

10 *Fouea sese liberat*] Sic Ovid. VI. Met. 551. *liberare ensem vagina.* Vide quae de hoc verbo notata sunt ad Petron. cap. CXXXVI.

14 *Irato impetu.*] Et hoc pro ipsa *irata*, quare nihil mutandum. si enim talia sunt refingenda, centum apud Phaedrum, et infinita apud alios loca venustatem Poëticam perderent. an minus licuit iratum impetum Phaedro dicere, quam Ouidio II. Amor. VIII. 15.

Vt tamen iratos in te defixit ocellos.

cum ira ex oculis appareret, vt hic ex impetu. infr. fab. X. dixit *irae furentis impetum*, pro Irae, quae in furorem ageret.

16 *Pro vita rogant,*] Male haec damnat Scioppius quasi parum Latina. Exemplis a Scheffero adductis adde Iust. XVIII. 6. *Pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dii rogari maxime solent.* et lib. XII. 4. *pro ciuibus orare*, Suet. Aug. XIII. *pro vita rogantes.* vid. et Ovid. Ep. XXI. 61. *pro vita queri* dixit, et Quinctil. Declam. XIV. differunt vero *rem rogare* et *pro re*. illud est, petere rem, quam non habemus, hoc est precari, vt nobis seruare liceat. vide Gudii notas, quare non est, quod post haec Walchius, priscae et purae Latinitatis non adeo frequentem hanc locutionem iudicet.

17 *Memini, qui*] Frequens ellipsis, pro *eorum, qui*, vide Gronov. Liv. XXIII. 15. XXIV. 38. Vorst. ad Iust. I. 10. P, Fab. ad Tit. ff. de Orig. Iuris pag. 36. Dausq. ad Q. Calab. III. pag. 50. et alios. infr. fab. VII. vs. 24. *fruere, quae laudas.* et infinitis in locis. Similem, sed non prorsus parem ellipsin illustrauimus, ad Quinctil. VIII. de Inst. Orat. 4. pag. 716. vid. infr. ad lib. V. III vs. 11.

18 *Timere absistite:* Gudius *timore*: sed nihil mutandum recte ostendit Doctissimus Torrenius ad Valer. Max. VII. IV. 5. et puto recte dici *absistere re*, quam facimus, aut *loco* in quo versamur. sed an *absistere timore*, aut alia affectione animi, quam patimur, tam eleganter dicatur, ac *timere*, adhuc dubito. sed doceri non refugiam: ego nullum adhuc exemplum reperi. vide quae congessit Cl. Drakenborch, ad Sil. II. 325. et XV. 190. Promisi me ingenuum et docilem: nunc praestabo et vineta mea ipse caedam. dubitabam an recte dici posset *absistere timore*, cum elegantius mihi videretur *timere*. nec muto sententiam et Latine dici *absistere spe*, didici a summo *Gronouio* ad Liv. XXIV. 20. et

ita

(42) FAB. III.

Aesopus et Rusticus.

Vsu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur: caussa sed non dicitur:
Notescet quae nunc primum fabella mea.

Haben-

ita locutum fuisse Sil. Ital. XVI. 224. et alios postea deprehendi. Vnde meo exemplo Critici admoneantur, ne quid temere damnent. non ideo tamen ius esse Gudio puto, hic *timore* obtrudendi Phaedro, cum et infinitivus saepe et passim verbo *absistere* adiungi soleat.

FAB. III.

Hanc fabulam veritum, ne quis ad Monachos traheret, deformasse Lancellotum monachum S. Cyrani, qui edidit Latino Gallice A. 1702. docuit me Vir eruditus Ch. A. Heumannus in conspectu Reipubl. Literariae cap. V. §. 11. pag. 92. Et vers. 5. pro *humano* edidisse *informi*. vs. 10. pro *infitiuos*, *infelices*, vers 17. pro *vxores da tuis pastoribus* exhibuisse, *Quod aequum est, da tuis pastoribus.* Quid, quaeso, cucullatos illos mouet, a missalibus et breuiariis suis, ad Poëtas et profanos auctores transcurrere, quos flagitiose contaminare solent? simile facinus videbimus infr. fab. XX. ceterum rusticos et pastores ad oraculum vel hariolos statim recurrisse, vbi quid nasceretur extra ordinem, docet etiam exemplum apud Valer. Max. VII. III. 1.

1 *Vsu peritus*] Theocr. Idyl. XXI. 32.

— — οὗτος ἄριστος.

Ἐστὶν ὀνειροκρίτας, ὁ διδάσκαλος ἐστι παρ' ᾧ νοῦς.

In notis Tyronis pag. XLI. recte pro *vsurpans* Gruterus rescribi iubet *vsuperitus*, vna quasi voce Iul. Caes. III. de Bel. Civ. 93. *Milites vsu periti, ac superioribus pugnis exercitati.* ad quae verba alia nuper exempla adduxit Lamb. Bos, magno nuper bonarum Literarum damno defunctus, in Animadv. ad Iul. Caesar. pag. 25. Columel. I. de R. R. 14. *Quod Attilius aetatis suae agricolis, maiore cum auctoritate suadebat, peritus vsu. Prudentes, peritos* et *vsu doctos* coniungit Livius XLIV. 22. vide et ad lib. I. fab. 23.

1 *Velocior*] Recte exponit Schefferus, et *veracior*, quod Rigaltius volebat, nihil huc facit: non tam enim, quod verum dixerit, sed quod statim flagitia pastorum deprehenderit Aesopus, Hariolis praefertur. nec quae sit necessitas praeferre *sagacior*, aut *sollertior* video, quia, ad adspectum monstruosi partus e vestigio, caussam reperit Aesopus. *Sagax*, *sollers* potest post longam inquisitionem inuenire, *velox* statim caussam intelligit. ita *velocitas sagacitatis* tribuitur Anaximeni a Valerio Max. VII. III. ext. 4. Plin. lib. VII. 12. *Velocitas cogitationum animique celeritas.* et Quinctil. I. de Inst. Orat. 12. de ingenii humani natura. *Ita est agilis et velox, sic in omnem partem spectat.* etc. sed praecipue huc facit locus Valerii Max. VII. II. 5. vbi de Papirio Cursore, cum auspicium ementitus esset pullarius, vno impetu mentis omnia rapiente, *Tam cito* (quod mutari non debet) *animaduer-*

Habenti cuidam pecora pepererunt oues
5 Agnos humano capite. Monstro exterritus,
Ad consulendos currit moerens hariolos.

Hic

aduertit, *quo pacto iniuria imperatoris vindicari deberet* etc. ita *velox experimento* Quinctil. Decl. XIII. 12. quod respondet *vsu perito*. et ita Stat. III. Theb. 399. *velox ferro*. Quinct. de Inst. Orat. VI. 4. *opus est in primis ingenio veloci ac mobili*, *animo praesenti et acri*.

4 *Habenti pecora*] Er cur hoc mutari debeat caussam nullam video, nisi libidinem inclarescendi per noua commenta; nihil vero praetexi posse video, nisi quod *alere* et *habere* saepe a scribis consusa fuere. Vid. ad Ouid. III. ex Pont. III 7. vel quod a viris doctis, corrigendi cupidis, saepe fuerit alterum altero permutatum. vid. ad Valer. Max. I. VIII. Ext. 17. *Alere* autem *equos* apud Terentium, huius fabulae fini minime conuenit: ibi enim agitur de diuitibus, qui Athenis equos ad ludos alebant, vt illa luxuriae species a viris doctis est satis illustrata; hic vero de patrefamilias pecuariam exercenre, et cuius patrimonium et rei familiaris caput in pecore consistebat. et in verbo ipso *alere* inest significatio luxuriae et lautitiae, quia equos illos vrbani ciues domi immensis sumptibus alebant, cum hic de rustico patrefamilias, qui hoc genere quaestus se et familiam alebat, agatur. Ille ergo rectius *habere* pecora, quam *alere* dicitur, vt *habere agros* dicitur arator, *habere nummos*, qui foenebrem exercet rem. et ita porro. nam *habere* est possidere. *Qui diuitias rapuere*, *habent* lib. V. 4. *habendi cura*, prol. huius libri. sic de iis, qui agros et alia possident. lib. IV. fab. IV. 10.

Ne data possideant, *aut fruantur*; *tum*, *simul*
Habere res desierint, *quas acceperint*,

Ouid. V. Met. 135.

—— —— *Hoc quod premis*, *inquit*, *habeto*
De tot agris terrae.

IV. Trist. VIII. 27.

Sed modo, *quos habui*, *vacuum secedere in hortos*.

IV. Fast. 196.

Hoc, *ait*, *in campo* (*campumque ostendit*) *habebat*
Rus breue cum duro parca colona viro.

et eodem modo de pecuariam exercentibus Varro Prooem. lib. II. de R. R. *quod ipse pecuarias habui grandes*. et mox, *qui pecuarias habuerunt in Epiro*. cap. I. *non quo non ego pecuarias in Italia habeam*. Ibidem. *qua aetate*, *quamque pecudem parare*, *habereque expediat*, et ita centies. Plin. XVI. 1. de Chaucis, *non pecudem his habere*, *non lacte ali*, *vt finitimis* etc. *contigit*.

5 *Exterritus*,] Gudius corrigit *territus*. an hoc ergo elegantius et efficacius? minime vero. Ouid. IV. Met. 487.

—— *Monstris exterrita coniux*,
Territus est Athamas.

vbi summa cum iudicii elegantia Poëta maiorem dat feminae terrorem, quam viro, qui constantiores esse solent, certe deberent. Idem I. Amor. III. 21. *exterrita cornibus Io*. et de eadem I. Met. 738. *propriaque exterrita voce est*. ita vt in hac re proprium hoc sit magis, quam simplex *territa*.

6 *Currit*] Maiori etiam studio, quam

Hic pertinere ad domini respondet caput,
Et auertendum victima periculum.
Ille autem adfirmat coniugem esse adulteram,
10 Et insitiuos significari liberos:
Sed expiari posse maiori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis.
Hominisque curam cura maiore adgrauant.

Aeso-

quam Gordius apud Iustin. XI. 7. *profectus ad consulendos augures.*

7 *Pertinere*] Eleganter, vt Schefferus ostendit. Liv. XXV. 16. *Aruspices ad imperatorem id pertinere prodigium praemonuerunt.* et XXVI. 38. *ad plures exemplum, quam calamitas, pertinebat:* et omnia ad aliquem pertinere, cuius interest in aliquam partem, egregie ostendit Cl. Dukerus ad Flor. II. VIII. §. 7. Ouid. III. Art. Am. 501.

Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.

vid. ad fab. I. 30.

10 *Insitiuos*] Spurios, falsos. Ouid. XIII. Met. 31.

—— —— Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi,
Inserit Aeacidis alienae nomina gentis?

Suet. Aug. XLII. *insertos numero ciuium* dixit.

10 *Significari*] Mallem hic Vir doctus Anonymus iterum non admisisset, quod toties in Cl. Bentlejo culpat grauiter et censoria cum acerbitate. legi enim vult *indicari*, et pro glossa fuisse in margine *significari* suspicatnr. Quid vero hoc esse dicam? nisi propriam maxime in prodigiis, portentis, et ominibus vocem, mutare in aliam, quae de hac re nulla proprietatis nota insignitur. et ita Phaedri elegantiae maximam iniuriam facere. Plin. VII. de somnio Lysandri, *nec difficulter ex iis, quem Deus significasset, intellexit*, X. 12. *Corui in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum.* et ita ille passim. Valer. Max. I. VI. 10. *Ex simulacro Apollinis per se abrupto capite, etc. praesumsit animo ea re significari exitium suum.* ibid. Ext. 1. *Quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus.* sic de fulminum significationibus libro II. Natural. Quaest. cap. XXII. et seq. Seneca centies hoc verbo *significari* et *significationes* vtitur, quae loca aggerere nihil attinet. et Frontin. lib. I. Strateg. XII. §. 5. *Lacedaemoniis significatur interitus.* et §. 7. *pro tristi significatione confusi milites interpretarentur.* De tempestatum signis prognosticis frequentissime vtitur Plin. lib. XVIII. 26. Et Ciceronem et alios hoc verbo vsos in hac re docere potuisset Virum eruditum Broukhusius meus ad Tibul. II. l. 26. An non hinc abunde apparet, quam non inutiles sunt illae, etiam exagitatae ab aliis, cumulationes locorum ex scriptoribus? quia multitudine et copia demum expugnari potest illa innouandi omnia libido, et obstrependi modestis eruditis pertinacia.

13 *Hominisque curam*] Si *homini* scripsisset Phaedrus, non mutarem in *hominis*, sed cum nunc ita codices exhibeant, nec hoc mutem. vide quae notamus de similibus datiuis ad Ouid. I. Met. 659. IX. 770.

Aesopus ibi ſtans, naris emunctae ſenex,
15 Natura numquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis oſtentum, Ruſtice,
Vxores, inquit, da tuis paſtoribus.

(43) FAB. IV.

Simii Caput.

Pendere ad lanium quidam vidit ſimium
Inter reliqüuas merces atque obſonia:

Quae-

770. et licet in his quaedam elegantia ſit a vulgari vſu remotior, non tamen vbique talia inculcanda ſunt. nam ita eodem iure apud Ouidium XV. Epiſt. 70. aliquis audacior corrigeret.

Adcumulat curas filia parua mihi.

et ſimul praetexeret ita euitari rythmum in *curas* et *meas*, quod habent omnes codices ſcripti et editi, quantum noui. vt et IV. Triſt. VI. 18.

Praeterquam curas attenuaſſe meas.

vbi etiam *mihi* poſſit ſubſtitui. idem tentarunt mox Heinſius et Bentlejus fab. 7. *collum detritum cani*, pro *canis*. et lib. IV. 17. *melioris vitae tempus oratum ſibi*, pro *ſuae*.

14 *Aeſopus ibi ſtans*,] Scabrum Anapaeſtum, *pus ibi*, ſequente *ſtans*, facere notat Cl. Bentlejus, atque ideo legit *ibi tum*. ſed ſcabrum, ſi ita ſit, eſſe tribrachyn dicerem, ſequente *ſtans*, quia vocalis breuis ſequente *ſt* produci ſaepe ſoleat. cum, ſi vltima in *ibi* producatur, quod etiam non ſequente *ſt* poteſt fieri, nihil ſcabri videam in anapaeſto. immo ſequente *tum* aeque tribrachys haberi poſſit, atque anapaeſtus: et ita corripit vltimam lib. I. fab. XII. 5. *ibi dum*: in *vbi* I. IX. 4. *paſſer vbi*. et I. XVI. 7. *vbi vos* I. XXX. 1. *laborant vbi*. V. I. 13. *Hunc vbi*. V. VII. 1. ſimiliter mox fabula III. 6. *namque vbi ſtrigandum*, etiam dicit non bellum eſſe anapaeſtum *vbi ſtri*; cum ego dactylum eſſe *namque vbi* putem. certe vix intelligo amplius rem metricam, vbi nouas illas leges video. quae tamen me parum mouent, vt ſana ſollicitem. *Stans* quoque immerito diſplicet viro docto, quod non tam corporis ſtatum, quam quod praeſens ibi adeſſet, ſignificat, et *ſtare* pro *eſſe* capi, docet Seruius ad Virg. I. Aeneid. 646. et III. 201. et ita lib. IV. fab. 4. *Aeſopus media ſubito in turba conſtitit*. Valer. Max. VIII. IX. 2. *qui ſolus expers facundiae Antonianae ſteterat*, pro fuerat. et ita Heinſ. ad Ouid. III. Triſt. I. 62. pro *ſunt* vult legi *ſtant*.

17 *Vxores da*] Simile Plutarchus tribuit Thaleti in conuiuio VII. Sapientium 149.

1 *Pendere*] Sic Martial. XII. 63.

Cernis vt Auſonio ſimilis tibi pompa macello
Pendeat, et quantus luxurietur honos?

Quaesiuit, quidnam saperet? tum lanius iocans:
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.
5 Ridicule magis hoc dictum, quam vere, aestimo,
Quando et formosos saepe inueni pessimos;
Et turpi facie multos cognoui optimos.

(44) FAB. V.

Aesopus et Petulans.

Successus ad perniciem multos deuocat.
Aesopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto

3 *Quid saperet*] Nihil mutandum recte censent viri docti. Plin. IX. 35. *sed vt experiretur in gloria palati, quid saperent margaritae.* Senec. Ep. LXXVII. *Quid sapiat ostreum, quid mullus optime nosti.* et Natur. Quaest. III. 18. *piscem, qui, vt aiunt, saperet ipsum mare.* Martial. XI. 91.

Desperеam si scis mentula quid sapiat.

4 *Quale, inquit, caput*] Puto voluisse indicare Lanium, vt deforme est caput, ita et sapor est pessimus. nam sequentia indicant, ex facie hic iudicasse Lanium, et fortasse, qui interrogabat, facie etiam deformi erat. nam Romae hoc accidisse, nec fabulam, sed Historiam esse existimo. male haec Schefferus videtur sumsisse, qui in voce *praestatur* melius rem egit.

5 *Ridicule magis hoc dictum,*] Nescias saepe quid de Criticis iudices; nihil enim illis est leuius, cum huic loco vocem intrudant, alio loco expellant; ita hic legit Cl. Bentl. *Ridicule hoc dictum mage, quam vere existimo.* et contra lib. V. fab. III. pro, *hoc argumentum veniam mage dari docet.* refingit, *veniam dandam illi docet.* Cl. Gronouius, qui praeiuerat Bentlejo, et de metro, quod nobis nos verius imaginari, quam intelligere putat, securus legit, *Ridicule dictum hoc mage quam vere aestimo.* m in *dictum* non elidi censens, vt aliis locis factum constat. Praeterea Cl. Bentlejus nouum hoc esse commentus videtur hoc loco, quia *aestimo* pro *existimo* puter esse inferioris aetatis; sed vide Muncker. praefat. ad Hygin. et quae nos ad Quinct. V. de Instit. Orat. 10. notauimus. vbi post Gronouium ostendimus huic verbo locum esse, vbi duo inter se componuntur, et quid praeferendum sit, quid postponendum iudicamus, vt hoc loco: ita Vell. Paterc. II. 70. *ex sua fortuna euentum collegae aestimans.* hic ergo pro iudicare etiam sumi potest, vt saepius Phaedri tempore solebat vsurpari. infra quoque lib. IV. fab. 17. hoc verbo expulso, substituit *autumantes*, de quo ibi videbimus.

FAB. V.

1 *Multos*] Cl. Bentl. *stultos.* quasi vero tantum stulti corrumperentur successibus, non etiam alii.
sed

Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
5 Sed vnde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce diues et potens; huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Persuasus ille, fecit, quod monitus fuit.
Sed spes fefellit inpudentem audaciam:
10 Comprehensus namque poenas persoluit cruce.

(45) FAB. VI.

Musca et Mula.

Musca in temone sedit, et mulam increpans:
Quam tarda es? inquit, non vis citius progredi?
Vide,

sed *multi* sunt *οἱ πολλοί*, paucis oppositi, vt V. 5. vid. Non. Marcellum in hac voce. quo sensu et ipsos *stultos* indicari posse notum est. De voce *deuocare* vid. lib. I. 20.

3 *Tanto melior.*] Debet subintelligi *es.* vide Vauass. de vi et vsu quorumdam verborum, pag. 60. et quae notantur ad Petron. cap. LXIX. Senec. de Tranq. Anim. cap. XV. *Laudemus toties dignum laudibus et dicamus: tanto fortior, tanto felicior!* Similis fere locutio sed integrior, quam Schefferus corrupit, apud Iustin. XIV. 4 *Tanto pulchrior haec Antigono, quam Alexandro tot victoriae fuere.*

6 *Diues et potens*] Male hic Schefferus *potentem* explicat, qui potest melius, atque ego, dare. ita posset capi lib. I. fab 24. vbi *potens inopi* opponitur. sed cum hic a diuite distinguatur, *potens* est gratia et auctoritate in vrbe valens. quod ostendit exitus fabulae, nam cruci affigi curauit. ita *dites et potentes* distinguit etiam Terent. Adelph. III. IV, 56. Senec. de Constant. Sapient. cap. 5. *aut vicinus impotens, potens, aut diues aliquis regnum orbae senectutis exercens.* Cicero II. de Offic. *Quis est, qui inopis et optimi viri caussae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis.* Valer. Max. VII. II. ext. 14. *diuites et potentes non alligari.* ita supr. II. 6. *contra potentes nemo est munitus satis.* et ita Cicero, Suetonius et quis non? passim. ita *clarus et potens* apud Ouid. I. Met. 174. vbi vide quae adnotauimus.

10 *Comprehensus*] Malunt *comprensus* viri docti, sed perinde est, modo in pronuntiando tribus syllabis efferatur, et ipse Hoogstratanus hoc sensit, quia edidit *comprehensus*, vt supra notauimus lib. I, fab. 27.

FAB. VI.

2 *Tarda es?*] Cl. Bentl. *tarde is*, eodem iure quo lib. II. 7. it intrudebat, sed recte repudiat Vir doctus minime necessarium: non increpat enim mulam, quod nunc modo tarde incederet, sed quod natura

Vide, dolone ne collum pungam tibi.
Respondit illa: verbis non moueor tuis;
5 Sed istum timeo, sella qui prima sedens,
Iugum flagello temperat lento meum,

Et

natura sua tarda esset, et ideo vix cogi posset, vt celerius gradum adderet, vt de asino fab I. 15. *at ille lentus.* sic *tarda bos* Ouid. Epist. XVI. 56. *Non vis* explicuimus lib. I. fab. 29.

3 *Vide ne*] Hic corripi vltimam syllabam in *vide* Gudius vult. quod vt factum aliquando non negamus, (vix tamen hoc Phaedri seculo, vide ad Valer. Flacc. V. 595. ita) malumus tamen hic,

Vide, dolone ne collum pungam tuum.

pungo enim et Rimicius habet. et illud *ne* propter vltimam syllabam τῷ *dolone* excidit, et postea transpositum fuit. et hic *hoc* intrusum a Cl. Bentlejo, quasi necessarium foret.

5 *Sella qui prima sedens,*] Hoc *primo temone* dixit Propert. II. VIII.

Spectaculum ipsa sedens primo temone pependit.

6 *Iugum flagello temperat lento meum,*] Insolentior mihi semper visa haec locutio, et cuius nullum exemplum apud alios noui, neque etiam facile produci posse existimo, quia nemo adhuc simile protulit. Nam quod credant *iugum temperare flagello* eodem modo posse accipi, quo apud Horatium *ora frenis temporare*, frustra laborant. *Ora* enim ferocis equi recte cohibentur et temperantur frenis; *iugum* vero ipsum nullo moderamine eget. et vellem Iohnsonius nos docuisset, hoc notare, *solutius regit pro lubitu:* quid enim est *iugum regere?* aeque absurdum ac *temperare iugum.* *Imponere* potest auriga *iugum* equo, vel solutius vel arctius, vt magis minusque premat, sed *iugum flagello temperare* mihi inexplicabile videtur. si vero contendat *iugum* poni pro iugatis mulis, vt in Virgilii loco ab Anonymo producto lib. V. 196. *iuga* pro equis iugatis; tunc duae deberent fingi, et hoc procedere posset, si aliud verbum adiectum esset: nam et Ouidius XII. Met. 432. *bina iuga*, et I. Fast. 564. *bis quina.* et Plin. IX. 15. *boum iuga.* et alii dixerunt. aliqua specie adduci possent illa Senecae in Medea 33. *flagrantibus Ignifera locis tribue moderari iuga.* sed ibi *iuga* de iugatis equis, non de vno equo dicitur. hic autem de vno iugo, et mula agi ostendit epitheton *meum*, quod notari debet. nam quis vmquam dixit de vna mula, *meum iugum regere*, vel *temperare?* et aliquid adderetur, si duae fuissent iugatae mulae, vt ita Valer. Max. IV. IV. 5. *boum iugum regere* dixit, pro duos boues regere, sed hic de vna mula etiam Iohnsonius accepit, vt ostendunt verba Phaedri. Quare corruptum sine dubio locum existimo, et olim considerandum dedi, an non commodius posset legi,

Tergum flagello temperat lento meum,
Et ora. etc.

In lectione vero Cl. Graeuii, quam refert Schefferus,

Iugum flagello temperat lentum meo,

non video qui *flagellum meum* possit mula dicere, et qua ratione *iugum*

potius

Et ora frenis continet spumantibus,
Quapropter aufer friuolam insolentiam;

Nam-

potius *lentum* dicatur, quam ipsum *flagellum:* nam eodem modo *lentae habenae* Ouidio I. Art. Amat. 5. et XV. Met. 520. IV. Trist. VI. 3. *lenta frena.* I. Art. Amat. 472. dicuntur, quia erant ex loro, vt et flagella. vel si ex alia materia essent, aeque lenta, non rigida fuisse credendum est, vt *lentas virgas* dixit Plaut. Asin. III. 2. et similia passim obuia. in altero versu pro *lora* sine dubio *ora* praestat. nam *lora continere* pro tenere, etc. nullo exemplo dici puto. Sed *continere ora* est coërcere, quod obuia locutione et verbi eius significatu proprio dicitur. Gratulor vero mihi, quod non modo coniectura mea Cl. Bentlejo placuerit, sed ideo certam esse gloriari liceret, quod vt olim iam praeceptam pro sua prodere dignatus fuerit Sed vellem clariori in luce posuisset explicationem, quam addidit, vt *temperat tergum flagello*, fit, quando citius vult mulam ire, *ora continet frenis*, quando lentius. Nam *temperare* et *continere, reprimere* et similia idem in hac re fere notare puto. Iam vero an aliquis ex veteribus dixerit, *temperare flagello tergum*, pro impellere equum vel mulam, vt celerius eat, nescio. et ipse nunc lubens fateor, ideo quoque coniecturam olim proditam, vix hodie placere, nec rationem eius locutionis mihi satis apparere. Nisi capimus de mula, quae vt et equos et alia iumenta saepe videmus, cum a muscis et insectis molestis infestantur, ita tergum et corpus totum solet concutere, vt fere iugum excutiat. Et ita posset tergum, quoties agitat et quassat mula temperare flagello mulio, vt placido et quieto incedat gradu, et tunc *temperare* sumendum esset, pro coërcere, facere vt in omnibus obediat mulioni. Sed dubito an talis explicatio posset placere eruditis, quamquam minus absona videtur, quam capere, pro excitare ad cursum. Concutere etiam lora potest auriga, et ita tergum loris etiam tangere, vt in Virgilii loco. sed an hoc *temperare tergum* potest dici? cum hoc modo incitet ad cursum. Aliud quid possit forte ex Rinucio in mentem venire, et excudi, qui habet, *loris flectit iter flagello excusso.* sed vbi libenter legerem, *qui frenis ora regit et loris, iterque flectit flagello excusso:* nam *loris flectere flagello excusso*, aliquid inconcinni praefert. sed hinc forte hoc quoque loco liceret legere, *iter flagello temperat.* vel potius, *cursum flagello temperat lento meum.* id est, aut citius aut tardius me ingredi imperat. nam ita locutos veteres satis constat. Senec. Epist. LXXXVIII. *quid enim prodest equum regere, et cursum eius freno temperare?* et Vlpianus leg. 13. ff. Locati. *temperare* vtitur de auriga, qui regit cisium. et §. 2. de gubernatore, qui cursum nauis moderatur, et prudenter dirigit. communes autem nauibus et curribus esse, et alternari metaphoricas inde locutiones nemo ignorat.

7 *Spumantibus*] De hoc verbo, saepe cum τῷ *fumare* confuso, egi in Epistola ad Capperonnerium nuper edita pag. 59.

8 *Aufer*] Vsi sumus hoc loco, vt *iram ablatam* Latine dici contra Ciofanum probaremus ad Ouid. I. Trist. I. 33. et certe sollemnem hunc esse verbi huius vsum docent exempla a Scheffero adducta, quibus

Namque, vbi ſtrigandum eſt, et vbi currendum, ſcio.
10 Hac derideri fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

(46) FAB. VII.

Canes et Lupus.

Quam dulcis ſit libertas, breuiter proloquar.
Cani perpaſto macie confectus lupus
Forte occurrit: dein ſalutant in vicem:

 Vt

bua adde notata a Cl. Bentlejo ad Terent. Adelph. V. VIII. 14. Idem Terentius Phorm. I. IV. 45. *Aufer mihi oportet.* Vetus Poëta apud Ciceron. II. de Orat. 46. *Auferte iſtam enim ſuperbiam.* Apulej. Apologet. *Quin vana haec conuicia aufertis.*

9 *Vbi ſtrigandum*] Ita pro *tricandum* ſe primum reſtituiſſe iactat Salmaſ. Exercit. Plin. pag. 40. vide et Rutgers. Var. Lect. I. 11. et placuit admodum viris doctis hoc verbum. hinc deriuatur *ſtrigarium*, de quo vide Scheffer. de Re Vehic. I. 17. In loco Senecae a Scaligero adducto Ep. XXXI. *ſurge et reſtriga*, vbi vulgo *reſpira* legitur, ego mallem *deſtriga*, quod contrarium eſt τῷ *ſtrigare*. Hoc etiam verbum Gloſſis reſtituit Gebhard. III. Crepund. 16. vide et Gronov. ad Senec. Herc. Oetae. 1908. vbi pro *reſpirare*, *ſtrigare* mallet, vt et apud Iuſt. XI. 15. Cl. Bentlejus hic vulgatam tuetur, tantum interiecta particula *et*, admodum moleſta propter ſcabram eliſionem, et mutato *eſt*, in *ſit*. ſed recte Vir doctus, *tricari* non dici de eo, qui lente currit, ſed vbi quis moras malitia quadam iniicit, et ſemper in malam partem ſumi docuit, cum hic ſimpliciter τῷ *currere* opponatur, et multa tantum ſe officii ſui conſciam dicat, et ſe vbi incitato currendum paſſu; vbi vero placido incedendum ſit ſcire, in vtroque obſequentem aurigae. Praeterea addit Vir Cl. mulam ignorare commodum tempus, quod melius mulio ſcit, ſed iam ſupra diximus, in fabulis ſenſum hominum dari animalibus, quia ſunt imagines hominum, et quorum exemplis Poëta docet homines, quid faciendum, quid fugiendum: de vocula *vbi*, quae videtur induxiſſe Bentleium, vt eiiceret *ſtrigandum*, vide ad fab. praecedentem tertiam vſ. 14.

FAB. VII.

1 *Quam dulcis ſit libertas*] Quia Virgilius dixit Eclog. III. *Dulce ſatis humor*, cogi debet Phaedrus hic dicere, *dulce ſit libertas*. ſed cur non, ſi hoc ipſi placuit, ſaepius ita loqui deprehenditur Phaedrus? denique Anonymus habet, *quia dulcis eſt libertas*. et Romulus, *docet ſubſequens fabula, quam dulcis et iocunda libertas eſt.*

3 *Forte occurrit.*] Inconcinni hi numeri videntur; et haec cauſſa emendandi, viro egregio.

Forte

Vt restiterunt, vnde sic, quaeso, nites?
5 Aut quo cibo fecisti tantum corporis?

Ego,

Forte occucurrit, deinde salutans, inuicem
Vt restiterunt, vnde sic quaeso nites?

mollior certe alterius Viri docti emendatio.

Forte occucurrit (vel *occurrebat*) *dein salutant se inuicem.*

sed illud *inuicem se salutare*, nescio an elegans sit. melius puto cum Heinsio *se* eiicere, et legere, *dein salutant inuicem:* quod debet ita intelligi, canis salutat, et in vicem lupus resalutat: ea enim vis vocis *inuicem* vel *in vicem*. vid. mox fab. 8. *laesura inuicem*. et ad Petron. XII. et ad Ouid. IV. Met. 72. vbi fere similis locus

Saepe vbi constiterant, hinc Thisbe, Pyramus illic
In que vicem fuerat captatus anhelitus oris.

quare ego retineo vulgatam. nec opus est addere *se*, cum centies *salutare* et *salutantes* ponantur absolute: vt Mart. IV. 8.

Prima salutantes atque altera continet hora.

Ouid. V. Met. 295.

Voxque salutantum ramis veniebat ab altis.

et apposite Cicero II. de Orat. 3. *Qui cum inter se, vt ipsorum vsus ferebat, amicissime consalutassent.* nam illud *inter se* idem est, quod *inuicem*, et elegantius quoque, et ex vsu Latinitatis melioris et antiquioris. Quis vero loquatur, satis intelligitur ex interrogatione, *vnde sic nites?* quae non conuenit perpasto cani, sed macie confecto lupo. fruatur breuitate sua ergo Phaedrus, quam studio captauit, licet multos offenderit.

4 *Nites*] Ita Nepos Eumen. 4. *iumenta nitida* dixit. vbi vide Gebhardum. et Lambin. ad Horat. III. Od 12. et Weitz. ad Petron. cap. II. Ita et Ouid. I. Met. 61.

—— —— —— *inque nitentem*
Inachidos vultus mutauerat ille iuuencam.

Liv. XLV. 39. *Galba nitens et integrum denudet.*

5 *Fecisti tantum corporis?*] Huc trahit locutionem similem *facere sanguinem* apud Ouid. XIV. Heroid. Ep. vs. 82. nobilissimus Heinsius. sed propius accedunt illa Senecae lib. IV. de Benef. 13. *Vobis voluptas est, inertis otii facere corpusculum.* vbi cum in MSS. legi, *inerti otio farcire*, testetur Lipsius, ego mallem, *inerti otio facere corpusculum.* Alii legunt, *inerti otio assuefacere corpusculum.* sed idem dicit Seneca, quod noster mox, *et otiosum largo satiari cibo*, quod et postea addit, *cibis potionibusque corpora ignauia pallentia saginare.* sic quoque *abundans corporis*, pro pingui et bene curato Claudian. II. in Eutrop. 380. et hinc forte vis vocis Graecae σωματοποιεῖν, de illis, qui pascunt aliquem, apud Laërt. II. 138. ἦσαν δ' οἱ σωματοποιήσαντες αὐτὸν Ἱππόνικός τε ὁ Μακεδὼν, καὶ Ἀγήτωρ ὁ Λαμιεύς. Quod Latine verteres, *pascebant illos Hipponicus Macedo et Agetor Lamiensis.* vide ad Petron. cap. LVII. nam *pascere* esse *cibo saginare* docet Nonius Marcell. in *pascere* pag. 440. Edit. Mercer. contra *corpus amittere* Lucretium et Ciceronem dixisse notat Lambinus ad Lucret. I. 810. Ouid III. Ep. 141.

—— —— *Abiit corpusque colorque.*

et

Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: eadem est conditio tibi,
Praestare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille. Custos vt sis liminis,
10 A furibus tuearis et noctu domum.
Ego vero sum paratus; nunc patior niues
Imbresque, in siluis asperam vitam trahens.
Quanto est facilius mihi sub tecto viuere,

et I. Am. VI. 6. vt multi legunt,

Aptaque subducto corpore membra dedit.

Quinctil. Declam. V. cap. 9. *Haeret adstricta nudatis ossibus cutis, et, in fame sua homine consumto, iam membra sine corpore.* quia vero *nitere* et *corpus facere* videbantur Anonymo Nielantii idem notare, ille dedit, *vnde, frater, sic mitis et bene pinguis.* sed postea ipse dicit se *acriorem*, et forte librarii vitium est *mitis*, pro *nites*. nam et Romulus, *tam nitidus es et tam pinguis.* Rimic. *nitidus es et bene pinguis.* ex quibus etiam posset hic legi. *vnde sic, frater, nites?* vt ita solebant se bestiae eiusdem generis in fabulis salutare. vid. I. fab. 29.

7 *Conditio tibi,*] Id est ratio viuendi; potes idem consequi. vt Iust. I. 6. *si conditio proponatur, vtrius vitae sortem legant.* vbi et pro *optione* potest sumi, vt magnus Gronov. ad Plin. XXXVI. 5. idem Iustinus VI. 8. *populo restituta dignitate conditio seruilis eripitur.* Quinctil. Decl. CCCI. *fecit, quod aduersus hanc conditionem fieri potuisset.*

8 *Potes.*] Vid. ad lib. I. 15.

10 *Et noctu*] Illa particula et hic suspectum locum fecit. sed sumitur pro *etiam*, vt millies. non modo interdiu, cum nullus est labor vigilare et limen custodire, sed etiam noctu, cum alii dormiunt, domum tuearis.

11 *Patior niues*] Ita Frontin. IV. I. 1. *frigora et imbres pati.* Ouid. III. Trist. III. 7.

Nec coelum patimur.

IV. Fast. 506.

Et lunae patiens, et pluuialis aquae.

vide Hoogstratani notas.

12 *Trahens*] Vide ad lib. I. fab. 21.

13 *Quanto est facilius mihi sub tecto viuere*] Quid sit *facile viuere* docuit Cl. Graev. ad Cicer. III. ad Famil. 12. sed Cl. Bentlejus, si *facilius* cum *viuere* coniungatur, nudum destitui *τὸ quanto* credit, et ideo legit *vtilius*. sed an non eodem redit? Quanto mihi est facilius, id est, quanto melius, commodius esset, in omnium rerum abundantia, sub tecto viuere, cum nunc in omni rerum inopia et difficultate vivere in siluis vagus et errans cogar. non enim vis huius locutionis et proprietas consistit in *τῷ viuere*, vel *degere*, sed in *facile*: ideoque aeque possumus dicere *facile esse, facile est mihi.* et vt hic exprimitur *quanto facilius est*, ita potuisset subintelligi, vt apud Senecam Epist. LVIII. *Quanto crudelius indicas, aliquid ex vita perdidisse, quamuis finienda.* id est, *quanto*

Et otiosum largo satiari cibo?
15 Veni ergo mecum. Dum procedunt, adspicit
Lupus a catena collum detritum canis.
Vnde hoc, amice? Nihil est. Dic, quaeso, tamen.
Quia

quanto crudelius esse indicas. et eadem ratio in *quanto vtilius*, vbi etiam *est* debet subintelligi; quod et hic potest sumi pro licet, quod aliis locis apud nostrum obtrudunt viri docti. Anonym. et Romulus, *vellem ita mihi contingeret otiosum satiari cibo, et sub tecto melius vivere*. ergo hic posset ita reddi sensus. quanto maiori in copia mihi liceret sub tecto agere etc. Nihil certe video hic difficultatis, quae poscat emendationem, et languidiorem vocem *vtilius*, quae ex medio arrepta hic nihil elegantiae habet. Eadem ratio loquendi Floro lib. III. 12. *ac nescio an satius fuerit P. Ro. Sicilia et Asia contento fuisse etc.* vbi datiuus; cum accusatiuum habeat Senec. III. de Ira 14. *quem satius erat vinum, quum sanguinem bibere*. et Ouid. XV. Ep 191.

At quanto melius iungi mea pectora tecum
Quam poterant saxis praecipitanda dari?

sic apud eumdem Ouidium II. Amor. VIII. 17. Dousa malebat, *quanto praesentius*, (vel *constantius*) *ipse Per Veneris feci numina magna fidem*; sed alii *praesentior*, praeferunt. an vero *otiose* legendum sit, an *otiosum* non pugnabo, quamvis exempla suppetant accusatiui in tali loquendi specie: sic apud Valer. Max. V. I. 4. *si tibi incolumem stare fas non erat*, vt ibi scripti praeferunt; sed licet plerumque datino vtantur veteres, vt multis Heinf. ad Ouid. XIV. Ep. 64. probat, ille tamen hic admitti non potest propter seq. *largo cibo*, quod cum *otioso* faceret inconcinnam orationem. quare nihil superest, nisi vel retinere accusatiuum, vel *otiose* legere.

16 *Canis*] *Cani* Heinsius et Bentlejus mallent: nec nego, ita saepe veteres amasse loqui. sed non vbique talia intrudenda esse vidimus ad fab. 3. huius libri, et alibi.

17 *Nihil est.*] Recte illustrarunt viri docti hanc loquendi formulam, qua de re ingrata sermones praeciduntur, et parui momenti esse res illas, quas obiiciunt alii, indicatur, vel nos nihil curare, nihil inde incommodi sentire. Terent. Eun. IV. II. 10. *nihil est. quid? nihil?* Adelph. II. II. 25. vbi *illic rediero, nihil est*; scilicet dicent, vtentur sollemni illa formula. Persius Sat. III.

Heus bone tu palles: nihil est.

Cicer. XIII. ad Att. 47. *puto equidem nihil esse*. Senec. de Constant. Sapient. cap. XVI. de Gladiatore, *respiciens ad clamantem populum, significat, nihil esse*. Virgil. Ceiri vs. 235.

— — — *quod saepe petenti*
Iurabis nihil esse mihi.

Vid. ad Petron. cap. XLIII. et XLVIII.

17 *Tamen.*] Vsus elegans huius particulae, nihil praecedente cui respondeat, sed subintellecto; licet nihil sit, et res sit parui momenti, tamen etc. sic Petron. cap. LXV. *tamen, inquit Trimalchio, quid habuistis in coena*. vide similia exempla fere apud Gronov. ad Senec. IV.

Quia videor acer, adligant me interdiu,
Luce vt quiefcam, et vigilem, nox quum venerit;
20 Crepufculo folutus, qua vifum eft, vagor.
Adfertur vltro panis; de menfa fua
Dat offa dominus; frufta iactat familia,
Et, quod faftidit quisque, pulmentarium.
Sic fine labore venter impletur meus.
25 Age, fi quo abire eft animus, eft licentia?
Non plane eft, inquit. Fruere, quae laudas, canis:
Regnare nolo, liber vt non fim mihi.

(47) FAB. VIII.

Frater et Soror.

Praecepto monitus, faepe te confidera.
Habebat quidam filiam turpiffimam,
Idemque infigni et pulchra facie filium,

L 4 Hi

IV. de Benefic. cap. 6. et in notis noftris ad Ouid. Epift. XI. 1. infra fab. XV. *Tamen illa eft potior.*

18 *Acer,*] Proprie canes *acres.* vnde et *acriores literas*, apud Quinctil. lib. I. de Inft. Orat. II. illuftrauimus. Senec. Conf. ad Marciam XXII. *acerrimi canes.* ita *vehementes* dici vidimus ad lib. II. 3.

21 *Adfertur*] Anonym. *effertur.* ex domo fcilicet, mihi fub coelo viuenti.

22 *Iactat*] Et hoc proprium et elegans. vid. ad Petron. cap. LXIV. an non *iactant* legendum effet, dubitationem iniicere poffet Anonymus Nielantii, qui habet, *proiiciunt familia.* ita et infra fab. X. *concurfant familia*, quidam legunt.

26 *Fruere, quae laudas,*] Subintellige *iis, quae.* vide ad h. l. fab. a. vi. 17. et faepe alibi.

FAB. VIII.

1 *Te confidera.*] De vi huius verbi egimus ad Petron. cap. XII.

2 *Turpiffimam,*] Corrigit Heinfius, *turpiffima*, vt referatur ad fequentis verfus τὰ *facie*, fed quid opus hac mutatione, cum non tantum *facies turpis*, fed ipfae *puellae turpes* paffim occurrunt. Ouid. III. Art. 255.

Turba docenda venit pulchrae turpesque puellae. infr. IV. IV. 6.

3 *Infigni et pulchra facie*] Cum duo haec epitheta non placeant Bentlejo, reponi iubet, *ingenua et pulchra.* atqui *ingenua facies* poteft effe non pulchra, fed quae diftinguit honeftos et ingenuos certis quibusdam notis a feruis, vt ita *liberalis*, *et honefta forma* Terentio Andr. I. 1. quae etiam *bona forma*, *et vultu venufto* praeterea erat. fed ex *liberali* et *honefta* coniiciebat non

non esse ancillam. vide ad Ouid. I. Trist. V. 72. sed si hoc liceat, pro qualibet voce fas erit reponere quamlibet: mollior certe est Viri docti emendatio, *insignem pulchra facie.* eodem modo, vt Iust. XXIV. 3. *insignem forma vtrumque filium* Arsinoës dicit. Frontin. IV. I. 10. *tres filiae insignes specie.* Ouid. V. Epist. 125.

Sit facie quamuis insignis, adultera certe est.

Vbi Heinsius *praesignis*, cuius alia exempla adducit. et ita. XIV. Met. 337.

Rara quidem facie, sed rarior arte canendi.

sed tales emendationes vnicuique proferre licet: cum enim vtriusque modi loquendi infinita exempla supersint, quocunque modo vulgata habeatur lectio, alteram locutionem statim corrigendi cupidus restitui iubebit. sic apud Ciceron. I. de Orat. 23. *Duo excellentis ingenii adolescentes*, vulgo legitur, cum alii legant, etiam auctoribus libris, *excellentes ingeniis:* et apud Liv. I. 9. *quasdam forma excellentes*, vbi etiam legitur *forma excellente*, vt apud Ouid. III. Ep. 35. *forma praestante puellae.* idem tamen Liuius eodem capite *pulchritudine insignem* raptam dicit. quare ex talibus emendationibus nulla gloria petenda est. Apud Plinium lib. VII. 53. dubia est orationis forma. *Et, quos nostra aetas adnotauit, duo equestri ordine in eodem Pantomimo Mythico tum forma praecellente.* an *Pantomimo praecellente*, an *forma praecellente* sint iungenda? Qui locus obscurior etiam est in reliqua parte. quid enim est, *duo equestri ordine obierunt in eodem Pantomimo?* Harduinus explicat, duos illos, inter se commissos, dum idem poëma recitant in theatro, obiisse diem extremum. qua explicatione nihil confidentius et simul indoctius potuit proferri. Quid? an recitabant Pantomimi poëmata? Saltasse saepe legi, et poterat Harduinum, praeter infinita veterum loca, ipse locus Plinii VII. Ep. 24. quem adducit. hoc docere. et ipse in initio notarum contrarium docuit. Deinde quis vmquam dixit *duo equites in eodem Pantomimo*, id est, theatro, *recitantes obierunt?* an *Pantomimus* vsquam occurrit pro ipso theatro, scena vel fabula, vt fateor *mimum* sumi non tantum pro histrione, sed pro ipsa fabula. talia probanda fuissent. Praeterea cur non Equestris ordinis viros Pantomimos egisse nos docet? nec de eo agit Plinius, sed cum praecessisset, Gallum et Haterium ante suam aetatem in venere obiisse, id est, in media libidine, et concubitu cum puellis, addit, et duos Equestri ordine, suo seculo, obiisse in nefanda libidine, quam cum impudico Pantomimo exercebant. et hoc *adnotauit* nostra aetas, id est, vt infames, et turpi genere mortis exstinctos distulit. corruptus vero locus est sine dubio, et primum in nomine Pantomimi, quod Salmasius *Mithaecum* facit, non admodum inepte, licet Harduinus exagitet. Deinde verba illa, *in eodem Pantomimo*, deficiuntur verbo vno vel altero, quae supplere non est meum. posset *in eodem Pantomimo ardentes* vel *furentes*, quales locutiones obuiae. vel in *mythico* latet verbum quoddam, quod libidinem nefariam exprimit, in qua exstincti fuerunt. cogitent acutiores, ego me non expedio: forte tamen scripserit Plinius, *sub eodem Pantomimo Mystico.* vt ipsos turpia patientes obiisse dicat. *Mystico* esse in MSS. testatur Harduinus, et hoc nomine exhibent homines antiqui lapides, vt indices Gruteri docent. *sub* vero et *in* commutari vidimus ad Ouidium I. Met. 689. et passim. *Forma* vero *praecellente* non moneo, licet propter additam voculam *tum*, forte praetiterit *fama:*

Hi ſpeculum, in cathedra matris vt poſitum fuit,
5 Pueriliter ludentes, forte inſpexerant.
Hic ſe formoſum iactat, illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris iocos.
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
L 5 Ergo

fama: tum enim inter Pantomimos praecipuae erat famae, et placebat maxime. Sed nihil definio de toto hoc loco, quem accuratius perpendendum viris doctioribus relinquo.

4 *In cathedra*] De Cathedris vid. Comment. ad Martial. lib. X. Ep. 13. et Scheff. II. de Re Vehic. cap. 4. et in lecto etiam ſpecula habuiſſe puellas patet ex Propert. III. IV. 11.

Nec ſpeculum ſtrato vidiſti, Lygdame, lecto.

vbi Heinſ. mallet, *in ſtroto.*

4 *Vt poſitum fuit,*] Heinſ. Ep. XXI. ad Scheff. *vt cathedrae matris appoſitum*, vel *oppoſitum fuit.* quia vero in MSS. *ſuppoſitum* legitur, Cl. Gronouius, ſi bene intelligo, in humiliore parte cathedrae fuiſſe ſpeculum credit. ſed ſine dubio illud *ſub* natum partim ex vltima litera τῶ *matris*, vnde *s* geminata, et partim ex *vt*, ſequente *p*, litera *b* occupauit locum τῶ *t*. *Vt poſitum fuit*, notat ita, vt temere, caſu, forte in cathedra erat poſitum a matre, quae ſe ad illud ante compſerat, non eo conſilio, vt liberi inſpicerent, quod Guyetus volebat. ſed, neſcio quo caſu, reliquerat ibi ſpeculum. haec vis huius particulae *vt*, quae et τῶ *ſicut*, vid. ad Ouid. XX. Ep. 19. XXI. 25. X. Met. 7. et paſſim. ergo *vt* non debet coniungi cum *inſpexerant*, nec loco *fuit*, ſupponi *fuae*, vt recte obſeruat Vir doctus: ſatis enim eorum fuiſſe matrem intelligimus: nec etiam tam puſillos hos filios debemus fingere, vt ne cathedrae quidem partem ſuperiorem poſſent attingere: licet enim *pueriliter* ludant, hoc non certum dat indicium aetatis. nec cathedra, ſpecies ſellae, tam alta debet fingi, vt ne nouennis quidem puer caput ſupra eam partem, in qua ſedet mulier, et in qua ſpeculum iacebat, poſſet tollere. ita Phaëton poſſet fingi nouem annorum puer fuiſſe, cum currus paternos rogaret; quia *pueriles annos* ipſi dat Ouid. II. Met. 55. qui tamen *iuuenili corpore* vſ. 150. occupat currum. vt et Proſerpinae, cum raperetur. V. Met. 400. *Pueriliter ludere* poſſunt iuvenes et ſenes, ſi luſum pueris ſolitum, ludant. vt fab. III. 14. Aeſopus *nucibus ludens*, pueriliter ludit, non tamen puer, vide ibi ad vſ. 12. Et quia de forma certamen fuit, iam ea aetate fuiſſe credibile eſt, qua quid forma in amore poſſit, ſentiebant et intelligebant: et neſcio quo iure Gallicus interpres filium et filiam verterit, *le petit Garcon*, et *la petite fille.*

7 *Suſtinet iocos,*] Vide de hoc verbo Doctiſſimum Munckerum ad Hygin. fab. 261. et Cl. Schultingii et noſtras notas ad Calp. Flacci Decl. XV. infra IV. 6. *parua libellum ſuſtine potientia.*

8 *Accipiens*] Non opus eſt cum Heinſio *arripiens* legere. Terent. Eun. I. 2. *vereor ne in aliam partem acceperit Phaedria.* vnde recte me praemuniuiſſe contra correctores locum in prolog. lib. II. vſ. 11. patet.

8 *Quid*

Ergo ad patrem decurrit, laesura inuicem,
10 Magnaque inuidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille vtrumque, et carpens oscula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, speculo vos vti volo:
15 Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;

Tu

8 *Quid enim?*] Seruant et explicant recte Schefferus et Gudius hanc formulam. vide Graev. ad Cicer. II. in Verrem. 23. et nos ad Quinctil. VII. cap. 10. nescio quid elegantiae sit in illo *quippe*, quod hic intrudit Cl. Bentlejus, et ex quonam compendio potuerit librarius hic notam illam intellexisse pro *quippe*, et posuisse pro *quid enim?* quae duae voces toto caelo a *quippe* distant, nec nota simili solent a librariis festinantibus significari.

9 *Cucurrit.*] Rectum puto, quod in Codice est, et primis editionibus *decurrit*. vt querelas suas deferret scilicet, et opem eius imploraret, qui vsus verbi vulgatissimus, et ideo hanc lectionem recipiendam puto.

11 *Rem feminarum*] Recte Schefferus hoc exposuisse mihi videtur, et ita mallem legere apud Ouid. II. Amor. III. 9.

Ista mares tractent, tu res depone viriles.

vulgo *spes* circumfertur. vide quae ibi diximus. Rigaltius pulchritudinem intelligit, quam natura dedit praecipuam feminis. sed tunc *tangere* deberet capi, vt apud Terent. Eun. III I. 30. *quo pacto Rhodium tetigero in conuiuio.* Et tentat hoc defendere Walchius, satis speciose. eligat lector, quod velit. certe se formosiorem sorore iactasse, et iocatum multa fuisse apparet in sororis formam non bonam.

13 *Caritatem partiens:*] Simili fere sensu Pedo ad Liuiam scribens, dicit:

Nec tua te pietas distendit amore duorum,
Vt posito fili nomine dicat, vter?

15 *Tu*] Nescio quid referat, an hoc et seq. versu *Te* legatur loco *tu*. nam post *vos volo vti*, distributio est, nec aliquid est, quod vel aures vel Grammaticos offendat.

15 *Nequitiae malis;*] Nihil hic temere mutandum: *bona* enim et *mala* de corporis et mentis pulchritudine et deformitate passim occurrunt. Suet. Calig. 36. *singula numerans bona, malaue corporis.* sic in versiculis illis apud Lamprid. in Seuero cap. XXXVIII.

Vt fias animi malis repulsis
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

Ita *bona Helenes*, pro eius forma Ouid. Epist. XVII. 134. et Epist. XXI. 38.

— Proprio vulneror ipsa bono.

id est, pulchritudine. Nazar. Paneg. cap. XXXIV. *cui forma emendatior fuerit boni sui piguit.* vide Passerat. ad Propert. I. II, 6. eodem modo *animi bona.* Ouid. I. Trist. VI. 34.

Prima bonis animi conspicere tui.

Valer. Max. VII. V. 3. vide ad Petron.

Tu faciem vt istam moribus vincas bonis.

(48) FAB. IX.

Socrates ad Amicos.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.
Quum paruas aedes sibi fundasset Socrates,
(Cuius

tron. cap. LXXV. et ita *bonae* et *malae Puellae*, *bona* et *mala mens*, *mores etc.* passim occurrunt. huc praecipue facit illud Ouid. II. Amor. X.

Non facit ad mores tam bona forma malos.

et in hanc sententiam plurima apud veteres dicta inueniuntur. vt Terent. Heaut. II. 4. *id cum studuisti, vt formae mores consimiles fient.* Plaut. Poen. I. II. 93. *Pulchrum ornatum turpes mores peius coeno collinunt, lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.* Claudian. I. de Laud. Stilich. 25.

—— —— quem vultus honestat,
Dedecorant mores, animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit.

vide et Senec. Ep. LXVI. et Pindar. VIII. Od. Olym. 24. III. Nem. 32. VII. Isth. 30. et ibi Benedicti notas. Socrati de pueris pulchris et deformibus simile tribuit dictum Plutarch. praecept. Coniug. pag. 141. *maclis* tuentem Schefferum, et spondeum in vltima sede admittentem, recte refutat Hoogstratanus. vid. et ad II. fab. V. 16.

16 *Vincas bonis.*] Haec phrasis displicet Cl. Bentlejo, nec quid *vincere faciem* hic faciat videre se posse ait: et fatendum est, insolentiorem locutionem hanc esse, vt plures sunt in Phaedro, sed quam vindicare conatus est Schefferus et vir doctus loco Curtii, non admodum apposito. *vincere bonis moribus faciem turpem* (nam hoc indicat *τὸ istam*) est eam quasi delere, obruere et exstinguere, vt nulla eius ratio habeatur, si comparetur cum bonis moribus, vt fere Schefferus. Sic *vincimus animum et iram* apud Ouid. Ep. III. 85. quando non apparet. *vincere pudorem* dicit Claud. II. de laud. Stilic. 329. quod fit, quando eum deponimus. non diuersa multum ratio in illis Senecae LVIII. *ratione vitium corporis vincere.* Quidquid sit, nihilo melius procedit, et multo durior est locutio, *pensare faciem*, quam *vincere*: quis enim ita locutus est? *pensamus damna, clades etc.* bonis aliis, vt ipsa exempla a Cl. Bentlejo adducta probant: et ita posset dici *pensare faciei damna*, non *ipsam faciem*. Relinquamus ergo et hoc inter singularia Phaedri. In loco Senecae a Rittershusio adducto ex I. Quaest. Nat. 17. est *redimere. Formosus* (vtitur speculo,) *vt vitaret infamiam, deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset.*

FAB. IX.

2 *Sibi fundasset*] Capio de initio aedificationis, cum fundamenta iecisset futurae domus, vnde de eius modo iudicare possent praetereuntes. Ita Virgil. VIII. Aeneid. 478.

Haud

(Cuius non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo inuidiae, dum modo absoluar cinis.)
5 E populo sic, nescio quis, vt fieri solet:
Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis domum?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

(49) F A B. X.

Poëta de Credere et non Credere.

Periculosum est credere, et non credere.
Vtriusque exemplum breuiter exponam rei.
Hippo-

Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinae sedes.

nam vt hodie dicunt vulgo *fundare vrbes, templa, domus*, pro condere, non fuit veteribus in vsu. *ponere*, quo mox vtitur verbo, idem quod *fundare* est. vid. ad Ouid. III. Met. 13. et IV. Fast. 72. An vero hae illae paruae aedes, quas οἰκίδιον vocat Aelian. IV. Hist. Var. cap. II.? *sibi* vero vt ipse inhabitaret, non inquilinis locaret: paruae enim sufficiebant Philosopho.

4 *Cedo inuidiae,*] *Inuidiae cedere*, dictum, vt *Fortunae cedere*. Caes. VII. de Bel. Gal. cap. 89. *cedere tempori etc.* de quibus egi ad Quinctil. Decl. VI. cap. 16. non tentat eam superare et vincere, ne quidem pugnare et contendere cum illa, quia certus erat dicti Ouidiani I. Amor. XV. 39.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.
Cum suus e merito quemque tuetur bonos.

5 *E populo*] Gell. II. 9. *vnus e populo.* Idem quod inst. III. 19. *quidam e turba*, vbi vide.

5 *Vt fieri solet:*] Vide ad Petron. cap. XLIX.

6 *Talis vir,*] Terent. Eun. I. 2. 80. *Et istam nunc times, quae aduecta est, ne illum talem praeripiat tibi.* Corn. Nep. Alcib. VI. *Itaque et Siciliae amissum et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant quod talem virum e ciuitate expulissent.* Vide Heins. ad Ouid. V. Fast. 460. Ita et apud Graecos τοῖος, vt docuit Spanhem. ad Callim. Hymn. in Dian. vs. 146. vide ad Petron. cap. LXI.

7 *Vtinam veris amicis impleam.*] Simile dictum Themistocli, cum in Magnesia triclinium elegantissimum exaedificaret, illud ἀγαπῷν ἔφησεν, εἰ τοῦτον φίλων πληρώσει, tribuit Athenaeus lib. XII. cap. 8. in fine.

F A B. X.

1 *Periculosum est credere, et non credere.*] Nemo credo, haec legens aliquid desiderabit, aut elegantiae Phaedri deesse putabit; nisi qui ideo legit, vt vbique vnguem emendatorem immittat: immo contra, si legeret, *et credere, et non credere*, statim *est* quaereret; et si Phaedrus sic scripsisset, alter criticus

Hippolytus obiit, quia nouercae creditum est.
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
5 Ergo exploranda est veritas multum, prius

Quam

cus forte emendasset, *periculosum est credere etc.*, vt recte obseruat vir eruditus: certe meliori specie, et intrudi potuisset lib. I. fab. 9. vbi verbum substantiuum non desideratur,

Sibi et non cauere, et aliis consilium dare
Stultum esse etc.

immo vero lib. I. 26. obsecutus Heinsio et mihi eiecit et, quod ibi potuisset bis poni, si versus passus esset

Satiatur ipsa, torquet conuiuam fame.

At vbi ego et alii retinuimus, lib. III. prol. 38. ipse eiecit:

Qui saxa cantu mouit, edomuit feras.

pro quo miror non reposuisse praeterea,

Qui et saxa cantu mouit, et domuit feras.

in Terentio centies ita duplicata particula, vel sola destituta, vt placuit metri arbitris. Sed in tenui labor; et tenuis quoque gloria.

5 *Multum, prius*] Cl. Bentlejum offendit illud *multum*, cum *multo prius* dicendum esse ratio Latinae linguae postulare videatur. Exempla tamen vbi *multum* pro *multo* occurrit, poterit lector reperire in notis nostris ad Ouid. Ep. XVIII. 71. V. Trist. XI. 7. et ad Quinctil. IX. 2. Nec etiam patitur vir celeberrimus *stultam* dici *sententiam*, quae iudicat explorata veritate, quando stulta esse iam non potest. Sed haec ita capienda sunt: exploranda est multum veritas, priusquam sententia, (quae nimirum stulta esset, si ante iudicaret,) stulta prave iudicet, antequam temere praueque iudicando stulte facias, vt recte Gronouius: retrahenda enim haec ad tempus ante explorationem. Si enim dixisset, *explora veritatem antequam stulte iudices*, an aliquis reprehenderet? sic apud Terent. Phorm. V. VIII. 48. *Nausistrata audi, priusquam huic respondes temere.* quid opus addere *temere*, sufficiebat, *priusquam huic respondes.* ergo vis huius praecepti est, explorandam multum esse veritatem, antequam praue iudices, vt solent stulti facere ante exploratam veritatem: nam si *stulta* non potest tolerari, nec *praue* etiam; quia explorata veritate recte iudicamus. Sed Cl. Bentlejus legit, *multum et diu, ne stulta etc.* verum est *multum et diu* saepe solere iungi, vt ipse ostendi ad Ouid. III. Amor. II. 1. sed non ideo vbique illae formulae inuitis libris et scriptoribus ingerendae. *Iudices* autem voluerunt Guyetus et Heinsius, et ita *praua sententia* esset ablatiui casus; sed nec hoc remedio opus esse recte iudicauit Dauies. ad Cicer. III. de Nat. deor. cap. 2. nam frequentissima apud veteres haec est loquendi ratio: et ita cape illa Ouid. XV. Met. 648.

Dissidet et variat sententia, parsque negandum
Non putat auxilium.

Noster vero dixit fab. III. 12. h. l.

Variis dissident sententiis.

at mox h. fab. vs. 56. *ambitio dissidens.* Sed in Ouidio est pro *patres dissident sententiis.* vt eodem libro vs. 27.

Pugnat-

Quam stulta praue iudicet sententia.
Sed fabulosam ne vetustatem eleuent,
Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.
Maritus quidam quum diligeret coniugem,
10 Togamque puram iam pararet filio,
Seductus in secretum a liberto suo,
Sperante heredem suffici se proximum.
Qui, quum de puero multa mentitus foret,

Et

Pugnatque diu sententia secum.
quod ex Horatio videri posset sumtum, qui I. Epist. I. 97.

Mea cum pugnat sententia secum.

Ouid. Epist. XXI. 137.

Consilium prudensque animi sententia iurat.

Horat. I. Sat. II. 32.

—— —— *macte*
Virtute esto, inquit, sententia dia Catonis.

Haec poëtis familiaria, vt *oculi videre, manus facere* etc. dicantur, quae per ea homines efficiunt. vt mox vs. 51.

Nil spernat auris, nec tamen credat statim.

et Fab. 13.

Religio ne peccet, pro iudice religione adstricto. et infinita talia apud Phaedrum.

7 *Vetustate eleuem,*] Tentauit sensum fulcire Schefferus subintelligendo *id*, quod dixi nimirum de exploranda veritate. sed vix persuadet: alii aliter corrigunt: *vetustatem* vero cum sit in codice, accederem Guyeto et I. F. Gronouio, legentibus,

Sed fabulosam ne vetustatem eleuent.

sc. homines, vt supr. II. Epilog. 3. Hoc sensu; quia fabulis multi fidem non habent, vt illis de Hippolyto et Cassandra, narrabo factum certum, mea memoria. *Eleuare* est minuere auctoritatem, vt inf. fab. LXI.

Qui facere quae non possunt, verbis eleuant.

Pers. Sat. I. 5.

—— *Non si quid turbida Roma Eleuat, accedas.*

Liuius lib. III. 21. *Mirer, si vana vestra ad plebem auctoritas est? vos eleuatis eam.* Valer. Max. VI. IX. Ext. 1. *prudentissima praecepta temulentiae lasciuiis eleuare:* quod recte viri docti prae *eludere* probant, et ita passim Quinctilianus, in primis lib. VI. cap. 3. Suetonius et alii: nec repugnat sequens *tibi*, aut patrocinatur τῷ *eleues*, ne enim *eleuent*, hoc idem valet quod *eleuetur* a quocumque, quare te contra eos muniam, et tibi narrabo exemplum.

11 *Seductus*] Cicer. I. de Orat. 56. *Qui cum Crassum seduxisset, atque ad eum retulisset.* nec hic video desiderari *est*, quod quidam post *seductus*, haec forma *seductu' est*, Bentl. post *liberto* intrudit.

13 *Dum mentitus foret*,] *Cum* alii *dum* explicant per *dummodo*; sed ita fab. praeced, *dummodo absoluar* plene dixit, et mox vs. 28. *dum dolorem vindicet*, et apud Propert. I. II. vlt. vbi vide Passer. ponitur aliquando et pro *donec*, vt

lib.

Et plura de flagitiis castae mulieris,
15 Adiecit id, quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso vxoris crimine,
Simulauit iter ad villam, clamque in oppido
20 Subsedit, deinde noctu, subito, ianuam
Intrauit, recta cubiculum vxoris petens,
In quo dormire mater natum iusserat,

Aeta-

lib, I. fab. 19. et tunc quoque subiunctiuum requirit. Sed *dum*, de temporis praesentis actu, requirit indicatiuum, vt mox vs. 24. sic praeced. fab. VII. *dum procedunt, adspicit.* et lib. IV. 6. *dum placo,* id est interim dum placo, hoc ipso tempore, dum placo, et facio quod exigis, et in cothurnis Aesopus prodit. male enim ibi pro *donec* capitur, quasi differret Phaedrus, quod in eius iocis culpant et fastidiebant. cum repraesentet statim stilum sublimiorem. et hoc egregie docuit summus Gronouius ad Liv. XXXV. 8. quare idem apud Quinctil. Decl. XVII. 1. rescripsit *cum* pro *dum*, quem et ibi vide. Et ita hic etiam *cum* vel *quum* rectius esset, quia *foret* sequitur. nam hae particulae saepe permutatae: et ita *cum* saepe pro *dum* malo errore a scriptoribus esse exaratum docet Seruius ad Virgil. I. Aeneid. 697. vide et Scheffer. ad lib. I. fab. 4. et comment. ad Flor. III. XI. 7. *foret* vero hic pro *fuisset*, de quo ad lib V. fab. 5. agemus.

13 *De puero mentitus*] Ita loquitur etiam bis terue Quinctilianus Declam. VIII. et alii.

16 *Quod doliturum amanti,*] Vid. ad Val. Flac. IV. 175.

20 *Subsedit,*] Obseruatis Schefferianis adde Serv. ad Virgil. V. Aeneid. 498. et XI. 268.

20 *Ianuam intrauit,*] Nisi Schefferus exemplo ex Petronio prolato hanc insolentem locutionem illustrasset, quis scit, an et illa euasisset Criticorum manus? Sed et ita Ouid. IX. Met. 309.

—— —— dumque exit et intrat
Saepe fores, Diuam residentem vidit in aula.

Metam. VII. 331.

Intrarant iussae cum Colchide limina natae.

IV. Fast. 537.

Limen vt intrauit.

Ita *portas intrare* idem XV. Met. 583. immo *postes intrare* lib. VIII. 638. quae omnes locutiones positae pro intrare aedes, domum per fores, limina etc. Nescio vero cur *deinde noctu* debeat mutari in *dein de nocte*, quod minime necessarium; sed quia scilicet alii saepe *de nocte* dixerunt, ideo et hic ita reponendum est: certe nostro *noctu* placuit lib. II. 4. et 3. 7. ne concinnius nos credamus ipso auctore loqui. Deinde si cauillari liceret, *de nocte* non tam primam partem noctis, qua hic maritus intrauit domum, vt apparet ex vs. 31. sed mediam fere notat. Vt *de die* conuiuia non sunt matutina, sed ad meridiem;

ita

Aetatem adultam seruans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,
25 Irae furentis impetum non sustinens,
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Vt sentit tonsum, gladio pectus transfigit,
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.

Lucer-

ita *de nocte* est media nocte. *noctu* vero de quauis noctis parte dicitur, vt *interdiu* de quauis diei parte. vide Gronov. ad Liv. XXIX. 14. Sic Terent. Adelph. VIII. 55. *immo de nocte censeo*, est media nocte. et Frontin. IV. III. 7. *Hannibal surgere de nocte solebat*, non prima nocte, qua dormitum ire consueverat, sed post mediam noctem. *nocte prima* de initio dicunt Terentius, Ouidius et alii. Sed haec vrgere nolumus, qui semper non ita propriè loqui poëtas nouimus. nihil tamen cogit. vt certas voces mutemus in alias ambiguae significationis.

23 *Seruans diligentius.*] Id est obseruans, custodiens. Terent. Heaut. III. III. 31. *Nisi enim, quantum Dii dant opis tibi, seruas, castigas, mones.* et paullo post. *Atque nunc, Here, hic tibi asseruandus est.* Vbi etiam videtur Poëta respexisse ad morem illum, quo fine paedagogis et magistris adolescentes in viros transcripti viuebant. Dicit enim Syrus: *nam mihi iam minus minusque obtemperat.* Ceterum hanc mater curam praecipue agebat, ne corrumperetur a libidinosis, et ne praedator corporis admitreretur: vide ad Petron. cap. LXXXV. et Quinctil. I. Inst. 2.

24 *Dum quaerunt lumen,*] Persuasum mihi est multa Phaedrum in hac narratione transtulisse ex Ouid. II. Fast. 347. et seq. lege et confer vtriusque Poëtae verba et seriem rei, Lector, et iudica.

24 *Concursant*] Ita hic pro *concursat* Schefferus. nec repugno, licet et Quinctil. Declam. II. 6. *concurrit familia, quo sollicitos atque trepidantes ducebat. strepitus.* vid. supr. ad fab. VII. h. l.

26 *Tentat*] Tactu explorat. Quinctil. I. Declam. 9. *Tentauit ergo vultus et pectus obiectum.* Virg. III Georg. 563.

Inuisos si quis tentarat amictus.

Propert. I. El. 2.

Subiecto leuiter positam tentare lacerto:

vbi vide Passerat. Lucr. IV. 235.

Nunc igitur si quadratum tentamus, et id nos
Commouet in tenebris.

vbi Lambinus mauult *tractamus.* Senec. Ep. XLV. *qui interrogatur an cornua habeat, non est tam stultus, vt frontem suam tentet.* Ouid. X. Met. 288. ex MSS.

Rursus amans, rursusque manu sua vota retentat

vulgo *retractat.*

27 *Tonsum,*] De coma capi video. Sed cur non posset et de barba? vnde poterat scire virum esse, non feminam aut filium, qui lanugine adhuc os habebat obsitum. Sed non vrgeo.

28 *Dolorem vindicet.*] Vid. ad Lib. I. 28.

Lucerna adlata, simul adspexit filium,
30 Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil somno senserat,
Repraesentauit in se poenam facinoris,
Et ferro incubuit, puod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem;
35 Romamque pertraxerunt ad Centumuiros.
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod bona possideat; stant patroni, fortiter
Caussam tuentes innocentis feminae,

A Diuo

29 *Lucerna adlata,*] Heinsius *illata*. vide Epist. XXI. ad Schefferum. et certe ita frequenter loquuntur veteres. vide quae notauimus ad Ouid. X. Met. 473. sed vtrumque verbum se scriptorum auctoritate tueri potest. Plin. IV. Ep. 9. *dixit in noctem, atque etiam nocte, illatis lucernis.* Tacit. XIV. Ann. 44. *num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, caedem patraret, omnibus nescciis?* Sed Ennius apud Ciceron. I. de Diuin. 20.

Excita cum tremulis anus attulit artubu' lumen.

quare tutius sequi lectiones codicum MSS. nec vnum alterius gratia expellere.

30 *Sanctamque*] Ita saepe in lapidibus, vt apud Reines. Clas. XIV. 54. *Vxori sanctissimae.* et *virgines sanctae.* Horat. I. Od. 2. et male Priorius apud Tertull. ad Vxor. II. 1. *sanctas* feminas aliter explicat, ac castas, probas. sed hoc obuium.

32 *Repraesentauit*] Multa de hoc verbo Gronouius lib. I. de pecun. vet. cap. 16. Vt noster, ita eius aequalis Valer. Max. VI. V. ext. vlt. *Poenam tamen repraesentare maluit, ne qua fraus iustitiae fieret.* Gallicus interpres non intellexit, qui vertit, *il se punit luy même:* debebat *il se punit sur le champ luy même*, aut, *tout d'un coup*, vt mox vertit *statim*.

35 *Pertraxerunt*] Possit quis *protraxerunt* reponere; sed factum extra Romam debet fingi, in oppido aliquo, vnde Romam vsque pertraxerunt. vide Torren. ad Val. M. II. VI. 3. qui recte iudicat *protrahitur*. apud Valerium praestare. et parum abest, quin et hic probem: nam ex oppido obscuro, Romam in lucem et ora hominum protraxerunt. Quinctil. Decl. II. 24. *protrahitur, iudices, reus in medium.* Apud eumdem Valer. Max. I. I. 21. puto legendum, *cum enim reum vinctum Romam protrahi iussisset* Vellej. Paterc. II. 92. *cum protraxisset publicanorum fraudes.* vide ad Quinctil. Decl. IV. 14. sic *producere*, de quo Cort. ad Sall. Iug. 31.

37 *Stant patroni*] Horat. I. Sat. 9.

Dispeream si Aut valeo stare, aut noui ciuilia iura.

37 *Fortiter tuentes*] Ita saepe Quinctilianus de caussarum actoribus *fortiter dicere.* vid ad Lib. II. Inst. 12. et X. 4. et in Declamationibus passim.

A Diuo Augusto tunc petiere iudices,
40 Vt adiuuaret iurisiurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniae,

Certam

40 *Adiuuaret iurisiurandi fidem,*] Sine dubio recte Faber et Schefferus hunc locum exposuerunt. Neque caussa erat, cur reponatur *aduocaret fidem:* nam in alio loco IV. 4. longe diuersa res est, vt ibi videbimus. qualis vero sensus emergeret, petiere Centumuiri ab Augusto, vt illis liceret iurare sibi non liquere? atqui hoc semper licebat, nec opus erat hoc rogare, sed cum iurassent sibi non liquere, cogebantur post ampliationem iterum cognoscere, et cum nihil magis illis liqueret, tunc sententiae dicendae erant. Huius ergo, sententiae scilicet dicendae sibi gratiam fieri petierunt, et simul rogarunt, vt Augustus ipse cognoscere vellet. Deinde *aduocare* non de iudicibus, sed de litigantibus solet vsurpari, qui caussae suae aliquem aduocabant, vid. Gronov. ad Senec. de Clem. I. 9. Non sine caussa hic non accedit Bentlejo aduersarius.

41 *Error*] Quia nesciebant se expedire, nec sententiam suam dicendi reperiebant certam viam: vt lib. IV. 4. *soluit errorem omnium.* vid ad Valer. Flac. V. 456.

42 *Tenebras dispulit calumniae,*] Gudius in MSS. *distulit* esse testatur. de qua lectione amplius deliberandum censeo. neque enim a librario videtur profecta, cum *differre* pro dissipare rarioris sit vsus, quam *dispellere.* vsos vero veteres hoc sensu lector discere potest ex notis nostris ad Vellej. Paterc. II. 79. *dispellere* vero in hac re, de tenebris, vmbris, tempestatibus et similibus verbum est quotidiani magis et publici vsus, quod Liuius, Virgilius, Caesar et alii passim iterare solent. vide summum Gronov. ad Liv. XXVI. 17. propria sibi vtitur elegantia et translatione Valerius Max. I. VIII. 17. de Aesculapio in vrbem ad sedandam pestilentiam arcessito, *Aduentu suo tempestatem, cui remedio quaesitus erat, dispulit.* Non licuit vero Valerio manum suam integram seruare, et gratulari sibi hoc loco, quod euaserit omnium interpretum lancinationes in hunc vsque diem, quo sollemni Clericus more in Bibliotheca sua Vet. et Recent. tom. XXVI. p. 208. insaniens, cum nouae editionis primas paginas modo legisset, tentauit stultissime sanissima haec Valerii verba, et pestilenti sidere adflauit. non enim hic agi de *Tempestate,* (vt ille vertit, *une saison, ou une tempeste*) sed de Aesculapii aduentu *pour mêtre fin a une peste,* ait. ideoque legendum esse, *eam pestem dispulit,* contendit, et addit, se nescire pestem esse appellatam *tempestatem.* sed si consuluisset fidos sibi Magistros, in Lexicis et indicibus infinita exempla reperisset, ex quibus constaret, omnes calamitates publicas, et saepe priuatas, *tempestates, procellas,* etc. vocari, et si vmquam totum Valerium legisset, vel certe nunc nouae editionis indicem consuluisset, reperisset lib. VIII. II. 2. de Visellio Varrone, *graui morbo* correpto, dici, eum *ex illa tempestate euasisse.* Deinde hanc ipsam phrasin *dispellere tempestatem,* inuenisset lib. VII. VI. 6. vbi Valerius agens de commeatus insigni penuria, dicit, *sed amarissimam tempestatem Augusti cura dispulit.* Haec sola ex Valerio deprompta stolidam

illam

Certumque fontem veritatis reperit,
Luat, inquit, poenas caussa libertus mali.
45 Namque orbam nato simul, et priuatam viro,
Miserandam potius, quam damnandam, existimo.
M 2 Quod

illam ferociam critici, qui sibi *εὐστοχίαν* quamdam a natura, benigna matre, esse datam, qua paucos, vt Scaligerum et Tan. Fabrum (par bene comparatum) et se, insignes fuisse gloriatur. Non vrgebo inconcinne *pestem* hic intrudi, quae reuera fuit *pestilentia*, vt initio capitis vocatur, quia scio qua via eruditior aliquis hoc Ephemeridum consarcinatore elabi et euadere posset. Sed, de quo ne cogitasse quidem credo Philosophum, addam, veteres, quando proprie volunt loqui de peste, morbis et similibus, et propriis vocabulis, non vero vocare *tempestates*, aut aliter translatis vocibus vti: non solere dicere, quantum ego sciam, *dispellere morbos*, *pestem*, sed *depellere*: at in *tempestate*, *procellis* et similibus *dispellere*, *dissipare*, *discutere*, et affinibus vti verbis consueuisse. Sic de hac ipsa pestilentia agens Claudian. II. Consul. Stilic. 171.

Hic depulsurus morbos Epidaurius hospes
Reptauit placido tractu.

vbi quidem Heinsius ex codicibus profert *defensurus*, de quo vehementer dubito, quia *defendere* est arcere mala ne irruant et incidant. sed hic iam continuo triennio vexata fuerat vrbs pestilentia, ad quam depellendam Aesculapius erat arcessitus. meliori iure potuisset *defendere* obtrudi Virgilio IX. Aen. 328.

Sed non augurio potuit depellere pestem.

ibi enim de instanti morte agitur. non tamen dixit Maro *dispellere* *pestem*, quod ineptum foret, sed *depellere* itidem dixit Ouid. XIV. Ep. 130. et de Apolline medico Ep. XXI. 175. *caussas depellere leti.* Sed absisto a cumulandis locis, quae infinita ad manum sunt. Hinc discat modo vitio creatus censor et criticus, pleniore opus esse Linguae Latinae intelligentia ad exercendam criticam, et bene aduertendum esse animum in discriminandis propriis et translatis verbis et locutionibus. Si quid vero in illo loco Valerii possit offendere, est duplex ille datiuus, *cui remedia*, qui sententiam facit ambiguam, et credo scripsisse auctorem, *cui remedium quaesitus erat*. Ita Ouid. Remed. Amor. 528.

Auxilium multis succus et herba fuit.

vbi alii *auxilio*, vide ibi notas Heinsii et meas, et ad XII. Met. 90. Illae vero appositiones tam familiares sunt, vt putidum esset loca multa congerere. sufficiant illa Terent. Adel. III. 1. 7. *Solus mearum miseriarum est remedium.* et Curt. VII. IV. 9. *animi sui magnitudinem vnicum remedium deficienti exercitui esse*, et sic etiam, *cuius remedio*, aliquis posset substituere, quod tamen minime necessarium. Facilius *remedio* pro *remedium*, quod scribebant: saepe *remedium*, (de quo vide Pierium Valer. ad Virg. Ecl. II. 59.) suppositum possumus credere, quam *cuius*, pro *cui*: Et ne sic quidem *remedium* repudiare cogeremur. nam ita Curtius lib. IX. 8. *herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset.* vt hic herba monstratur a dracone (id est Aesculapio, quem sub ea figura

Quod si damnanda perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter limasset, a radicibus
50 Non euertisset scelere funesto domum.
Nil spernat auris, nec tamen credat statim.
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Hoc

figura colebant) remedium vulneris, ita Aesculapius quaeritur remedium pestilentiae; mox idem Curtius cap. X. 2. ex Vossiano codice *oleum remedium fuit*. Accedat similis in alio vocabulo locus Valerii IX. II. 2. *Id malorum miserrimae tunc reipub. deerat, vt Vario Caesar piaculum caderet.* Ita recte reposuerunt viri docti, pro *Vario* vel *Varii piaculo:* ita et noster IV. 21. *zonas, res pretiosas, subsidium vitae:* et sexcenta loca ex Valerio et aliis possemus congerere, vbi accusatiuus et ablatiuus talium nominum est permutatus.

47 *Damnanda*] Ad hunc scopulum omnes impegerunt interpretes, qui videri possunt: longa enim oratione opus foret, si singula recensere et refutare vellemus. nihil vero infelicius illo *cunctando:* nam si crimina perscrutatus fuisset, non cunctando, sed inuestigando, debuisset tandem ad fontem veritatis venire. ego, quid τῷ *damnanda* supponam vix habeo. posset fingi *nefanda* rectius, quam *tam infanda*, vt Gudius volebat: posset etiam *commenda*, vel *delata*, a liberto scilicet. sed abstineo ab hoc vlcere, quia illa omnia recte scribi possunt, si nostra, non Phaedri velimus legi verba. Ceterum dum haec typographis do experimenda, et diligentius verba praecedentia expendo, qua orbam nato et priuatam viro, negat damnandam, sed potius miserandam, de illa hunc etiam uersum esse capiendum puto, et legendum

Quod si donanda perscrutatus crimina etc.

ignoscenda scilicet, nec vindicanda, vt libertus ille sceleratus instigabat. si ergo perscrutatus esset crimina illa falsa, reperisset illis ignoscendum fuisse, quia mater sancta custodiebat aetatem adultam. Iam vero *donare crimina* dictum, vt *donare culpam* Ouidio II. Ex Pont. VII. 51. *donare iras, iniuriam* et similia, de quibus vbertim Cl. Graeuius ad Cicer. V. ad Fam. 4. Gronov. III Obs. 23. vbi ex Lucano IX. 144.

Superis haec crimina dono.

profert. qui Poëta saepius hoc verbo eelectatus fuit. Et praeterea haec verba *damnare* et *donare* et a librariis permutata, et a Criticis saepe alterum alteri substituta, ibidem patet ex Fabro, qui apud Senec. Rhet. pro *dono* reponebat *damno*. Sic apud Ciceronem IV. Philip. 4. pro *bonorum damnatio*, vt olim legebatur, Gruterus et Cl. Graeuius *donatio*, ex auctoritate codicum MSS. restituerunt. contra apud Ouidium II. Art. 387. pro.

Nec mea vos vni donat censura puellae.

Heinsius restituit ex MS. *damnat;* et ita saepe alibi, facilis enim horum verborum commutatio. sic apud Lucan. IX. 1085.

— ne

Hoc admonere ſimplices etiam poteſt,
55 Opinione alterius ne quid ponderent.
Ambitio namque diſſidens mortalium
Aut gratiae ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoueris.

— *ne non damnaſſe cruentam,*
Sed videar timuiſſe Pharon.

Heinſius in codice Turrani reperit *donaſſe.* ſic centies *damna* et *dona* confundi vidi in MSS. vide ad Ouid. III. Faſt. 514. hanc tamen tam probabilem coniecturam non obtrudo inuitis, ſed ad examen offero, nam potuit alia voce vſus fuiſſe Phaedrus. Ceterum *limare* etiam nondum ſatis puto aſſertum, nec probatam hanc verbi huius ſignificationem; licet etiam adducat quaedam Ioh. Stephan. ad Saxon. Grammat. Hiſt. Dan. lib. I. pag. 77. Nam *limare mendacia* quid velit, ego nondum me intelligere fateor; niſi ſit polire, ornare, quod τὸ *ſubtiliter* requirere videtur. ſed hoc non conuenit propoſito Phaedri. aut, pro limis adſpicere, et ideo diligentius examinare, vt Guyetus, vnquam poſitum fuiſſe ignoro, et probari poſtulo. quare caperem, ſi retinendum verbum ſit, donec aptius inueniatur, *limaſſet mendacium*, pro craſſum et impudens nimis ſubtili indagatione et examine, quaſi lima quadam, deminuiſſet, et quo velabatur, corticem detraxiſſet. et hanc locutionem inter Phaedri ſingularia reponerem, nec *rimaſſet*, nec *rimatus* ſubſtituere auderem. Debet vero ſine dubio poſt hoc verbum diſtingui, ne duplici additamento *ſubtiliter*, et *a radicibus limare* idem dicere videatur. ſed nec *a radicibus limare* Latine dici aeque, atque *a radicibus euertere* puto, vt quae vſitata eſt locutio. licet Schefferus ad Obſeq. cap. CXXIII. pro *a radicibus euertere*, videatur probare *radicitus*; vt ſupra II. 2. *funditus euellere.* hic vero erat vnicus filius, in quo ſpes poſteritatis exſtincta, nec cum ſibi mortem conſciſceret pater, noua prole reparari poterat clades. eadem ratio eſt in *a ſtirpe.* vt Liv. IX. 34. *a ſtirpe gens exſtincta.* et Statius lib. I. 242. *totumque a ſtirpe reuellam Exitiale genus.* VII. 207.

— *Pelopiſque a ſtirpe nepotes*
Tardum abolere mihi.

qui hoc cum *limare* coniungunt, vt Gudius, praeſidium quaerunt in illis Plauti in Trinum. I. II. 180. *Quod ſi exquiratur vſque ab ſtirpe auctoritas.* ſed ibi cum Gronouio *auctoritas* debet τοῖς *ab ſtirpe*, non τῷ *exquiratur* iungi, et pro primo auctore ſumi. ſeq. verſu mallet quis, *funeſtam domum*, vnde et *funeſtare locum* dicitur. ita *funeſta domus* Ouid. VII. Met. 575. et ad Liuiam 474. et *funeſtae manus* Halcyones, merſo Ceyce XI. Met. 584. ſed relinquamus et hoc Phaedro, vt *irato impetu* et ſimilia, quae notauimus.

54 *Etiam*] Schefferus coniungit *hoc etiam.* male: *etiam ſimplices*, id eſt, licet ſint ſimplices et minime mali, ſed creduli. Iuſtin. V. 1. 2, *nec eloquentia minus, etiam inter Athenienſes, inſignis.* vide ad Quinctil. Decl. III. 13.

57 *Gratiae ſubſcribit,*] Idem de Fama dicitur apud Aelian. I. Var. Hiſt. cap. 22.

58 *Erit ille notus,*] Vis τοῦ *erit* recte a Scheffero animaduerſa eſt:

idem

Haec exsecutus sum propterea pluribus,
60 Breuitate nimia quoniam quosdam offendimus.

(50) FAB. XI.

Eunuchus ad Improbum.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Qui, super obscaena dicta et petulans iurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis.

En,

idem enim est, ac si dixisset generali effato, esse illum solum notum. nam *erit* vim praesentis saepe habet, saepe etiam praeteriti. vid. Faern. et Guyet. ad Terent. Eunuch. IV. 5. *verbum hercle hoc verum erit*: quod ex idem atque *est*, et semper *fuit* et *erit* verum. vid. et ad Quinctil. de Inst. Orat. VI. 1. pag. 509. *per te* illustrarunt viri docti ad Sil. Ital. XI. 447. et ad Valer. Max. V. VII. 1. vlt. et Cortius ad Sallustium bis terue.

FAB. XI.

2 *Super*] Pro *praeter* sumi hanc praepositionem notant Viri docti. Suet. Caes. 28. *Super Italiae Galliarum Hispaniarumque, Asiae quoque et Graeciae vrbes operibus exornans.* et ita ille saepius. vide Iac. Gronov. ad Tacit. I. Hist. 51. et notas ad Valer. Max. VII. VIII. 9. vbi facio cum illis, qui *super quae* probant.

3 *Damnum amissi corporis.*] Ita et *damna corporum* dixit Quinctil. Decl. V. 12. sed alio sensu: nam hic *corpus* de parte virili capi recte Schefferus notauit. ita Horat. I. Sat. II. 43. *dedit hic pro corpore nummos*: vbi Acro, *corpore, id est, obscena parte corporis.* Et eodem modo Graecos σῶμας vsurpasse docet Casaubon. Anim. in Athen. I. 5. De feminarum pudendis partibus possunt illa Plauti Bacch. III. III. 78. capi: *cum manum sub vestimenta ad corpus detulit Bacchidi, me praesente.* vbi recte Lambinus, ad particulam illam corporis, quae honeste appellari non potest, interpretatur. et ita eodem sensu Firmicus lib. VI. Astr. 21. videtur dixisse, *si vero sint in tropico, sicut diximus, faciunt naturale mulieris corpus incorrupto aditu glutinatum.* vbi tamen Rutgers. lib. III. Var. Lect. cap. 8. *corpus*, vt glossema eiicit, et *naturale* solum esse docet pudendum membrum. sicut *naturalia* Iustino I. IV. de quibus vide Gronov. ad Plin. XVI. 33. plura de voce *corpus* vid. ad Petron. cap. CXII. et CXXX. sed an *amissum corpus* recte dici possit hoc sensu disputant. *amissi roboris*, quod Praschius volebat, probat quoque Heins. Epist. VIII. ad Scheffer. praeterea *abscissi, accisi corporis* coniiciunt; sed si *corpus* pro virili parte rectum sit, et *amittere virilitatem* ex ICtorum scriptis Rigaltius et Schefferus probauerint dici, nihil impedit *amissum corpus* dici de eadem re: et si *amittere corpus* de macro, vt vidimus ad fab. VII. recte dicatur, qui tamen non totum corpus, vt mortuus apud Quinctil. X. Declam. 3. sed nitorem, et pinguedinem amittit, quid ni in hac significatione *corporis, amittere corpus*, qui vires generandi amittit, dici possit? *virilitatis ereptae damna* dixit Martial. IX. 7.

En, ait, hoc vnum est, cur laborem validius,
5 Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

4 *En, ait,*] Incommode admodum credebam olim haec verba cohaerere praecedentibus et sequentibus, et tribui ipsi Eunucho, quare potius continere scomma insectatoris improbi arbitrabar, et forte legendum esse coniectabam,

En, ait, hoc vnum est, cur labores validius,
Integritatis testes quia desunt tibi.

vt iocus sit in ambigua vocis *laboris* significatione, quasi dicat, hoc vnum, id est, solum est, cur plus laboris in hac lite nostra insumas, quia testes integritatis et candoris desunt tibi, quae mihi facilius per se constant. vel *labores*, est magis sollicitus sis, verearis ne perdas litem. vt *laborare* sumi vidimus ad Petron. cap. CXV. Respondet vero Eunuchus sequenti versu, *sed quid* etc. nondum tamen forte patet nobis huius dicti obscaenitas, quae potest latere in illo verbo *labores.* vt apud Petron. cap. XCII. *iuuenis laboriosus.* Cl. Bentlejus nihil aliud hic monet, nisi cum Heinsio legendum esse, *Quin ait*, sed in reliquis verbis corrigendis eum sequi non videtur. sed hae sunt arbitrariae emendationes, nullis argumentis subnixae. nunc vero adhuc dubito, an Eunucho haec verba sint tribuenda an improbo. NON LIQVET.

5 *Integritatis*] Iocus ex ambiguo, vt vidimus, quia et *integritas* de viro integrae vitae potest capi, et de non castrato, sed qui corpore est integro: vt contra de Eunuchis dixit Horatius. I. Od. 37. *contaminatum gregem turpium virorum.* nam *contaminata* opponuntur *integris*, teste Cicerone Topic. cap. XVIII. et *contamino* a Graeco *τέμνω* multi deducunt. vnde et in Glossis *contaminat, συγκόπτει.* et hinc Terent. Andr. Prolog. ait, *contaminari non decere fabulas*, sed integras vertendas ex Graecis, non mutilandas, et hinc et illinc partes esse transferendas: et ita passim *integri* vulneratis et mutilatis opponuntur apud Liuium et alios. Stat. IV. Theb. 94. *iam laetus et integer artus.* et VIII. 486. *puer malasque comasque integer.*

6 *Sed quid*] His particulis vtimur, quoties in pauca contrahere vel abrumpere volumus orationem, et quasi superfluam et inanem operam nos sumere indicamus. vide Cerdam ad Virgil. II. Aeneid. 102. Terent. Adel. IV. V. 45. *Sed quid ista, Aeschine, nostra*, et ita passim.

6 *Fortunae delictum*] Male Heins. *defectum*, ita *crimen fortunae*, II. Epilog. et *fortunae iniuria* Eleg. in Drus. 51.

7 *Id demum*] Sententia haec Eunuchi, quam Phaedrus, loco epimythii, ipsi tribuit, generalis quidem est, sed potest hunc praecipue improbum, qui forte adulter etiam erat, tangere. vt indicet Eunuchus sibi abesse testes crimine fortunae, quia infanti sunt exsecti; sed cum adulteris deprehensis virilia exsecentur, et testes caudaque salax demetiantur (vt Horatius ait I. Sat. II. 45.) haec merito illis accidere, ideoque turpe esse.

(51) F A B. XII.

Pullus ad Margaritam.

In sterculino pullus gallinaceus
Dum quaerit escam, margaritam reperit.
Iaces indigno, quanta res, inquit, loco?
Te si quis pretii cupidus vidisset tui!
5 Olim redisses ad splendorem maximum.
Ego qui te inueni? potior cui multo est cibus?
Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

F A B.

F A B. XII.

1 *In sterquilinio*] Accedo viris doctis, qui *sterquilino* vel *sterculino* scribendum putant, et ita Gudius; et Bentlejus ad Terent. Phorm. III. II. 41. ceterum hanc fabulam versibus consignatam reperit Barth. Aduers. III. 22. qui ibi legi possunt; et apud Neueletum inter Anonymi fabulas prima.

1 *Pullus gallinaceus*] Veteres per *pullos* intellexisse Gallos Gallinaceos, quam vltimam vocem alii addere amarunt, docet Ampl. Cuperus in Monum. Antiq. p. 200.

2 *Reperit.*] Hic iterum *ut* suum inserit Cl. Bentlejus, quod nec Anonym. Nielantii habet: et, si haec hiant et laxa sunt, centies Phaedri oratio ita iuuari debet, si vero inseri debet, aptius legeretur, *in sterculino vt pullus Gallinaceus.*

3 *Quanta res,*] O *quanta* Rittersh. Gudius et Heinsius; sed, vt ingrata repetitio sequenti versu vitetur, pro *o si* reposuerunt viri docti *hoc si.* Cl. Bentlejus *te si,* ex Romulo. potuisset et ex Anonymo, et Rimicio, qui, *si de cupidus inuenisset.* immo iam Guyetus praeiuerat, qui,

O si quis pretii cupidus te vidisset hic.

Illud *te* recipere non repugno, quia sequitur *redisses.* cum *hoc* sit ex coniectura seque, ac *Te:* reliqua auctoribus suis redono.

5 *Maximum.*] Iam olim Neueletus monuit Rimicium, et ego Romulum, *pristinum* habere, vnde arripuit hoc Bentlejus; nec mihi displicet, si libri addicerent.

6 *Qui te inueni?*] Accedo Gudio, pro quomodo capienti. Tollium ad Ausonium legere:

Ego quod te inueni, potior cui multo est cibus
Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potest.,

testatur Hoogstratanus, et sequitur. vt et Bentlejus, qui *τὸ potest* adscribit Heinsio. sed recte Freinshemius hic zeugma agnoscit, siue malis defectum vnius verbi, vel diuersorum constructionem temporum eiusdem verbi, cum duo requirat integra oratio, et vnum modo exhibeatur, agnoscere: sic Tacit. XIII. 56. *Deesse nobis terra, in qua viuamus, in qua moriamur, non potest.* vbi vide notas. propius accedit Ouid. Ep. V. 153.

Quod

(52) FAB. XIII.

* *Apes et Fuci, Vespa iudice.*

Apes in alta quercu fecerant fauos.
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, vespa iudice,
Quae genus vtrumque nosset quum pulcherrime,
5 Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconueniens corpus, et par est color,
In dubium plane res vt merito venerit.
Sed, ne religio peccet imprudens mea,

M 5 Aluos

Quod neque graminibus tellus fe-
cunda creandis,
Nec Deus, auxilium tu mihi
ferre potes.

vbi in primo membro deest *potest*, vel *possunt*. Valer. Flac. V. 663.

An vllas praeferre preces, nec foe-
dera regis
Vlla sequi? caeca sed cuncta im-
pellere pugna
Debuimus?

vbi deest in prima parte *debuerunt* Minyae preces proferre, et deinde, an nos debuimus omnia impellere. sic infra IV. fab. 4. cum praecessit *ne possideant*, sequitur *conferant se-stertia*, vbi *vt* deberet interponi: vid. et IV. XVII. vs. 31.

FAB. XIII.

* *Apes et Fuci.*] Apte ficta fabula: inter apes enim et fucos rixa fere perpetua est. vide Columell. lib. IX. cap. 15.

1 *Fecerant*] *Vt fecerunt* Cl. Bentl. sine vlla necessitate, insuaui repetitione et elisione literae *u*, *quercu vt*.

3 *Deducta*] Est proprium in hac re verbum, quia omnia *deduci* dicuntur, quae in locum quemdam feruntur, in quo non solemus morari aut habitare. Ita de feminis Quinctil. Decl. VI. 17. *non militaris vos, non forensis ratio deducit*: scil. a sedibus, domo et patria, vbi vide. supra lib. II. fab. 1. *Viator deductus in eumdem locum.* et ita etiam qui rei ad Tribunal rapiebantur, *deduci in forum* dicti, vt Valer. Max. VI. I. 2. de Virginio, *deductam in forum puellam occidit.* nim. a cliente illo Claudii, qui in seruitutem vindicabat: nec opus est *seductam* cum Lipsio legere et de patre intelligere, qui etiam cogitur legere, *seductam in foro occidit*: sic supra fab. 10. *protrahi* illustrauimus paullum aliter: *Scipio deductus in forum* apud Valer. Max. III. VII. 1. nimirum comitante caterua amicorum, et ingenti frequentia eorum, qui reo adesse volebant. *productum in rostra* dixit VI. I. 7.

7 *In dubium venerit.*] Illustrauimus hanc locutionem ad Ouid. Ep. XVI. vs. 138.

8 *Religio*] Haec propria iudicibus vox, qui iureiurando adstringebantur. vt l. 2. ff. si vsufr. petat. *ad iudicis religionem pertinet*, et alibi. infra IV. XXV. 26.

Aluos accipite, et ceris opus infundite,
10 Vt ex sapore mellis et forma faui,
De quis nunc agitur, auctor horum adpareat.
Fuci recusant: Apibus conditio placet.
Tunc illa talem sustulit sententiam;
Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.

Qua-

9 *Aluos*] Ita MS. et versus ratio exigit, pro *alueos*. sic quoque codices MSS. exhibere non vno loco in Declam. XIII. Quinctiliani monuimus. vide ad cap. X.

9 *Opus*] Et hoc de Apibus, mel facientibus, proprium esse recte docuit Schefferus. Columel. IX. 7. *Vicinas apes conterat, quae omnem motum imbecillis cereis operibus suis tanquam ruinam timent.* et cap. 8. *cum in propinquo sunt, iustis operum peractis, se recipiunt.* ita pauper de apibus suis apud Quinctil. Declam. XIII. 3. *habebam qui pro me opus facerent*, et ita saepius in illa declamatione. et Graecos etiam ἔργον ita sumere docuit Vir Illustr. Ez. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Iouem vs. 50.

11 *De quis nunc agitur.*] Ex formulis ICtorum desumptum. vide quae notamus ad Quinctil. Decl. VIII. cap. 16.

13 *Tunc illa talem sustulit sententiam;*] Cum *sententiam tollere* dici vix queat, (nam hic fingere alludi ad lapillos in vrnam dimissos absonum credo) nec *sustulit* pro *tulit* commode possit capi, hic varia commenti sunt interpretes, ex quibus nihil fere placet, praeter illam Gudii emendationem,

Tunc lata litem sustulit sententia.

versu concinno et sensu optimo. nam elisiones vbique affectare, vbi non sunt a manu auctoris, putidum puto, vt, *tunc illa hac litem sustulit sententia.* sine illo *hac* lector satis intelligit Phaedrum sequentibus verbis eam indicare. *ferre* quidem *sententiam* est sollemnis locutio de iudicibus. vt Ouid. XV. Met. 43.

Nunc quoque sic lata est sententia tristis.

Iuuen. II. Sat. 62.

De nobis posthac tristis sententia fertur.

sed hic tollitur non sententia ipsa, sed lis per sententiam. *Tollere* vero proprium ICtis verbum, vt ita passim *tolli* omnia dicuntur, quae finiuntur et soluuntur, vt actiones, obligationes, et similia, vt videri potest in Brissonii Lexico: et de litibus praecipue l. 37. ff. de recept. qui Arbitr. *non differendarum, sed tollendarum litium caussa ad arbitros itur.* Heinsius in Epist. XIV. ad Schefferum tentabat etiam, *Tunc illa talem in hos tulit sententiam.*

14 *Apertum est,*] Certiorem se de veritate iudex profitetur, quam vulgo solent, qui per *videtur* pronuntiabant, vt lib. I. fab. 10. sed in formula iudicis dati cum esset, *si paret eum debere, condemna:* et iam hoc pareret, iudex in praefatione sententiae suae sibi et omnibus hoc *apertum* esse pronuntiare poterat, id est, sibi parere et liquere.

14 *Non possit,*] De ellipsi alterius verbi *facere*, vel similis, vide Heins. ad Ouid. VIII. Met. 883. et in aliis etiam rebus hoc verbum *possum* poni absolute, subintellecto alio

15 Quapropter apibus fructum restituo suum.
Hanc praeteriissem fabulam silentio,
Si pactam fuci non recusassent fidem.

(53) FAB. XIV.

Aesopus ludens.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus quum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius, quam deridendus senex;

Arcum

alio verbo, docuerunt Lambin. et Torrent. ad Horat. Ep. XII. 12.

15 *Fructum*] Non placet hoc Scheffero, qui reponit *Fauum;* sed quid tunc fiet versui? quare hic non capio fructum, vt ex arboribus et satis, sed ex labore et opere, quo caruissent apes, si fuci caussam tenuissent. *Fruges* tamen etiam vocat Quinctil. Decl. XIII. cap. 13. *non frugum meorum primitias omni vere misi? &c. hoc tibi mittunt apes meae.* et cap. 15. *sine vllo rationis humanae ministerio totus fructus vltro venit.* sed *fructus* sunt omnia, quae capimus ex aliqua re, sic *maritimos* etiam *fructus* dixit Liuius XXI. 7. aeque ac *terrestres*, hi ex terra culta, illi ex piscatione et nauigatione colliguntur; ita apes fructum ex opere suo faciunt, qui ad eos redit, vt fruges ex terra culta ad homines.

7 *Si pactam non recusassent fidem.*] Haec se omnino quid significent, nescire fatetur Cl. Bentlejus, nec *pactam fidem* dici posse, cum pactio nulla interuenerit, contendit. Hinc legit insigni innouatione, *Si legem fuci non recusassent datam.* sed recte Aduersarius notat, Vespam fuisse ex pacto iudicem, vt lib. I. fab. 10. nam et iudex pro arbitro centies ponitur, qui convenit inter litigantes, et cuius sententiae se acquieturos promittunt. et *pactam fidem* saepe nihil aliud esse, quam promissum constat. vt Ouid. VI. Ep. 41. et III. Fast. 485. *Heu vbi pacta fides!* XX. 7. *Coniugium, pactamque fidem, non crimina posco.* et ita alibi. vide ad Ouid. XI. Met. 135. *fidem* enim *promissum* notare docuit summus Gronov. ad Senec. IV. de Benef. cap. 35. *recusare* vero *fidem pactam* est, recusare fidem praestare. vt supra h. l. Fab. 2. *Damnum haud recusans,* scil. *facere.* vt fere in omnibus his locutionibus. *non recuso mortem, supplicium,* scil. *subire,* et ita porro. Respici hic ignauos, qui versus Phaedri sibi vindicauerant, censet Guyetus, nec extra veri speciem; vt Virgilianum illud huc posset referri:

Sic vos non vobis mellificatis apes.

et fortasse intercesserat merces, qua Phaedrus conductus illis versus scripserat, quos negata merce, sibi reposcebat; et hinc ad arbitrum *Vespam* itum, sub quo etiam latere certum hominem, vel hominum quoddam genus, putem.

FAB. XIV.

4 *Derisor*] Hic non debet capi tamquam vitio daretur, cum laudi etiam sit, et ita *Derisor* etiam Socrates

5 Arcum retenſum poſuit in media via:
Heus, inquit, ſapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus: Ille ſe torquet diu,
Nec quaeſtionis poſitae cauſſam intelligit:

Nouiſ-

crates vocetur Senecae lib. V. de Benef. 6 quia per figuras, et maxime Ironiam ſibi familiarem, loqui ſolebat. vide Perizon. ad Aelian. Var. Hiſt. lib. XIV. cap. 15. nec multum abit Ampl. Cuperus, qui IV. Obſ. 4. exponit *deriſorem* ἐλεγκτικόν. ſed alio ſenſu videtur ſumi in lapide apud Fabrettum cap. III. pag. 148. L. FABIO IANVARIO QVI ET DERISORI. et pro mimo ſumitur apud Martial. I. 5. vbi *deriſor Latinus*. Cuperus vero d. l. indignatur Aeſopum in indicibus Phaedri etiam *garruli* epitheto inſigniri. Deceptus certe Vir doctiſſimus indice Schefferianarum editionum. vbi cum Aeſopus in capite poſitus eſſet, vt fieri ſolet, reliquis locis Poëtae, voces quaedam, quae ad *Aeſopum* debent referri, ponuntur vt *Senex.* 3. 4. *Deriſor.* 3. 15. et ita etiam perperam adiectum fuit *Garrulus* 3. 20. et ita porro: ſed in indice Freinshemiano legitur recte, *Aeſopus et Garrulus*, vt *Aeſopus et Atticus*. et in noſtro etiam indice hoc vitium ſublatum fuit. De magnis vero et ſapientibus viris, qui ludendo etiam cum pueris delectari animum remittere non detrectarunt, vide Aelian. lib. XII. Var. 15. et Valer. Max. lib. VIII. cap. 8. vbi exemplo exc. 1. *Socrates ab Alcibiade riſus eſt.* quod non eſt mutandum in *viſus*. *viſus* enim a pluribus, ſed riſit Alcibiades tantum virum, ſe ad pueriles ludos demittentem, qui vt noſter de Aeſopo, *deriſor* potius, quam *deridendus* erat: ideoque etiam in Valerio praeferrem *deriſus*; abſorpta nimirum fuit prima ſyllaba ab vltima in *Alcibiade*.

5 *Arcum retenſum*] Hinc ſaepe morum et diſciplinae moderatores exemplum repetunt. Quinctil. I. de Inſt. Orat. 3. *Danda eſt tamen omnibus aliqua remiſſio, non ſolum quia nulla res eſt, quae perferre poſſit continuum laborem; atque ea quoque quae ſenſu et anima carent, velut alterna quiete retenduntur.*

6 *Expedi, quid fecerim.*] In prioribus editionibus Schefferus coniecerat legendum eſſe, *expedi, qui id fecerim. qui*, id eſt quare, quamobrem, vt apud Ciceron. Tuſcul. V. Terent. Adelph. V. III. 14. ibique Donatum, et ſupra fab. XII. praeterea alii *quo*, alii *quod* legunt. Sed ego retineo *quid*; de verbo *expedire* vid. Cl. Graev. ad Iuſt. XLIII. 1 Terent. Eunuch. IV. IV. 27. *agedum, hoc mihi expedi.* et V. VI. 20. *ſed iſtuc, quidquid eſt, primum expedi.*

7 *Se torquet*] Dictum eodem modo, vt *ſe fatigare, laſſare*, de quo ad lib. II. 6. notandum Schefferus dicit, quod hic ſimpliciter ponatur. Sed Plinius aliquoties in Epiſtolis ita vſus eſt. ſic lib. VI. 7. *Tu tamen frequentiſſime ſcribe, licet hoc ita me delectet, vt torqueat.* lib. VIII. 12. *Non alienum exiſtimaui, ne te torqueres, addere ſtatim preſſius quiddam et exilius.* et captato etiam acumine lib. IX. 21. de liberto, quem cum patrono in gratiam reducere tentat, *ne torſeris illum, ne torſeris etiam te; torqueris enim, quum tam lenis iraſceris.* infra dixit noſter lib. IV. 19. *torquere ſpiritum.*

8 *Quaeſtionis poſitae*] Haec locutio ex Philoſophorum, Rhetorum et aliorum Scholis eſt deriuata, vbi

poni

Nouissime succumbit. Tum victor sophus:
10 Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris:
At si laxaris, quum voles, erit vtilis.

Sic

poni dicebatur materia vel controversia, de qua soluenda disceptandum et certandum erat. Senec. II. Nat. quaest. I *de terrarum motu quaestionem posuisti*. et ille saepius: et Cl. Perizon. ad Valer. Max. IX. XII. ext. 3. doctius esse censet, *quaestionem positam soluere*, quam *propositam*. Sympos. praefat. in Aenigm.

> *Nec mediocre fuit magni certaminis instar*
> *Ponere diuerse, vel soluere quaeque vicissim.*

Sic Lactant. Argum. fab. I. lib. VI. Metam. Ouidii: *quam cum in certaminis proposito vidisset permanentem, reuersa in speciem suam, opere posito, in certamen descendit*, vt legendum est, pro *opere proposito*, male reperita voce paullum ante praecedente. vide Cl. Graev. ad Cicer. IX. ad Famil. 26. et Cuper. III. Observ. cap. vlt.

9 *Victor sophus:*] *Victorem* vocat, sumpta locutione e certaminibus, vbi victus cum succubuisset, et manus porrexisset, tum demum *victor* pronunciabatur. vide quos adducit Alard. ad Valer. Flacc. IV. 323. Freinshemius respondet hic etiam cauillationibus Meursii.

9 *Sophus:*] Optimam huius appellationis rationem videbis apud Cl. Perizon. ad Aelian. Var. Hist. XI. 31.

10 *Cito rumpes arcum,*] Nec hoc mutari meretur; et loca a Rigaltio et Neueleto adducta, tuentur satis Phaedrum a cauillatione. sensus vero hic est; si *habueris*, id est, si velis habere, si hoc tibi proposueris, vt semper sit tensus arcus, cito, et facile *rumpes*, et non erit vtilis. *rumpes*, positum pro, *rumpetur arcus semper tensus*. vt millies in secunda persona loquuntur veteres; vide mox fab. XVI. 12 *corrumpere* vero arcum aliud est ac *rumpere*: ita pluuia corrumpuntur arcus, vt apud Flor. II. 8. *ad hoc imbre, qui subito superfusus, mira felicitate Persicos arcus corruperat etc.* vbi vid. Comm. Idem fere dicit Ouid. IV. Ep. 91.

> — — — — — *Arcus,*
> *Si numquam cesses tendere, mollis erit.*

vbi *mollis* de *neruo* debet capi, vt hic *rumpere* de *cornu*. et ibi rogare liceret, si semper tensus erit, quomodo *mollis neruus?* Sed continua intensione fit mollis neruus, aut rumpitur cornu. hoc *emollire* vocat Liuius XXXVII. 41. et Frontin. IV. VII. 30. *arcus madentibus neruis inhabiles factos*, dicit eodem sensu. *cito* vero hic debet explicari *facile*. vt notum ex illo Terentii Adel. III. IV. 80. *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice*. et Cicer. Brut cap. 76. *Sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim*. quod cap. 78. dixit *facile dixerim*. Ibidem cap. 67. *Sed eam vt citius veteratoriam, quam oratoriam diceres*. et ita Ouid. II. ex Pont. VII. 25. et VIII. 65. et alii saepe.

11 *Laxaris,*] Ita in Panegyr. ad Pisones, qui Lucano adscribitur.

> — *nec semper Gnosius arcu*
> *Destinat, exempto sed laxat cornua neruo.*

Ouid. Remed. Amor. 702.

> *Nec facer arte mea laxior arcus erit.*

Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior vt redeat tibi.

12 *Ludus debet dari,*] Certant commentatores, an *ludus*, an vero *lusus* debeat scribi: in MSS. vero variis in locis perpetua haec est variatio. vid. ad Valer. Max. V. I ext. 3. et certe *lusus* proprie puerilis dicitur, vt Quinctil. I. de Inst. Orat. 3. et Ouid. VIII. Met. 190. de Icaro,

—— lusuque suo mirabile patris Impediebat opus.

et de alea III. Art. 372.

Nudaque per lusus pectora nostra patent.

Senec. II. de Ira 9. *quid si pueris, quod ad lusus et ineptos aequalium iocos spectent.* Loca vero a Scheffero adducta patrocinantur *ludo*, vt *ludum dare* animo, sit indulgere animo, otium dare, vt Plautus Bacchid. IV. X. 7. *Sed nimis nolo desidiae ei dare ludum.* Casin. Prolog. 25. *ludus datus est Argentariis.* vide Lamb. et Torr. ad Horat. III. Od. 12. *amori dare ludum.* Tollium ad Cicer. pro Archia, *lusus debent dari*, legere notauit Hoogstratanus: et ita Freinshemius legisse videtur; ego parum referre arbitror: in rem apposite Valer. Max. VIII. cap. VIII. 2. *rerum natura continui laboris patientem hominem esse non sinit.* vbi deinde Scaeuolam etiam *scurrilibus lusibus* delectatum fuisse scribit. Qui lusus maxime exercuerunt viros doctos, vt videri potest in notis. Sed mihi *puerilibus* placet, quod vtrisque conuenit *pilae et aleae.* de pila omnes consentiunt. sed *alueum et calculos* seniles lusus esse credunt. fateor illis fuisse vsitatos, sed revera erant puerorum, seu iuuenum; quibus tamen senes diebus festis, et in coenis vacabant, quasi ad pueritiam redeuntes; et non sine quadam excusatione, quod a rebus seriis ad lusus se referrent: vt ex Sueton. Aug. 71. patet. quia vero iuuenes abutebantur, lege interdictum fuit his lusibus, vnde *vetita legibus alea* Horat. II. 24. nimir. aliis, praeter festis diebus. Vide Suet. Dom. 21. Macrob. I. 5. Mart. IV. 14. et V. 85. Erant ergo revera lusus *iuueniles et pueriles*, sed adolescentibus etiam interdicti in popinis et ganeis, et passim. Senes extra legis poenam exercebant. Cicer. de Senect. 16. Eodem faciunt illa Iustini lib. XXXVIII. 9. de Demetrio, qui *talis aureis ad exprobationem puerilis leuitatis donatur.* atqui *talis* ludebant senes etiam, sed lusus ipse puerilis erat. vide supr. III. 8.

13 *Redeat tibi.*] Tollius ibidem reposuerat *sibi.* Heinsius, *vt redeat tibi*; sed vulgata sana est: sermo enim est Aesopi ad populum, qui concurrerat, Iratus Demipho apud Terent. in Phorm. II. I. 11. *ita sum irritatus, animum vt nequeam ad cogitandum instituere.*

FAB.

(54) FAB. XV.

Canis ad Agnum.

Inter capellas agno balanti canis,
Stulte, inquit, erras, non eſt hic mater tua:
Ouesque ſegregatas oſtendit procul.
Non illam quaero, quae, cum libitum eſt, concipit;
5 Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Nouiſ-

FAB. XV.

1 *Balanti*] *Vaganti* Rimicius habet; quod firmaret *palanti* Praſchii. Pro cane etiam lupum inducit Rimicius. ſed veroſimilius *Cani* Phaedrus dat partes, qui, cuſtodiae cauſſa gregi additus, apte colloqui fingitur cum agno. *Palanti* etiam recepit Bentlejus a mea recedens editione. ſed recte Schefferus *balatu* quaerentem matrem exponit. Ouid. VII. 319.

Et tener auditur medio balatus aëno.
Nec mora, balatum mirantibus exſilit agnus,
Laſciuitque fuga, lactantiaque vbera quaerit.

hinc Apulejus de Deo Socratis, *balantes* ab *hinnientibus* et *mugientibus* diſtinguit. ſed hae diſcrepantiae ſunt, de quibus in aeternum litigare poſſumus, cum vtraque habeat, quo ſe tueatur. Sed vulgata lectio ſemper in his praeferenda, et praecipue hic, quia maxime *balant* anxiae, et aegrae oues. Ouid. VII. 540. *Lanigeris gregibus balatus dantibus aegros.* vide Gudium. *vagientem* dixit Martial. III. 58. Cogitandum puto, an non huc referri poſſit ſingularis Imperatoris Gallieni nummus, in quo conſpicitur infans ſub capella; et quem de adiectis vel expoſitis infantibus, quos recolligi, et quibus alimenta praeſtari curauit Gallienus, explicat Chamillartus Epiſt. XI. pag. 50. Et ita haec fabella exhibet duros parentes, qui temere infantes abiiciunt aut negligunt, qui deinde ab aliis ſuſcepti et nutriti, meritum agnoſcunt, et ſe plus debere nutritorum bonitati, quam naturae neceſſitati, quae parentes dedit, fatentur.

5 *Onus ignotum*] Hoc diſplicet Cl. Bentlejo, quia eo ſenſu etiam pulmones, cor et inteſtina *ignota* eſſe dici poſſunt: quis dubitat? ſed ſemper intendendus animus eſt ad finem ſcriptoris; qui hic non eo ſenſu *ignotum onus* dicit, quia mater ignorat ſe gerere vtero onus, vt ignorant rudes homines, quid corporis ſui in penetralibus geſtant: multi enim, rudes et ignari, ignorant ipſa, quae geſtant, viſcera. non neſciebat vero mater ſe onus gerere: ſed vel *ignotum* omne dicitur, quod abſconditur, quod oculis non patet, vt Virg. I. Aeneid. 359. theſauros *ignotum pondus* auri vocat, quia abdiderat Dido. Vel, quia mater praegnans ipſa ignorat, an album, an nigrum, an maſculum, an feminam ſit paritura; vt ſequentia docent. *ingratum* vero *onus*, vt reſtituit Bentlejus, minime gerit, quia nihil gratius foetura matri eſſe ſolet, et inter homines, et inter pecudes ingens erga foetum ſolet eſſe affectus. Vt vero hoc commentum probet,

Nouiſſime prolapſam effundit ſarcinam;

Verum

probet, adducit locum Catulli ex Carm. LXIX.

Ingratum tremuli tolle parentis onus.

quem nullus interpretum de foetu in vtero latente cepit. ſed plurimi in eo cum praecedentibus et ſequentibus coniungendo laborant, et ſe non intelligere fatentur. Scaliger de patre moleſto, et qui filii amores nolebat ferre. quod et notauit vir doctus Anonymus. Quare debuiſſent prius explicari obſcura illa Catulli verba, antequam aliis obtruderentur: *ingratum* eſſe poſſet puellae onus, quae furtiuo coitu conceptum abigere tentat. Vt Canace apud Ouid. XI. 37. et ſeq. et Corinna apud eumdem II. Amor. 14. et aliae I. Faſt. 624. aut quibus ex forma commendatio omnis petitur. grauidae ideo abſcondunt tumeſcentem vterum. *quia* indecens onus videtur, et vt intra viſcera conceptas ſpes liberorum elidant, vt Seneca Conſ. ad Helv. cap. XVI. eas deſcribit, et ſimiles. Sed matribus iuſtis gratiſſimum onus hoc eſſe ſolet. non ergo epitheta debent ſumi a ſceleratis mulieribus, quibus *crimen* et *onus* ſimul eſt partus; ſed a piis, et quae naturae incommoda etiam vehementiſſime amare ſolent. denique *ignotum* vtrisque aptum eſt, *ingratum* tantum nefariis matribus, quare recte Hypſipyle apud Ouid. Ep. VI. I. 20.

Dulce mihi grauidae fecerat auctor onus.

rectius huc illa Ouidii ex II. Amor. XIII. 20. aduocantur de puellis.

Quarum tarda latens viſcera tendit onus;

et Senecae Epiſt. CXXIV. *Ille, qui maternorum viſcerum onus latens eſt.* De voce *onus* Heinſius plurima collegit ad Ouid. III. Faſt. 718. vbi hunc Phaedri locum laudans, ſiue memoriae fidens, ſiue ita legendum eſſe cenſens, prodit

Portat onus incertum certis menſibus

quod tamen minus placet propter illum luſum et alliterationem, in *incertum* et *certis*: plura de τῷ *onere* vide ad lib. I. 18. apud interpretes.

6 *Prolapſam*] Ita amant loqui de partu, maxime inauſpicato, vt notat Schefferus. Addo et cum, vt hic agnus, non agnoſcere volunt aut laudare naturae beneficium. Sedul. IV. 252.

Qui male praegnantis delapſus ventre parentis.

et eodem facit verbum *effundit*, quaſi matris paruum dolorem in pariendo indicans: diminuit enim agnus merita matris in prolem. ita Senec. Epiſt. CXXI. *animalia e materno vtero, vel quoque modo, effuſa.* Focas in vita Maronis

Haec cum maturo premeretur pondere ventris,
Vt ſolet in ſomnis animus ventura repingens
Anxius, et vigili praeſumere gaudia cura,
Phoebei nemoris ramum fudiſſe putauit.

Virg. VIII. Aen. 138.

—— —— Quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

vbi vide Seruium et Cerdam. Seren. Sammon. LX.

Nudum hominem primum mater natura profudit.

Lucilius apud Non. in *poſtica.*

Non

Verum illam, quae me nutrit admoto vbere,
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non ita est.
10 Vnde illa sciuit, niger, an albus nascerer?
Age porro, scisset: quum crearer masculus,

Bene-

Non peperit, verum postica parte profudit.

Apulej. V. Metam. *Haec autem novissima, quam foetu satiante postremus partus effudit.* Quem videtur imitatus Auctor Declam. VI. 10. sub nomine Quinctiliani, *non genuit filium, sed effudit.* vide Barth. ad Statii Epist. ad Stellam pag. 6. et ad X. Theb. 799. Inter fragmenta Ciceronis ex Oratione in Pisonem legitur, *Quae te bellua ex vtero non hominem fudit.* vbi mallem *belluam*, vt habet Seruius ad Virgil. VIII. Aeneid. 139. vbi etiam docet hoc verbo celeritatem parientis significari. Iuuenal. Sat. I. 150.

Iamque aderat tempus, quo iussum fundere foetum.

Eleganti etiam metaphora hinc petita Cicer. II. de Nat. Deor. 32. *Terra grauidata seminibus omnia parit et fundit ex se.* et simili translatione Ioannem Baptistam Sedulius lib. II. 146. *muto genitore fluentem* dixit.

8 *Fraudat*] Terent. Phorm. I. 1. *suum defraudans genium.* infr. IV. 19. *ipsum te fraudas cibo.*

9 *Tamen*] Vid. ad lib. III. fab. 7.

9 *Illa est potior, quae te peperit.*] *Vera mater* Romulus. *verior* autem Rimicius, quod non displicet. sed vt versui consulatur, legerem,

Tamen illa est verior, quae peperit. non ita est.

vt *parere* absolute ponatur, quemadmodum lib. II. fab. 4.

Felis, cauernam nacta, in media pepererat.

Terent. Andr. III. I. 14. *hanc simulant parere.* Adelph. III. I. 3. *iam nunc times, quasi numquam adfueris, numquam tute pepereris.* Hecyr. IV. I. 16. *cum et recte, et tempore suo pepererit.* et ita ille saepe. Ouid. III. Fast. 124.

Sed quia bis quino femina mense parit.

V. Fast. 242.

Et parere intacto, dummodo casta, viro.

et ita passim ille et alii, et mox *gignere* eodem modo ponitur apud nostrum. *Potior* vero mox sequitur vs. 15. vnde et huc irrepsisse puto.

10 *Ater an albus*] Prouerbii locum obtinet. Plaut. Pseud. IV. VII. 99. *Hunc ergo hominem nullius coloris noui.* albae vero oues praeferuntur, ideoque si nigra nasceretur, illa citius ad lanium deferebatur. vnde Columell. VII. cap. 2. *color albus cum sit optimus, tum etiam vtilissimus, quod ex eo plurimi fiunt, neque hic ex alio.* et cap. seq. arietem probatum, *si vellere candido vestitus,* dicit. sic ergo non debere se matri, quod non ad lanium fuerit delatus, indicat, quod sequentia etiam innuunt.

11 *Crearer*] Vid. ad lib. I. fab. 6.

Beneficium magnum fane natali dedit;
Vt exfpectarem lanium in horas fingulas.
Cuius poteftas nulla in gignendo fuit,
15 Cur hac fit potior, quae iacentis miferita eft,
Dulcemque fponte praeftat beneuolentiam?

Facit

12 *Beneficium*] Metrum vix conftat, nifi *cium* contrahatur in vnam fyllabam, vt cenfet Hoogftratanus, exemplo P. Syri id firmans. vide ad lib. I. fab. XXX. vf. vlt. fed Heinfio hoc non placere paret, qui correxit,

Beneficium natalis an magnum dedit?

Sed ita perit omnis ironiae venuftas, cui vnice inferuit particula *fane*, qua etiam vtimur, quando quafi concedimus. vt nofter aliquoties, et millies in Declamationibus. vid. ad Quinctil. Decl. II. 18. et IV. 6. eodem modo Heinfius apud Ouid. XXI. Ep. 213.

Quid tamen huc venias, fane vt miferabile corpus
Ingenii videas bina tropaea tui.

pro *fane* reponebat *anne:* quare nefcio an non Salmafiana lectio, *nato*, pro *natali* fubftituens, fit probanda.

13 *Exfpectarem*] Recte Schefferus huic verbo continuam follicitudinem ineffe notat. eft enim idem quod *timerem*, vt docui ad illa Petronii cap. CXXV. *Quidquid meruerunt, femper exfpectant.* pro anxie circumfpicio, etiam quae vtilia funt, faepe poni docuit eruditiffimus Cortius ad Salluft. Iugurt. cap. XIV. mafculi vero ad caedem magis deftinati, cum agnae ad foeturam, et ad lac et cafeos ali foleant, et vnus aries gregi fufficere poffit. vnde *vir gregis* dicitur.

14 *Gignendo*] Et hoc abfolute hic ponitur, vt modo *parere.* Cicer. I. Tufcul. 42. *idcirco genueram, vt effet, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.* vbi Cl. Daniefius oftendit *gignere* etiam de feminis dici, hoc prolato Phaedri loco, quem ab Heinfii correctione vindicauerat in priore editione. et ita apud Ouidium mutaffe librarium *genuit* in *peperit* vidimus ad lib VIII. Metam. 29.

15 *Quae iacentis miferita eft,*] Sunt haec intricata, nec extricat fe Schefferus. Quae iacentis miferita eft, non eft alia, quam cuius poteftas nulla fuit in gignendo. vult vero oppofitionem facere, et matrem comparare cum ea, quae vbera praebet relictae a matre. Quare forte haec corrupta ita poffent emendari,

Cuius poteftas nulla in gignendo fuit,
Cur hac fit potior? quod, iacentis miferita eft.

hac, fcilicet vera matre: eft vero interrogatio canis, qui hoc quaerit, cur illa, quae vbera praebet, et cujus nullae partes fuere in gignendo, potior fit vera matre? refpondet agnus, *Quod iacentis miferita eft,*

Dulcemque. etc.

16 *Sponte praeftat*] Cl. Bentlejus commodiorem verfum putat fore, fi legamus, *praeftat fponte beneuolentiam.* nefcio an tribrachys fit concinnior dactylo, et an tres fyllabae, omnes e breue vocalem habentes, ita fuauiter ad aures accidant. quod alibi culpant metrorum arbitri.

Facit parentes bonitas, non neceſſitas.
His demonſtrare voluit auctor verſibus,
Obſiſtere homines legibus, meritis capi.

(55) FAB. XVI.

Cicada et Noctua.

Humanitati qui ſe non accommodat,
Plerumque poenas oppetit ſuperbiae.
Cicada acerbum noctuae conuicium
Faciebat, ſolitae victum in tenebris quaerere,
5 Cauoque ramo capere ſomnum interdiu.

17 *Neceſſitas.*] In hanc ſententiam vide Ciceronem ad Quirit. poſt reditum cap. 11. et Declamationes ſub Quinctiliani nomine editas, XV. CCLXXVIII. et CCCLXXII. praeterea Barth. ad Stat. II. Silv. I. 87. Non vero intelligenda illa *Neceſſitas*, Ανάγκη, quam Deam ſupra Iouem et omnes Deos colebant, et alii *Fatum* interpretabantur. vide Cicer. I. de Nat. Deor. 10. et de Fato 12. et alibi, et de qua multi multa dixerunt. ſed, vt recte Gronouius et alii, Ordo naturae; vt ita de morte *neceſſitatem* Horat. III. Ode 1. dixit, vt hic de naſcendi ordine, et quo a natura eſt conſtitutum an maſculus an femina naſcatur: et an his vel illis parentibus edatur aliquis: et hinc forte apud Valer. Max. VI. I. 1. de Lucretia, *cuius virilis animus, maligno errore Naturae, muliebre corpus ſortitus eſt*, pro *Fortunae* legendum; quae voces paſſim confuſae. mox *leges* vocat, per quas naturae ordinem intelligit. vid. ad Valer. Flacc. I. 213.

FAB. XVI.

2 *Poenas oppetit*] Obuia locutio, vt et *mortem oppetere*, ſed etiam ſimpliciter *oppetere*, pro mortem occumbere dixit Val. Flac. I. 553.

Quot proceres notosque Deum, quae robora cernes
Oppetere?

et Plin. X. 3. *Oppetunt non ſenio, nec aegritudine, ſed fame.* Iohnſonius edidit *appetit* et explicat, in ſe deducit. quis vero *appetit* poenas? quas effugit quisque pro ſe. ſed *oppetit*, quae ipſi ſuperuenit, poenam, nec exſpectat, nec *appetit*. rectius *appetere cibum* dixit lib V. 14. et *Vuam.* lib. IV. 2. et *dente* IV. 7. Quicumque notat aliquid noui in ſcriptore, debet illa auctoritatibus probare: nihil enim faſtidioſo huic ſeculo obtrudi poteſt, niſi firmetur argumentis.

3 *Conuicium faciebat,*] Vid. ad Ouid. Remed. Amor. 507.

5 *Cauoque ramo*] Heinſius *cauoque rami*, quia *cauus* et *cauum* ſubſtantiue a noſtro et aliis ponitur. Parum refert: vid. ad lib. II. fab. 4. ſed Cl. Bentl. neſcit *cauos ramos*, et ideo legit, *cauoque trunco*. quia ſcilicet Apes in cauo trunco mel faciunt, ideo etiam noctua debet dormire in cauo trunco. certe de

Rogata est, vt taceret. Multo validius
Clamare coepit. Rursus admota prece,
Accensa magis est. Noctua, vt vidit sibi
Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,
10 Hac est adgressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinem,

Potare

de apibus etiam Ouid. III. Fast. 752.

Atque auide trunco condita mella petit.

et III. Amor. VIII. 40.

Quercu mella reperta caua.

et noster paullo ante, *in quercu alta fecerant fauos* fab. XIII. Sed neque apes *cauos ramos* spernunt, et in iis mel suum ponere aeque solent, atque in truncis: Columel. IX. 8. *sin autem sedem habent arboris cauae, et aut exstat ramus, quem obtinent, aut sunt in ipsius arboris trunco.* Vbi vides vel in ramo exstanti, vel in ipso trunco sedes apium. Iam vero ille ramus cauus esse facile intelligitur, quia praecessit arbor caua, quae non tantum in trunco, sed et in ramo caua esse potuit. et sequentia de serra hoc indicant. Et clarius (nam scio quid cauillator aliquis possit de illo loco argutari) Pallad. in April. tit. 18. *si vero in cauae arboris ramo fuerit,* etc. qui minus ergo in cauis ramis noctuas interdiu latitasse credamus? antequam vero tales emendationes obtrudamus, et veteres auctores diligenter perlustrasse, et naturam ipsam excussisse oporteret. Quis enim dubitet, quin in siluosis et vastis regionibus apes deprehendantur in cauis ramis adhuc hodie?

6 *Validius*] Vid. ad lib. I. fab. 19.

7 *Admota prece,*] In editione Gronouii est *admonita,* quo nomine egregie vapulant editores ab Hoogstratano. sed operarum vitium esse potest, quia in indice laudant *admota.* vid. lib. I. 19. et IV. 25.

10 *Adgressa fallacia:*] Non opus esset haec explicare, et verbum *adgredi* de sermone subdolo, quo fallere cogitamus aliquem, poni, vt Terent. Phor. V. VII. 75. *satis astute adgredimini.* Virg. IV. Aen. 92. *Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis.* et quae passim plura obuia; nisi videremus haec ita Gallice verti. *le Hibou se servit de cette finesse pour attaquer cette causeuse.* an hunc interpretem vim verbi *aggredi* intellexisse credemus?

12 *Sonare cithara quos putes Apollinis,*] *Citharam* plerique corrigunt, sed duplex ille accusatiuus facit obscuram orationem, et ambiguam. vid. Quinctil. lib. VIII. de Inst. Orat. 2. nam vel, *cithara sonat cantus*, vel *cantus sonant citharam,* capiendum est. sed rectius foret *cantus sonant Apollinem*, vt *vox hominem sonat* apud Maronem et alios passim. Quare accederem Guyeto, et aliis, qui legunt *cithara* et *Apollinem*, et tunc sensus egregius oritur,

Sonare cithara quos putes Apollinem.

id est tam egregios, vt ipsum Apollinem putes cantus cithara sua sonare;

Potare est animus nectar, quod Pallas mihi

N 3 Nuper

sonare; *putes* enim est indefinite positum, (vt fab. XIV. 10. *rumpes*) id est, vnusquisque qui audit, crederet non Cicadam, sed Apollinem canere cithara. fefellit quosdam interpretes illud *putes*, quod cicadam respicere solam crediderunt. sed ita centies Ouidius et alii: ille III. Art. Am. 288.

Cum risu laeta est altera, flere putes.

I. Met. 242.

In facinus iurasse putes.

XI. Met. 113.

Hesperidas donasse putes.

et ita passim etiam in aliis verbis. vid. ad Vellej Paterc. II. 118. Ouid. III. Amor. II. 28. et ita explicant illa Matthaei I. 23. *καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτῶ* EMMANOTHA. vt legendum putant Drusius I. Misc. 72. et Grotius ad illum locum. et eodem sensu Ouidius etiam et Petronius saepius *putares*. vid. ad Petron. cap. VII. sed hoc obuium: alterum, quod non aduertit viros doctos, est sarcasmus ille Noctuae hic cicadam Apollini comparantis; sed debuissent sequentia verba, *potare est animus nectar*, considerare propius, quorum sensus, tu cantu tuo, quo Apollinem aequas, ita me alacrem facis, vt nectar potare sit animus: notum enim est in epulis deorum, quoties sublatis primis mensis nectar, quod coeleste vinum est, apponebatur, Apollonis et Musarum fuisse partes, cithara deos potantes oblectare. vide quae diximus ad illa Val. Flac. V. 693.

Tunc adsuetus adest Phlegraeas reddere pugnas,
Musarum chorus, et citharae pulsator Apollo.

et hoc obuium. *sonare cithara* vero satis probant adducta a Scheffero, et etiam ipsa dici potest *cithara sonare cantus*, cum talem sonum edit, qui ad cantum est accommodatus. vt ita diuersae *chordae, diversa sonant* Ouidio X. Met. 146. et ita *resonare* apud eundem II. Amor. VI. 6.

Pro longa resonent carmina vestra tuba.

vbi vide. fallax ergo noctua decipere studens cicadam, laudat eius vocem: *sonare* vero accusatiuum regere notum est. sic *magnum sonare* Valer. Flac. I. 262. *verba ere* (vt hic *cantus cithara*) *sonare* in Eleg. ad Liuiam. 446. *sonari* quod Heinsius mallet, satisfacit quidem verbi constructioni, sed mihi alium sensum efficere videtur. *Sonari* enim *cantus cithara Apollinis* significaret, laudantur, celebrantur ab Apolline, vt exempla, quae adducit, probant. sed actiua forma Ouid. X. Met. 205.

Te Lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt.

Sic *siluae Amaryllida resonant*, et quae sunt plura obuia. vnde patet quam leui manu, saepe viri doctissimi et quasi in transitu loca veterum tractent.

13 *Potare*] Recte Schefferus notat plus esse quam *bibere*, est enim largius se inuitare. Senec. Epist. CXXII. *vt inter nudos bibant, immo potent.* sic Ouid. III. Art. 761.

Aptius est, deceatque magis potare puellas,

et II. Fast. 317.

Dumque parant epulas potandaque vina ministri.

III.

Nuper donauit, si non fastidis, veni;
15 Vna bibamus. Illa, quae ardebat siti,
Simul cognouit vocem laudari suam,
Cupide aduolauit. Noctua, egressa e cauo,
Trepidantem consectata est, et leto dedit.
Sic, viua quod negarat, tribuit mortua.

(56) FAB. XVII.

* *Arbores in Deorum tutela.*

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Diui legerunt arbores. Quercus Ioui,

Et

III. Fast. 525.

Plebs venit, ac virides passim disiecta per herbas
Potat.

vnde luxuriosa vita his fere describitur verbis, *amare et potare* Terentio Adelph. I. 1. et Sallustio Catil. XI. et Iug. LXXXV. vid. Broukh. ad Tibul. I. XI. 31. et hinc *potus* et *bene potus* de ebrio, eadem forma vt *iuratus*, et similia. et hinc lib. IV. fab. 4. *potrix*, est ebriosa, et ideo hoc verbo vtitur, quia genio indulgere se velle fingit.

15 *Ardebat siti,*] Hoc verbum in hac re saepe confusum a librariis fuit cum *arere siti*. vid. ad Ouid. Epist. 174.

16 *Simul*] Id est, simul ac, vt centies. sed non intellexit interpres Gallicus. vid. fab. XVIII. 4. et alibi.

17 *Egressa e cauo, trepidantem*] Dubitat iure Gudius, an haec ex MS. Pithoeus ediderit. non enim admodum elegans est locutio, cum praester et vsitatius sit *egressa cauo*, vel *cauum*, vide ad Ouid. III. Metam. 388. et ita Valerius Maximus saepe vtroque casu vtitur, *egredi vita*, et *vitam*, *vrbe* et *vrbem* etc. vid. VII. III. ext. 1. et 10. sed inelegantius est, quod in editione, quae Cl. Gronouii nomen prae se fert, exhibetur, *egressa a cauo*. quod qua auctoritate factum sit nescio, cum et in indice sit, *egressa e cauo*. Non absimilis vero quoque est Gudii couiectura altera, *egressam cauo*, vt intelligatur cicada, quae huc vsque latuerat in cauo suo, nunc vero inuadente eam noctua trepidat, et festinat euadere. id enim est *trepidare*, vt recte explicant viri docti inf. lib. IV. 4. nec recte hinc *crepitantem* substituit Heinsius: hoc enim et alias cicada facere solet, sed hic instante periculo *trepidat*. vnicus superest scrupulus, qui vulgatam praeferendam esse suadet, quod duplex epitheton, *egressam trepidantem*, non eleganter videatur apponi. licet et lib. I. 9. *oppressum fletus edentem* dixerit. sed ibi facilius concoquo, quam hic quare vulgatam seruare placuit.

FAB. XVII.

* Hanc fabulam, eruditis iam satis notum est, ex Scriuerio ad Martial. III. Ep. 20. Perottum quasi

Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybebae; populus celsa Herculi.
5 Minerua admirans, quare steriles sumerent?
Interrogauit. Caussam dixit Iupiter;
Honorem fructu ne videamur vendere.

N 4 At

quasi suam orbi literato obtrudere voluisse. ita imposuit certe Antonio Augustino Dialog. V. Antiq. in fin. pag. 87. Vir vero doctus, qui auxit et illustrauit Menagiana tom. IV. p. 118. non videtur legisse, quae Gudius et alii de Perotto hic notauerant: nam et *Cybelae* retineri, et secundam produci, quia Graeci Κυβέλη et Κυβήλη dicebant sine discrimine, statuit, sed non probat. deinde versu tertio, vbi *Phoebo laurus* exhibetur in Perotto, ille succurrit versui adiiciendo copulam etc.

—— *Phoebo laurus, etc.*
Pinus Cybelae.

Sed potuisset omnibus his supersedere, si modo Gudii et hic et mox fab. XX. vel Hoogstratani notas respicere dignatus fuisset. ideoque actum non agemus.

4 *Populus celsa Herculi.*] Vid. Torrent. ad Horat. II. Od. 7. Scholiast. Theocrit. ad Idyll. 8. vs. 121. Serv. ad Virg. II. Georg. 66. Beger. Spicileg. Antiq. p. 155.

5 *Admirans.*] Et hic *mirans* mallet vir doctus. sed vide quae diximus ad lib. I. fab. 12. et mox fabul. sequenti. Distinctionem vero a Scheffero propositam, et a Cl. Bentlejo probatam et receptam, *interrogauit caussam, dixit*, sequatur qui velit, et firmet etiam loco Frontini lib. III. 1. 2. *Victoribus, caussam tam facilis euentus requirentibus, dixit.* Ego vulgatae adhaereo lectioni; sed fortasse induxit virum egregium, *τὸ caussam dicere*, quod alio sensu solet vsurpari de reo. Sed et huic occurrit Schefferus, et *caussam esse dixit*, hic integram esse locutionem ex Phaedro probat. Quibus adde haec Terentii ex Hecyr. I. II. 3. *dicere caussam tunc, nescio quam.* IV. V. 55. *hanc vbi dixti caussam.* et ita ille saepius, qui etiam *dicere caussam quamobrem*, ibidem III. 5. 2. et saepe alibi. quod vero obiicit Schefferus, *quare* praecedere, nihil est. nam si *quamobrem* liceat post *caussam* ponere, cur non *quare*, id est *qua re*, vel *quam ob rem*, dici possit nescio: sed praeterea, alia forma dixit Heaut. II. III. 95. *Inuenta est caussa, qua te expelleret*, et ita etiam saepius ille solet. Idcirco hoc Schefferi scrupulo non multum moueor, cum et ipsa Lexica ex Pompeji Epistola ad Ciceronem lib. VIII. ad Att. 12. producant, *miror quid caussae sit, quare consilium mutaris.* et sine dubio plura apud veteres loca reperiri possent, et etiam in promptu haberem, si ad haec minuta animum in legendo attendissem.

7 *Honore fructum ne videamur vendere.*] Haec olim verba capiebam de sacrificiis, et omni ritu et honore, quo Dii coli solebant, et hanc sententiam esse credebam; Ne videamur fructus arborum et ex iis prouentum, si fertiles sumeremus, vendere honore sacrificiorum, quo nos remunerarent quasi homines. vt ita *honor* ille, Diis habitus, esset quasi pretium, quo a Diis fructus et fertilitatem redimerent. Nam *honorem* pro sacrificiis passim occurrere notum est. vide

At mehercules narrabit, quod quis voluerit,
Oliua nobis propter fructum est gratior.
10 Tunc sic Deorum genitor, atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicere omnibus:
Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria:
Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

vide Cuper. II. Obs. 3. Barth. ad Stat. VI. Theb 6. Scriuer. ad Martial. Spectac. I. Broukhus. ad Tibul. IV. VI. 1. et quae congesta sunt ad Petron. cap. CXXXIII. sed, licet hoc speciose satis defendi possit, hodie repudio, et potius accedo Rigaltio, Buchnero, et post multos alios, etiam Cl. Bentlejo, eiusque aemulo, qui legunt, *honorem fructu vendere*: vt sensus sit, ne videamur honorem illum, quo arbores, in tutelam lectas, ornavimus, illis non gratis dare, sed vendere fructibus, quibus nos fruemur, cum reuera iis minime indigeamus aut vtamur, et ideo steriles elegimus. et ita non esset sententia, quae homines spectaret, sed arbores, et melius hoc modo in rem, de qua agitur conueniret. Quod firmat etiam responsum Palladis, quae, quidquid caussae praetexant Dii, contra adfirmat, se amare et honorare oleam, propter fructum. Credo loci vitium ortum ab illis, qui, nimia superstitione metricae legis, in secunda sede mallent iambum legi, sed hanc non fuisse semper Phaedro religionem saepius in his notis ostendimus. *Honor* praeterea saepe a Diis confertur hominibus et rebus, infra eos positis, vt lib. IV. 24. *honor litteris a superis tribuitur*. Et eodem modo, vt Dii *coluntur* ab hominibus, ita vicissim *colere* homines iidem dicuntur. Ouid. VIII. Met. 724.

Cura pii Dis sunt, et qui coluere coluntur.

8 *At mehercule*] Laborat versus, cui variis modis succurrere tentaverunt viri docti, vt ex notis Hoogstratani videre licet. Cl. Bentlejus, interiecta vocula *illa*, legi iubet.

At, mehercule, illa, narret quod quis voluerit.

sed facilior medicina erit *mehercules* legendo, vt Anonymus, et post varia frustra tentata, Heinsius in Epistola XXIII. ad Schefferum. Contrahendae vero priores duae syllabae in vnam, vt passim fieri constat. *narrarit* vero mihi tribuit Vir doctus, quod Schefferi est. Sed siue *narrarit*, siue *narrabit* legas, eodem redit. vt *dices* apud Terent. Heaut. I. I. 20. et Phorm. II. 2. 20. et alios, vbi obiicientem sibi aliquem fingunt. quare in his haerere non est operae.

9 *Oliua*] Cum proprie sit fructus, hic ponitur pro arbore. vide Serv. ad Virg. II. Georg. 63.

(57) FAB. XVIII.

Pauo ad Iunonem.

Pauo ad Iunonem venit, indigne ferens,
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auribus admirabilem,

 Se

FAB. XVIII.

2 *Luscinii*] Qui *Luscini* scripserunt, posterioris temporis fuisse videntur, quibus syllaba secunda produci moris erat, vt Ioseph. Iscan. de Bell. Troj. VI. 310.

—— —— cauat Ardea rostro
Marmoreum fossore solum, luscinia planat.

vbi videndae notae Dresemii. Sub hac fabula describi aliquem diuitem et superbum et ostentatorem opum, quem sub Pauone latere credo, verosimile est, qui adfectare etiam Poëticam volebat elegantiam, et forte ipso Phaedro se imparem esse querebatur, quod nequiret versus scribere, quem monet Poëta, ne inuita Minerua faciat, et risum praebeat. Luscinias vero dici saepe Poëtas egregios notum est, vnde Δωρίαν ἀηδόνα se Simmiam dixisse obseruat Salmasius ad eius Ouum p. 165.

3 *Auribus admirabilem,*] Recepimus, etsi timide, probatam multis viris doctis hanc lectionem, quia etiam MSS. confirmari testatur Gudius; cum antea, sensu etiam bono et accommodato *avibus* legeretur. blandienti vero huic emendationi aliquid roboris addunt illa Ouidii IV. Met. 271.

Dixerat et factum mirabile ceperat aures.

IV. Trist. X. 49.

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,

et ipsius Phaedri haec prolog. II. *dum capiat aurem.* et lib. III. 10. *nil spernat auris, nil spernat auris, nec tamen credat statim.* Martialis X. Ep. 8.

Dum centum studet auribus virorum.

et II. 80.

Me raris iuuat auribus placere.

cauillatio praeterea mera esse videtur, admirationem esse solius animi, non aurium. Nam et intelligimus solo animo, nihilominus Poëtae membris corporis, quae instrumenta sunt sensuum internorum, eadem tribuunt, quae menti, et ita *intellecturas aures* dixit Ouid. III. Trist. XIV. 40. sic *oculi videre, manus facere* etc. dicuntur, quae mens et homo facit per illa. vid. ad lib. III. X. 5. imo non modo aures mirari, sed et oculi dicuntur Ouidio III. Met. 503.

Lumina nox claudit domini mirantia formam.

animus enim per oculos miratur. Eodem modo *ora mirantia* dixit idem Naso XIV. Met. 413. et infinita talia possent congeri. Sed pudorem nolo incutere Poëtarum interpretibus, qui eos, ita Philosophorum in angustias compellere saepe volunt, vt veras semper et naturae proprias voces et locutiones vsurpare cogantur. Licet tamen haec speciosa satis sint, et pro illa Lectione adduci possint, nescio tamen, quo modo adhuc inclinet animus

Se derideri, ſimul ac vocem miſerit.
5 Tunc conſolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor Zmaragdi collo praefulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam ſpeciem, ſi vincor ſono?
10 Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datae:

Tibi

animus in *auibus*. Inter aues enim glorioſiſſima habetur Pauo, et inde aliarum inuidiae et odio obiecta fingitur, ſed ipſa queritur, ſe irrideri ab aliis auibus, ſimul ac vocem miſerit, et petit a Iunone, vt ſibi vocem Luſcinii tribuere velit, qua eſſet etiam cunctis auibus admirabilis, non vero ridiculo: ſic Plinio X. 9. dicitur *coccyx inuiſa cunctis auibus*. Iam vero *admirabilem* cur mutem nulla ratio eſt. vt nec lib. I. fab. 12. *mirans* in *admirans* et praecedenti fabula *admirari* in *mirari*. *Admirabile* enim vocabant veteres, *quidquid eſt praeter opinionem hominum conſtitutum*, teſte Fabio lib. IV. de Inſtit. Orat. I. vid. et Cicer. II. de Offic. 10. Fabius vero idem ſaepe etiam *mirabile* dicit. Et ſic *opus admirabile* Ouid. VI. Metam. 14. et Cicer. I. de Orat. 26. *Oratori prouidendum, non vt illis ſatisfaciat, quibus neceſſe eſt, ſed vt iis ipſis admirabilis eſſe videatur.* vt canendo luſcinia auibus, ita Orator auditoribus dicendo *admirabilis* recte dicitur. Valer. Max. II. X. 7. *Catonem admiratio fortis et ſincerae vitae adeo admirabilem Senatui fecit* etc. vbi nihil mutabit, qui ineptam ſcriptoris adfectationem nouit. ſi tamen *adminiſtratio vitae* exemplis probari poſſet, ego ita ſcribere mallem, ſed forte non Valerius, qui ſibi in acutis locutionibus placuit. in Rimicio legebatur, *quod Luſcinia cantaret et humana agnoſceret*, vnde forte legere aliquis mallet.

Illum eſſe humanis auribus admirabilem.

ſed diximus iam beſtias inter ſe inuidas et glorioſas induci.

4 *Simul ac*] Schefferus mallet ex more noſtri, *ac* abeſſe, vt fab. XVI. vſ. 16. *ſimul cognouit vocem laudari ſuam*; ſed quid tunc metro fiet? inf. VI. 8. *Homo ſimul ac venit in magnum periculum*. vid. ad Quinctil. Decl. X. 14.

4 *Vocem miſerit.*] Vid. ad lib. IV. fab. 10.

7 *Nitor Zmaragdi*] quae notauimus ad Petron. cap. LV. Ouid. II. Amor. VI. 21. et quae Gronouius ad Senec. Med. 573. adduxit.

9 *Quo mi, inquit, mutam ſpeciem?*] Quamuis ſciam, qui explicari poſſet, tamen illa *muta ſpecies*, parum placere alicui poſſet, qui legeret forte, *quo mi, inquit, cultam ſpeciem*. vide ad Ouid. Medic. Faciei vſ. 33 ſed rectius legi poſſe putem.

Quo mi, inquit, mutae ſpeciem, ſi vincor ſono?

quid prodeſt mihi forma, ſi ſim muta. vt Ouid. Medic. Faciei 34.

— et forma muta ſuperbit auis.
nihil tamen temere mutem.

10 *Partes ſunt vobis datae:*] *Partes* recte explicat abſolute potiras Schefferus. ita et vſus eſt Calp. Flacc. Decl. XXIII. *In domo partibus fungeretur.* vbi deeſſe *meis* vel *patris* notat Gronouius. ſicut ſupplet noſter lib. IV. 25. *Tuae ſunt partes prius* etc. ſic *ad partes parari*,

venire

Tibi forma, vires aquilae, luſcinio melos,
Augurium coruo; laeua cornici omina,
Omnes quae propriis ſunt contentae vocibus.
Noli adfectare, quod tibi non eſt, datum,
15 Deluſa ne ſpes ad querelam recidat.

(58) FAB. XIX.

Aeſopus ad Garrulum.

Aeſopus domino ſolus cum eſſet familia,
Parare coenam iuſſus eſt maturius.
Ignem ergo quaerens, aliquot luſtrauit domos;
Tandem-

venire, *vocari etc.* de quibus ad Ouid. I. Amor. VIII. 87. et IV. ex Pont. II. 27.

13 *Omnes quae*] *Omneſque* mallet Anonymus, quia, credo, iambus illi in ſecunda ſede praeplacet. de qua cura modo vidimus. vid. I. VIII. 8. ſed ego ſcriptos et editos ſequor.

13 *Vocibus*] Mutat in *dotibus* Heinſius, eumque ſequitur Cl. Bentlejus: nec male, ſi ita ſcripſiſſet Phaedrus: ſed ſequamur ſcriptos, quamdiu ſenſus aptus ſubeſt: queritur enim Pauo de voce ſua, quod item quaeri aliae innumerae aues poſſent; ſed illae contentae ſuis vocibus, Luſcinio non inuident, dum aliis dotibus praeſtant. et ſi iam *dotibus* ſcripſiſſet Phaedrus tamen de vocis dote deberet explicari. vt *dos oris* Ouid. V. Met. 562. nihil ergo noui haec emendatio adfert. neſcio an illos offenderint *voces*, quae tamen animalibus paſſim dantur, vt inf. V. 5. porcello, Ouid. VI. 588. ſerpenti: vbi, vt hic proprias, a natura datas illas voces indicat. ſed millia adducenda forent loca: ſufficiat Senecae ex Ep. LXXVI. a Fabro adductus.

15 *Recidat.*] Apage illud *reccidat.* vt et *rettudi* et ſimilia, et vide quae Heinſius ad Claud. Bell. Gildon. 44. et Ouid. Ep. XIV. vſ. 46. notauit et quae nos de ſyllaba illa *re* in compoſitis ad Ouid. I. Amor. VII. 62. diximus. vid. et ad I. fab. vlt. et alibi.

FAB. XIX.

1 *Solus cum eſſet familia,*] Recte haec Faber et Schefferus explicant contra Rittershuſium. Eadem ratione, vt Gudius iam docuit, Propertius I. Eleg. II. 23.

Tu mihi ſola domus, tu, Cynthia, ſola Parentes,
Omnia tu noſtrae tempora laetitiae,

et Ouid. Met. VIII. 635. de Baucide et Philemone,

Nec refert dominos illic, famuloſue requiras,
Tota domus duo ſunt.

nec diſſimiliter Deucalion ad Pyrrham I. Met. 355.

Nos duo turba ſumus.

Martialis XII. 89. apposite a Praſchio adductus, ad probandum *familiae* pro ſeruo ſignificationem,

— ver-

Tandemque inuenit, vbi lucernam accenderet,
5 Tum circueunti fuerat quod iter longius,
Effecit breuius: namque recta per forum
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus,
Aeso-

— — — *vernam,*
Qui folus inopi praestat, et facit turbam,

vbi malim, *folus inopi restat*. quamvis vulgata etiam explicari posset, sed altera lectio aculeatum magis epigramma facit. inopiae vero certissimum fuisse argumentum, vnum modo seruum habere apparet ex Apolog. Apuleji, cui obiecerat accusator, quod *Oeam venerat cum vno seruo*, sed ille pluribus hoc repellens, ostendit magnos viros vno, vel certe paucis, contentos fuisse: Terent. Heaut. II. III. 11. *Viden' tu ancillas, aurum, vestem, quam ego cum vna ancillula hic reliqui?* de auaro locuplete Hipparcho Lucianus in Lucio prin. καὶ ὅτι μίαν θεράπαιναν τρέφει, καὶ τὴν αὐτοῦ γαμετὴν, μόνας, quod Apulej. lib. I. Metam. fere vertens. *cum vxore calamitatis suae comite habitat, neque praeter vnam pascit ancillulam.*

4 *Lucernam*] Pro cereo accipit Schefferus. sed exemplum desidero: nam in illis, quae adducit, de ea, quae oleo alitur, agitur, vt distinguit Apulej. Met. IV. *taedas, lucernas, cereos.* et Petron. cap. XXII. *Lucernas humore defectas* dicit. et ita capiendum in lib. IV. fab. 10. et quis non *Lucernas* ita accipit? sed ex moribus nostris cepit Schefferus, quia cum lucerna per viam currere putauit absurdum: vnde et Gallus interpres excusatius, ad mores hodiernos in versione posuit *chandelle.* cum tamen lib. IV. fab. 10. verterit, *un voleur ayant allumé sa lampe.* ibi scilicet intra templi parietes res agebatur; sed et Martial. VIII. 75. de seruo, qui sera nocte praelucere debebat domino,

Tam macer, vt minimam posset vix ferre lucernam.

ita enim legendum cum viris doctis, non *lacernam.* sed et apud Apulej. lib. XI. de turba obuia Deae Isidi in plateis, *magnus praeterea sexus vtriusque numerus, lucernis, taedis, cereis, et alio genere ficti luminis, siderum caelestium stirpem propitiantes.* vide et Arnobii locum a Rigaltio laudatum.

5 *Circueunti*] *Circum eunti* diuisis vocibus malebat Vir doctus, sed *circum* in compositis *m* in talibus verbis in enuntiatione amittere, nec in scriptura seruare, vt solet in aliis compositis, vt *circumuenire* etc. ex Grammaticis veteribus egregie Brouckhusius noster ad Propert. II. IV. 26. et scribendum esse *circuire* docuit. aliter censet Cortius ad Sallust. Iug. cap. XLV. contra optimos codices, qui et eo in loco *circuire* exhibent, et capite XLIX.

6 *Effecit*] Pro *fecit* positum Schefferus putat; sed notat simul, hoc compendio celerius perfecisse iter in reditu, quam antea circueundo: vt Ouid. VI. Met. 519.

Iamque iter effectum.

7 *E turba*] Sic supra *e populo* fab. IX. Sueton. Caes. cap. LXXIX. *quidam e turba.* Ita et apud sacros scriptores ἐκ vel ἀπὸ τοῦ ὄχλου. vid. Luc. Euang. IX. 38. XI. 27. XXI. 39. Marc. IX. 17. Aliquando de rudi et impetito dicitur, vt Senec. Ep. LXXXI. *imprudens, et rudis,*

Aesope, medio sole, quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans domum.
10 Hoc si molestus ille ad animum retulit,
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestiue qui occupato adluserit.

(59) FAB. XX.

* *Asinus et Galli.*

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Per-

dis, et vnus e turba. vt οἱ πολλοί. nescio autem quare *hic quidam* praestet vulgatae lectioni.

8 *Medio sole,*] Egregie Schefferus hoc explicat. sic *medium Phoebum* dixit Valer. Flacc. III. 482. vbi nos plura. et *primum solem.* lib. II. vs. 75. et V. vs. 332. et Virgil. VI. Aeneid. 255. *primos soles.* III.612. *medio diei.* Liv. XXXVII. 29. *Tu* vero recte eiecit Rittershusius, nam nec versus ratio patitur, et rectius *tibi* fuisset, si versus admitteret: vt Ouid. I. Art. 693. *Quid tibi cum calathis.* et Ep. VI. 47. et II. Trist. vs. 1. et ita passim ille et alii.

10 *Molestus.*] Interpellatoris proprium epitheton. vid ad Petron. cap. XLIII.

12 *Adluserit.*] Male Gudius *illuserit. alludere* enim dicuntur, qui dicto aliquo et ioco, et simul vultu blando, aut renidente, risum excitare conantur. Cicer. I. de Orat. 50. *Galba ante alludens varie et copiose.* Suet. Caes. cap. 22. Caesar *alludens* dixit: *in Assyria quoque regnasse Semiramin et; magnam Asiae partem Amazonas tenuisse*, id est iocans. et ita male in recentioribus editionibus Gellii XIX. 8. mutauerunt, *tum alludens Fronto,* in *illudens: alludere* alicui etiam pro *blando risu*, vt infantes solent, abblandiri, poni notum est. illo ergo dicto, *quid medio sole cum lumine?* Aesopo alluserat molestus ille; *intempestiue* vero; occupato nimirum et satagenti Aesopo, nec temporis satis habenti, vt vacare possit eius sermonibus: ita apud Val. Max. VII. VIII. vlt. *Quid hoc ioco inhonestius, aut quid intempestiuius?* vbi sollemni permutatione *loco* vulgo legitur, vid. ad Prol. lib. II.

FAB. XX.

* Hanc fabulam habent Rimicius lib. III. 18. et Anonymus Nielantii n. 47. sed pro Gallis sacerdotibus inducunt negotiatorem, qui asinum ad mercatum agit. An vero Phaedrus iniquior in Sacerdotes, mutauerit personas ab Aesopo traditas, an vero Monachi Ordini sacro ignominiosam notam ita se demere posse crediderint, si pro Gallo negotiatorem inducerent, nescio. sed alterutrum factum existimo. vide supra fab. III. huius libri.

1 *Natus infelix,*] Male ex Petronio producit Freinshemius, *malo*
* *fato*

Perſequitur illum dura fati miſeria.
Galli Cybebes circum quaeſtus ducere
5 Aſinum ſolebant, baiulantem ſarcinas.

Is

fato natus eſt, cum *malo aſtro* ibi legatur. vide Cuper. II. Obſerv. 17.

3 *Perſequitur*] Apud Ouidium in ſimili re *proſequitur* legitur. Epiſt. VII. 3.

> *Durat in extremum, vitaeque nouiſſima noſtrae*
> *Proſequitur fati, qui fuit ante, tenor.*

vbi tamen etiam quatuor Codices *perſequitur* habent, vt fere ſemper illa verba cognata a librariis fuerunt inter ſe commutata, vt in ſimili locutione, licet in alia re, IV. Met. 151. *Perſequar exſtinctum.* vbi vide notas. Petron. cap. CXXXIX.

> *Non ſolum me numen et implacabile fatum*
> *Perſequitur.*

vbi fatum *implacabile*, eſt *durum*, vt hic *dura fati miſeria: miſeria* vero hic proprie, quia, vt Seneca de Clement. I. 16. dicit, *iumenta ad contumelias et miſerias nata ſunt.*

4 *Cybebes*] Ita legendum eſſe iam omnibus conſtat, vide notas Gudii, et quae collegit diligentiſſimus Drackenborchius noſter ad Sil. Italic. XVII. 8. in Catal. Pithoei pag. 123. Heinſius etiam legendum arbitratur,

> *Iam tibi Cybebes ſint et roſa grata Diones.*

4 *Circum quaeſtus ducere*] Dura certe locutio, ſi *quaeſtus* genitiuo caſu ſumatur, cui quidem medetur aliqua in parte Heinſii et Gudii correctio, *in quaeſtus.* et cui ſimile videtur illud Apuleji I. Metam. *ſecundum quaeſtum profectus.* Sed neque hoc ſatisfacit. Gronovii *circum coetus* non diſpliceret, niſi oſtendere in promptu foret, Gallos etiam a ſingulis, et hominibus et domibus, per agros ſparſis, oſtiatim ſtipem emendicaſſe. deinde *coetus* pro oppidis et pagis, niſi quando de ſociandis primo hominibus agitur, ſumi poſſe, vix puto. et hinc natam Cl. Bentlejo facilem etiam coniecturam credo, *circum pagos* vel *vicos*. Sed an ergo *vrbes*, in quibus luculentior ſpes apparet, praeterierunt? Cicero, licet in alia re, III. in Verr. 26. *ducere circum ciuitates* dixit. praeterea ſi *vicos* vel *pagos* ſcripſiſſet Phaedrus, quis inde librarius formaſſet *quaeſtus*. tales ſcribae ne fingi quidem mente poſſunt. Vir doctus poſſe *quaeſtu circum ducere*, vt *mercede* ſaepius vſurpatum, dici exiſtimat. ſed exempla talis locutionis deſidero: *Circum* vero vel coniungi poteſt cum *ducere*, vel ſeparari, vt abſolute poni docet Quinctil. Decl. IX. 12. *et neceſſarii quoque victus inopem circum ad alienas mitteret domos*, id eſt, per vicina loca, quae circum ſunt. vt ita *circa* ſumi docuit Heinſius ad Vellej. Paterc. I. 17. et poſt eum Cortius ad Fragm. Sall. p. 986. et ita Ouid. IV. Met. 667.

> *Gentibus innumeris circumque infraque relictis.*

et ſolere huic *circum* adiungi caſum locorum, praeſertim in *circum mittere* docent Paſſerat. et Manut. ad Ciceron. pro Quinct. cap. 6. poſſet et *mittere circum* abſolute poſitum capi, pro circum vrbes, pagos etc. et tunc legi *quaeſtum* pro *quaeſitum*, id eſt, *ad quaerendum*, vt vidimus lib. I. fab. 16. *ſponſum vocare*, et Virgil. IV. Georg. 449.

Veni-

Is quum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:
10 Putabat se post mortem securum fore,
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

PHAE-

Venimus hic lapsis quaesitum oracula rebus. et Sallust. lib. IV. Histor. *video ingentia dona quaesitum ire properantem.* et iterum Maro II. Aeneid. 114. *mittere scitatum.* et noster infra IV. 17. *mittere oratum.* et quae plura obuia, sed et hoc hariolari est. nam et durus ille concursus vocum in *m* exeuntium et ambiguam facit orationem, an sit a nomine *quaestus*, an a verbo *quaerere.* quare ἐπέχω. In laudato loco Apulej. I. Met. *nam vt scis secundum quaestum Macedoniam profectus*, alii, *secundo quaestu.* forte, *faciendo quaestui*, vel *ad faciendum quaestum.* de mendicantibus vero stipem Diis suis, quos hodie Monachi imitantur, Sacerdotibus, vide Ampl. Cuper. III. Observ. 4.

6 *Is*] *Huic* Bentlejus; scilicet vt conueniret τῷ *detracta*, et ne anacolythum admittatur. sed quot non loca essent corrigenda, si haec non placerent? nam saepe rectus casus initio periodi ponitur, cui sequentia non respondent. vide Dauies. ad Caes. de Bell. Gal. I. 18. et de Bell. Afric. 25. Gronov. ad Gell. XI. 1. ad Liv II. 12. Periz. ad Sanct. Minerv. IV. XI. n. 5. Lambinum ad Plaut. Prolog. in Menaechm. vs. 57. Cort. ad Sall. Iug. XXXIII. 2. et infra V. 8. tot enim auctoritatibus muniendi sunt tales loquendi modi satis noti et obuii, sed quibus tamen nondum effici potest, vt a sanis locis abstineant viri, nouandi omnia studiosi. sic apud Ciceronem II. de Nat. Deor. 5. *ne aegri quidem, quia non omnes conualescunt, idcirco ars nulla medicina est.* non video opus esse emendare cum Dauiesio, *aegris.* et infinita talia sunt. Si iam emendare haec vellem, rescriberem potius.

Detracta e pelle sibi fecerunt tympana.

8 *Delicio suo, quidnam fecissent?*] *Delicias* et *delicatos* pueros dictos constabit ex notis ad Petron. XXVIII. et LXIII. et de asino Gallorum delicio vid. Voss. ad Catul. p. 165. sed hic distinctionem Salmasii veram esse puto, *Rogati a quodam, delicio quid suo fecissent?* an vero *delicio* capias datiuo, an ablatiuo casu positum, ego parum interesse credo, qui vtrumque vsitatum noui. sed praeferrem ablatiuum, et supplerem per praepositionem *de*, vide quae post Passerat. ad Cicer. pro Caecin. II. et Sylv. ad Cicer. pro Cluent. cap. LXVI. Malasp. ad VI. ad Att. I. Sciop. II. Susp. Lect. 13. nos diximus ad Quinctil. I. de Inst. Orat. 5. et ad Ouid. II. Met. 524. et ipse Cl. Bentl. ad Terent. Heaut. II. III. 76.

9 *Locuti*] Et hic *iocati* Heinsius mauult, quem sequitur Cl. Bentlejus. vide Heins. ad Ouid. V. Trist. I. 20. ego nihil muto cum Scheffero. vix enim conuenit iocus moestis iactura asini sui, in quo omnis spes mendicis erat posita: praeterea non iocum, sed miserationem verba Gallorum videntur continere.

11 *Aliae plagae*] Non modo diversae, sed grauiores illis, quae sentie-

PHAEDRI FABVLARVM

LIBER QVARTVS.

(60) FAB. I.

De Mustela et Muribus.

Iocu̇lare tibi videtur: et sane leui,

Dum

sentiebat viuens. vide de eleganti vsu huius vocis *alius*, quae notavimus ad Petron. cap. CVIII. ita et *mors alia* Stat. VII. 807. est deterior, et *aliae tenebrae* eidem VIII. 16. aliquando [illegible]en simpliciter etiam notat diuersum a priori; vt apud Liuium XXXVIII. 24. *aliaque sanctitate et grauitate vitae huius matronalis facinoris decus ad vltimum conseruauit.* et ita passim.

11 *Congeruntur*] Vid. lib. II. fab. 2.

LIB. IV. FAB. I.

1 *Iocnlare tibi videtur:*] Varia et hic tentant viri eruditi, quibus aut deesse aliquid, aut nimis abruptum videtur initium. Plurimi *iocular' oc* vel *ioculare hoc:* sed aeque durum *hoc* dicere, vbi nihil vel praecedit, vel postea additur: si *genus* scribendi vel simile quid adesset, foret tolerabile, sed *hoc*, omisso τῷ *genus*, non placet, et intelligere, durior et insolentior etiam esset ellipsis. hinc ex Heinsii et Schefferi emendationibus lectionem hanc conflaueram,

Ioculares tibi videmur, et sane leui,

Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.

sensu obuio et egregio. sed intercedit Cl. Bentlejus, et *ioculare* tantum de rebus, non de personis dici contendit. quia scilicet nullum in Lexicis occurrit exemplum. sed cum non omnia adhuc perlustrata sint loca, quibus huius vocis vsus et auctoritas nititur, nihil definire praestat. Sed obsequamur Viro erudito, qui dissimulat etiam Heinsium legisse, *ioculares videntur*, et huius vestigia prementes, dum nobis exempla nondum suppetunt, legamus,

Ioculares tibi videntur, (et sane leui,

Dum nihil habemus maius, calamo ludimus)

Sed diligenter intuere has naenias.

vt *ioculares naeniae* dicantur sine vlla reprehensione, vt *viles naeniae* praefat. lib. III. et *ioculare conuicium* Senec. de Const Sapient. 12. Sed nondum satisfactum Viro egregio, qui *leui calamo* non tolerare potest,

Dum nihil habemus maius, calamo ludimus;

Sed

poteſt, quia eſt proprium et generale calami epitheton, et nihil nouae ſignificationis adiicit. ſed hoc faſtidioſum nimis. *leuis* ſine dubio eſt calamus, comparatus cum aliis inſtrumentis muſicis, quia e materia leui, non grauiori, vt ligno, ebore etc. fieri ſolebat. ſed hoc loco non reſpicit ad materiam calami, ſed ad argumentum, in quo Poëta exercet venam ſuam et otium fallit. ſic Ouid. X. Met. 152. cum praemiſiſſet, *cecini plectro grauiore Gigantas;* ſubiicit, *Nunc opus eſt leuiore lyra.* eadem, credo, lyra poterat grauem materiam et leuiorem canere. Horat II. Od. I. *Quaere modos leuiore plectro.* quod exponit antiquus commentator, *faciliori ſtylo.* et contra lib. IV. Od. 2. *concines maiore plectro Caeſarem.* vbi commentator, *ſublimiori et grandiori plectro.* Eodem tamen plectro lyram concutiebat in vtroque genere canendi. nam in omnibus non tam ad ipſum calamum aut plectrum reſpicitur, quam ad genus carminis, vel grauius, vt Heroicum, et Lyricum, quae tamen leuioribus ſaepe materiis accommodabantur; vel leuius, vt Senarios et Iambos et Elegos etc. quibus etiam aliquando grauiores res canebant. Et ipſum *plectrum* leue fuiſſe patet, vnde et *imbelle* vocatur Ouid. IV. Met. 114. et vt Phaedrus noſter, ita Poëta, ſi non optimus, imitator certe optimorum, Guntherus in Ligurino lib. I. vſ. 365.

— — *nos regia tantum*

Geſta leui calamo, quadam breuitate, ſequemur.

et ita *Muſa leuis* Ouid. IV. ex Pont. XVI. 30.

Et tua cum ſocco Muſa, Meliſſe, leuis.

ſic paſſim *leuia ſtudia* dicuntur minoris momenti et laboris, nec ſatis ſeria. Claudian. II. de Rapt. 144.

Iam leuibus laxat ſtudiis.

Cicer. de Seneƈt. XIV. *Quid in leuioribus ſtudiis, ſed tamen acutis,* vbi de Poëtices ſtudio agit. *Leuioris operae libellos* dixit Plinius in praefatione. Martialis lib. VIII. 3. de ſuis epigrammatum libellis,

Anguſta cantare licet videarit auena,

Dum tua multorum vincat auena liber.

et ita alii paſſim. Haec omnia ſane veroſimilius faciunt, ita Phaedrum dediſſe, quam, *et ſane rei dum nihil habemus maius*, cuius locutionis recte exemplum poſcit vir eruditus. nam, *quid eſt tibi rei mecum*, et ſimiles ex Terentio locutiones, longe quid aliud notant: commercium ſcilicet, aut negotii aliquid, quod inter duos verſari ſolet. nec alia exempla congruunt, miror non ex fabula mox 3. adduxiſſe, *paruae vindictam rei:* ſaepe etiam *ea res*, *eius rei* occurrit, cum de praecedentibus agitur. vide Cortium ad Salluſt. Cat. XXX. 6. immo, cum, quod ſequitur, mox deſignare volumus, vt noſter. I. XXVII. 1 *haec res* recte dicitur, ſed *rei dum nihil maius habemus*, eleganter dici, vellem mihi oſtendi.

2 *Dum nihil habemus maius,*] Hoc non debet ad alia negotia, quae occupatum Phaedrum haberent, referri. ſed de grauiore materia aut ſcribendi genere. *habere* enim dicitur quis, quod ingenio

Sed diligenter intuere has naenias;
Quantam ſub illis vtilitatem reperies?
5 Non ſemper ea ſunt, quae videntur; decipit
Frons

ſuo inuenit, aut poteſt proferre. vid. infra lib. V. fab. V. vſ. 9. ita Virgil. Eclog. III. 52.

Quin age, ſi quid habes.

et Ouid. II. Art. Amat. 542.

—— nil iſtis ars mea maius habet.

nihil maius ego poſſum proferre aut inuenire, quod vos doceam. nam et *habere* pro *poſſe* ſumitur: vt Horat. XVI. Ep. 23.

An melius quis habet ſuadere.

et ita millies alii. *in manu* quod Heinſius mauult, verſum una ſyllaba abundantem facit.

2 *Calamo ludimus;*] Satis, credo, ex commentariis doctorum virorum diſcere poterat Gallicus interpres, hic de fiſtula paſtoritia ex calamo agi, ne verteret, *nous nous iouons ainſi avec la plume.* quaſi de calamo ſcriptorio ageretur.

3 *Diligenter intuere*] Hic, nihil monito lectore, in notis intruſit *ſi* Cl. Bentlejus et exhibuit, *diligenter ſi intuere*, nihil etiam monuit alter Vir doctus. non video autem, cui bono haec particula hic ſit inſerta, quae verſum inconcinnum facit, et nihil novae ſignificationis adiicit: noſtra vero lectio omnino excludat. praeterea qui potuerit tunc *intuere* pro *intueris* tolerare, qui lib. I. fab. I. *querere* faſtidiebat. cur non eiecit *has?*

5 *Non ſemper ea ſunt, quae videntur;*] Quia praeceſſit *naeniae*, quo *ea* referri nequit, Cl. Bentlejus legit, *non ſemper res ſunt.* ad eumdem ſcopulum haeſiſſe vidimus virum egregium lib. I. fab. VIII. 10. ſed praeterquam, quod ſit γνώμη ſiue generalis ſententia, (vt Schefferus iam notauit, et ipſe agnoſcit Cl. Bentlejus) quae ſeparatim per ſe ſubſiſtit, et reſpicere etiam poteſt ſequentem fabulam, vbi non farina erat, ſed muſtela; an *ea* non millies ponitur pro *eae res?* quis hoc tiro ignorat? Sed ponamus *naenias* intelligi, an illa variatio generis tam inuſitata videri debet? quid dicet ad illa Propertii I. Eleg. XVIII. 23.

Curas, Quae tantum tacitis cognita ſunt foribus.

Ouid III. Art. 229. *pars maxima rerum offendat, ſi non interiora legas.* ſic apud Quinctil. Prooem. lib. I. ex MS. *Eſt aliquid conſummata eloquentia, neque ad id* (pro *ad eam*) *peruenire natura humani generis prohibet.* vbi vide quae notauimus. Cicer. IV. ad Att. 10. cum praeceſſiſſet *res*, addit, *ne iſta quidem deſunt.* Salluſt. Catil. 51. cum praeceſſiſſet *imperium*, ſubiicit, *qui ea bene parta vix retinuerunt.* vbi vide notas Cortii. et ad illa in Iugurt. XLI. *abundantia earum rerum, quae prima mortales dicunt*, idem videndus interpres. ſed finis deeſſet exemplorum, ſi cumulare vellem: *ea* vero hic ponitur pro *talia*, vt recte Schefferus. Cicer. IV ad Fam. 2. *ſi ii ſumus, qui eſſe debemus.* Ouid. VII. Met. 43.

—— —— ſed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formae,
Vt timeam fraudem.

vbi vide quae notauimus, et vbi ipſum Cl. Bentlejum ad Horat. I. Sat. IX. 55. hanc elegantiam illuſtraſſe docuimus.

Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,

O 2 Fabel-

6 *Frons prima*] Id est, titulus, index libelli, et prima verba. vt Ouid. I. Trist. VI. 33. vide Quinctil. VII. de Inst. Orat. I. et XII. 7. et Decl. CCCVI. *interior* vero *angulus*, (quem *recessum* vocat Val. Max. VII. II. ext. 12. et Quinctilianus ibi a diligentissimo Torrenio laudatus) est occultior et minus expolitus sensus.

6 *Rara mens*] Scilicet legentis, vt lib. V. fab. 5. *iam fauor mentes tenet*, scilicet spectatorum. Ouid. II. Art. 145.

Dextera praecipue capit indulgentia mentes.

et III. Art. Amat. 25.

Non tamen hac mentes nostra poscuntur ab arte.

id est, mulieres hac mente praeditae. sic III. Amor. IV. 5. *adultera mens est*. et ita millies: singularis autem *rara mens* hic ponitur, pro *rari homines*. vt Ouid. III. Art. 261. *rara tamen facies menda caret. raras aures* Martial. II. 86. non dissimili ratione dixit

Me raris iuuat auribus placere.

Sallust. lib. III. Hist. Orat. Macri Licin. *rarus enim animus est ad ea, quae placent defendenda.* ita olim editum, sed correxerunt *raris:* nescio quid melius; illud magis Sallustianum videri posset.

7 *Interiore condidit cura angulo,*] Et haec clara et manifesta sollicitantur a Cl. Bentlejo, qui reponi iubet,

Quid interiore condat natura angulo.

sed non agitur hic de occultis, quae natura tegit populo et vulgo, minus perspicaci, sed de mente humana siue homine, qui saepe aliud prae se fert, aliud conditum habet. vt fabella de mustela docet, quae sub farinae specie omnes mures decipiebat, praeter vnum veterem et rerum peritum. Hic vero, aliquot iam muribus captis et enecatis, vnus modo mus callidissimus sciebat sub farina latere hostem. vt recte haec Iohnsonius explicat. Quare *curam* capio de studio et auctoris consilio, quo sub inuolucris fictarum fabularum, verum sensum tegit. sic supra prolog. lib. II. *omni cura morem seruabo senis.* et Epilog. eiusdem libri

Si liuor obtrectare curam voluerit.

vbi vide notata: pro *quod* satis potest tolerari *quid* Bentleji, ita enim edidit, non *quod*, vt eius aduersarius ipsi adscribit. *infriore* habet editio Meursii. nescio an vitio operarum, an editiones alias secutus nam ita MSS. Gudii. metaphoram desumptam puto ab aedificiis, quae fronte prima saepe aliud ostendunt, praesertim vbi merces venales exponuntur (vid. ad Ouid. Nuc. vs. 139.) quam quod interior domi angulus habet repositum. et ita *angulus* in domo Ouidii I. Trist. III. 24.

8 *Sine mercede*] Quidam explicant ex Plinii dicto, quo pro fabula assem dabant. alii *frustra, sine gratia.* Vir doctus, licet paullo affectatior videatur locutio, vltimae sententiae accedit. sed ego capio pro fine vtilitate, fructu, praemio: secutus ducem I. Broukhusium ad Propertii illa IV. El. VII. 33.

Hoc

Fabellam adiiciam de mustela et muribus.
10 Mustela, quum, annis et senecta debilis,
Mures veloces non valeret adsequi,
Inuoluit se farina, et obscuro loco
Abiecit negligenter. Mus, escam putans,
Adsiluit, et compressus occubuit neci.
15 Alter similiter, deinde periit tertius;

Ali-

Hoc etiam graue erat, nulla mercede hyacinthos

Iniicere, et fracto busta piare cado.

ita Aratus in Actis Apostol. lib. I. non longe ab initio

—— —— —— Scelera ipsa nefasque

Hac potius mercede placent.

si ille fructus inde redit. Plin. I. Ep. 7. *vt videor mihi hac sola mercede posse corrumpi.* Oratio Macri in fragmentis Sallustii lib. III. *melius habent mercede delinquere, quam gratis recte facere.*

10 *Mustela,*] Guyetus Tiberium Capreis sedentem intelligit. Vix puto. sed de exploratore quodam et emissario Tiberii vel Sejani caperem, qui negligenter et quasi nihil mali moliens, versans Romae, exitio multis incautis erat. nam *nemini delatorum fidem abrogatam* sub Tiberio narrat Sueton. cap. 61.

13 *Abiecit negligenter,*] Recte Schefferus. Ouid. VII. Epist. I.

Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis

Ad vada Maeandri concinit albus olor.

Propert. I. XIV. I.

Tu licet abiectus Tiberina molliter vnda.

Petron. cap. XXVI. *Abiecti in lectis.* vide quae diximus ad Ouid. I. Amor. VII. 58.

14 *Compressus*] Non placet hoc viris doctis, qui *comprensus* praeferunt, et id sequuntur Cl. Bentlejus et alter Vir doctus. et certe in MSS. quia *n* saepe negligitur, aut linea super ducta notatur, haec verba saepe commutantur, nec significatio hic multum diuersa est; *compressus* enim vel *comprensus* felis vnguibus vel ore recte dici potest mus. vt *lingua compressa forcipe* Ouid. VI. Met. 556. vbi etiam MS. et editi *comprensa:* et *faux compressa* VI. Epist. 98. et contra Virgil. XI. Aen. 723. de accipitre columbam rapiente, *comprensamque tenet, pedibusque euiscerat vncis:* vbi etiam codices quidam, *compressam.* lib. I. fab. 19. *oppressum* ab aquila leporem dixit Phaedrus, id est subito comprensum. malo vero cum Heinsio, *at compressus,* vel *comprensus.*

15 *Alter similiter,*] Cl. Bentlejus dicit codices habere, *periit et tertius.* Qui vero codices? nec Gudius, nec Rigaltius, nec Pithoeus hoc docet. nulli vero fuere viro Clarissimo ad manus. vt nec aliis interpretibus, nec Freinshemius codices, sed editiones laudat. non tamen

Aliquot secutis, venit et retorridus,
Qui saepe laqueos et muscipula eff ugerat,
Proculque insidias cernens hostis callidi,
Sic valeas, inquit, vt farina es, quae iaces.

tamen sperno, quia Romuli auctoritas eo ducit. si vero *deinde* defuit codicibus, illud suppositum crederem pro *mox*, et legerem,

Alter similiter periit, et mox tertius.

16 *Aliquot secutis venit et retorridus,*] Miror haec praeteriisse doctos criticos, cum olim varie lecta et mire vexata ab interpretibus ignorare non potuerint. an sana iudicauerint, vel meliora remedia se non posse adhibere crediderint, nescio. *seculis*, est vetus lectio: Vrsinus legit

Aliquot venit sepultis recte territus.

sed dura et obscura haec omnia: *sepultos* enim mures deberemus intelligi *capacis alui specu mersos*, vt dixit mox fab. V. *Reterritus* caret auctoritate. *Recte territus* languidum et absonum. quare seruemus vulgatam; et explicemus, cum aliquot essent secuti priores, illos scil. qui fuerunt comprensi, et illi quoque periissent, venit et vnus, sed *retorridus*, id est, macer, contractus, rugosus et siccus mus, quae est descriptio vetuli. ita *macie torridus* Cicer. II. Agr. 34. et ita *torridam vocem*, exsuccam, gracilem et ingratam capio apud Calpurn. Eclog. III. 59 *retorridi* voce vtitur Columella lib. IV cap. 4. et alibi de plantis et arboribus rugosis et inaequali trunco et cortice, contortis, nec rectis: aut alio modo vitiosis et deformatis: nam pro exercitato et perito, vt Salmasius explicat, capi posse vix puto, neque vlla idonea auctoritate confirmatum est. sed hic ex aetate callidum fuisse veterem murem illum intelligi recte potest. nam *maior annis* et *cautus mus* habet Rimicius.

17 *Muscipula*] Alibi se non legisse fatetur Faber, nisi in Glossis: atqui ex Varronis de R. R. I. 8. producunt Lexica.

19 *Sic valeas,*] Id est, ita pereas. quia enim re vera non erat farina; ideo imprecatur, vt eodem modo valeret, quo farina esset, id est, non valeret, sed periret. vt Terent. Andr. IV. 2. *Valeant, qui inter nos dissidium volunt.* et Gruter. Inscript. pag. 710. 10. *quisquis eum laesit, sic cum suis valeat. Vt farina es, quae necas*, vel *neces*, volebat Heins. Epist. VI. ad Schefferum.

(61) F A B. II.

* *Vulpis et Vua.*

Fame coacta vulpis alta in vinea
Vuam adpetebat, summis saliens viribus:
Quam tangere vt non potuit, discedens ait:
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.
5 Qui, facere quae non possunt, verbis eleuant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

F A B. II.

* *Vulpis et Vua*] Vulpes appetere vuas et iis libenter vesci, patet ex Nicandr. Alexipharm. 185.

Πιοτέρην ὅτε βότρυν ἐσίνατο κηκὰς ἀλώπηξ.

Oppianus Cyneg. III. 458. de vulpe agens dicit, εὖτε

Γυμναὶ δ' ἡμερίδες περὶ βότρυσιν ἰνδάλλονται.

cum vites nudae sunt vuis, id est hyeme, *tunc vulpes auibus et catulis leporum insidiari*; sed et ipsa sacra scriptura hoc docet: nam Cantic. II. 15. Vulpes *perdere vineas* dicitur. et hoc egregie, etiam ex hac fabula, illustrat doctissimus Bochartus in Hierozoic. lib. III. cap. 13. et in terra, quae cubilia praebet vuis, Varro I. de R. R. 8. etiam vulpibus eam et hominibus saepe communem fieri notat. et hinc quoque ex Galeno docet Mercurial. lib. II. Var. Lect. 7. Graecos venatores maxime vulpes autumno quaesiuisse, quia vuis nutritae, carnem gratiorem praebent.

1 *Alta vinea*] Iugatam intelligit Schefferus, vel vuam, quae in alto pendebat. quod probaui iam ad lib. II. fab. 6. ita apud Ouid. XIII. Met. 800. ex MSS. legitur

Lentior et salicis virgis, et vitibus altis.

pro vulgata *albis*, quod non aeque bene τῷ *lentior* conuenit. *sublimes* et *iugatae vineae* Varr. I. de R. R. 8. et passim apud scriptores eius generis: *in vinea* vero hic dictum eadem ratione, vt *in Nilo* lib. I. fab. 25. ne quis etiam mutet *ex vinea*.

5 *Eleuant*,] Vid. ad lib. III. fab. X. vs. 7.

6 *Adscribere*] Ex re nummularia desumtum verbum recte notat Schefferus. sed nescio an noter, accipere velut ex debito et suum facere. cum *adscribere* sit, in tabulis scribere, vt debitum, vt Senec. I. de Benef. 3. in *virginibus nihil esse allegati decet, nec adscripti.* et III. 20. *corpora obnoxia sunt et adscripta dominis, mens sui iuris.* vbi videndus Cl. Gronouius, qui obligata, mancipata explicat. scripto ergo consignata, vt debita possent iure peti, dicuntur *adscripta. sibi adscribere* est fateri sibi deberi, tamquam ex tabulis et certa formula. Plinius VII. 26. *Oppida victoriae suae adscripsit.* vid. ad Ouid. VI. Epist. 99.

(62) FAB. III.

* *Equus et Aper.*

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbauit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis; quem dorso leuans,
5 Rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques

FAB. III.

* *Equus et Aper.*] Hanc quoque fabulam habet Nicephorus Basilaces, editus a Leone Allatio inter excerpta Rhetorum pag. 127. sed ille Apro substituit Ceruum, et multus est in hac fabula celebratissima ornanda. Inseruit eam quoque carmini suo *de Lite* Michaël Hospitalius, quod quam elegans et priscae notae sit, inde colligi potest, quod et Barthius lib. VII. Aduers. 17. prisco aut semiprisco Iuridico aut Philosopho adscripserit, et Boxhornius, vt antiqui aeui reliquias, adiecerit Sulpiciae Satyrae. sed in Patinianis pag. 47. verus auctor ostenditur Hospitalius. Rimicius etiam hanc fabulam lib. IV. 9. habet, sed non integram, qui etiam Apri partes dedit Ceruo, vt et Camerarius fab. CLXIII.

1 *Sedare*] Vide Ciofan. ad Ouid. XIII. Met. 415.

1 *Quo*] Relatiuum hic ponitur ante nomen, quo refertur, *vadum.* vt et fab. VI. 1. et V. VII. vlt.

2 *Volutat,*] Et hoc proprium de sue, et inde metaphoricae multae elegantiae, et notum est. Plin. lib. VIII. 51. de Suibus: *volutatio in luto generi grata.*

5 *Rediit ad hostem.*] Quia in codice Pithoei fuit *laetus iactis*, quarum alterutra vox redundat, et quia *laetor* sequitur, prior adiecta fuit a viris doctis. Cl. Bentlejus vtramque retinere volens corrigit, vt a Gudio aliqua parte diuersum proderet,

It in hostem laetus, iactis hunc etc.

hac quidem specie *in* pro *ad* restituens, quia *in hostem ire* est animo hostili, ad nocendum, sed *ad hostem* etiam *redit*, qui in gratiam rediturus est. sed cum Terent. Andr. I. V. 16. dixerit, *itur ad me*, et Donatus explicet notare hoc, *vt ad hostem*, et Plauti loco confirmet; et Hecyr. IV. 1. *credo ipsum ad me exire*, Donatus, *quasi litigaturum* explicet, nihili est haec obseruatio: *ad* enim *contra, aduersus* est, vt Guyetus docet. vide supra ad lib. I. fab. 21. quare *in* et *ad* saepe eamdem vim habent, et vt recte Vir doctus, ex serie narrationis apparet satis vis harum praepositionum, et ideo admodum temerariae sunt eiusmodi correctiones. Ita apud Poëtas *ire in* et *ad arma* centies occurrit, confusis a librariis praepositionibus, vt apud Ouid. III. Epist. 136.

Sic eat auspiciis Pyrrhus ad arma tuis.

vbi plerique codices *in*. vide ibi notas Heinsii et meas. XI. Metam. 511.

— *ire*

Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur.
Laetor, tuliſſe auxilium me precibus tuis;
Nam praedam cepi, et didici, quam ſis vtilis.
Atque ita coëgit frenos inuitum pati.
10 Tum moeſtus ille: Paruae vindictam rei
Dum quaero demens, ſeruitutem reperi.
Haec iracundos admonebit fabula,
Impune potius laedi, quam dedi alteri.

(63) FAB. IV.

Poëta.

Plus eſſe in vno ſaepe, quam in turba, boni,

Nar-

—— —— —— —— —— *ire*
Pectore in arma feri, praetentaque tela, leones.

ad vero aeque notare hoſtilem animum et impetum, atque *in* ſupra iam vidimus. vide et Torrent. ad Horat. Epod. IX. 17. et Paſſerat. ad Propert. pag. 422. Muncker. ad Hygin. fab. 91. nec *rediit* mutandum, nam antea turbato vado diſceſſerat, nunc redit eodem animo, quo antea in aprum erat adfectus. ſed nunc auxilio ſubnixus hominis infeſta mente redit. vt lib. III. fab. 2. *illis reuertor hoſtis.*

5 *Iactis telis*] Recte Gronouius pater haec vindicat. ita Ouid. I. Art. Amat. 210.

Telaque, ab aduerſo quae iacit hoſtis equo.

et VIII. Met. 339.

Iaciuntque ſine ordine tela.

7 *Precibus tuis;*] Id eſt, ad preces tuas, vel vt Schefferus, tibi precanti: et haec locutio ſingularis eſt: *repugnare precibus* pro precanti, Ouidius dixit VIII. Met. 73. et XI. 239. vbi tamen ambiguum eſt, *precibus tentata repugnas*, an *tentata*, an *repugnas*, iungendum ſit *precibus.*

9 *Frenos inuitum pati,*] Huc reſpicere puto auctorem Declamationis XIII. cap. 8. quae ſub Quinctiliani nomine circumfertur, *cur infrenatis equis victor inſidet?*

FAB. IV.

1 *Quam in turba,*] Schefferus malebat, *quam turba.* ſed non inuenuſta illa repetitio praepoſitionis, quae tamen etiam negligi ſolet pro arbitrio ſcribentis. vt apud Ouid. V. Epiſt. III.

Et minus eſt in te, quam ſumma pondus ariſta.

vbi vide notata. ſaepe omittunt in priori membro et ſeruant in ſecundo, vid. ad Ouid. I. Art. 335. ſic Quinctil. VIII. de Inſt. Orat 3. *quo ex indicio velut ex incendio profugit.* vbi alii *incendio.* Nepos Cimon. 3. *incidit in eandem inuidiam, quam pater*, pro *in quam.* Vellej. I. 7. *vitauit ne in id, quod Homerus, incideret.* vbi vide plura, ideoque talia, vt relicta nobis ſunt, ſeruanda, nec ad arbitrium noſtrum mutanda.

Narratione posteris tradam breui.
Quidam decedens tres reliquit filias;
Vnam formosam, et oculis venantem viros;
5 At alteram lanificam, frugi, et rusticam;

O 5 Deuo-

2 *Narratione breui.*] *Graui* vult Gudius, quia non est breuis. sed ipse fatetur narrationem esse, non fabulam. nam hic praestat, quod alibi dixerat Phaedrus, se fabulis immixturum factas res: ideo *narrationem* vocat. Illa vero debet quidem omnem rem ordine exponere, cum in fabulis tantum ea narrantur, quae ad finem fabulae faciunt, multis, vt alibi diximus, omissis. sed tamen breuis esse debet narratio, vt haec reuera est, et legibus a Rhetoribus scriptis conuenientissima, quae nihil superfluum habet. sic non repetit in initio, ab origine multa de testatore, eius familia, loco vbi habitabat, etc. narrans. sed solo τῷ *quidam* eum designat; deinde non exspatiatur in responsis Ictorum referendis, qui consulti fuere vs. 13. non etiam prosequitur euentum; sed sententia Aesopi prolata finit narrationem breuem sane et elegantem.

4 *Oculis venantem viros;*] Vide Barth. XXXV. Aduers. cap. 8. et XLIII. cap. 1. de hac locutione. Ouid. I. Art. Am. 25.

> *Quid tibi femineos coetus venatibus aptos*
> *Enumerem?*

et eodem modo Graeci. Menander in Leucadia,

> Τὸν ὑπέρκομπον θηρῶσα Φάων',
> οἰστρῶντι πόθῳ.

Sophocles in Hippodamia apud Athenaeum lib. XIII. cap. 2.

> Τοιὰν δ' ἐν ὄψει ἴυγγα θηρατηρίαν
> Ἔρωτος ἀστραπὴν τιν' ὀμμάτων ἔχει.

Clemens Alexand. Paedag. III. 2. θηρῶσι τὴν δίκην παίδων ἀφρόνων, περὶ τὰς μορφὰς ἐπτοημένους.

5 *Et frugi rusticam;*] Rudem et negligentem artes, quibus student aliae puellae placere, intelligit Schefferus, et certe ita centies apud Ouidium et alios occurrit. Praschius laboriosam intelligit, et coniungit *frugi rusticam.* Ego potius, quod innuit, sed non clare exprimit Praschius, caperem talem, quae ruri solebat telae et lanae operam dare: nam veteres maxime in rure familiam ancillarum lanificarum habere solebant, quarum curam haec filia frugi videtur suscepisse, et hinc postea mater Lanificae agellos, villam et omne rusticum instrumentum sepósuisse narratur: et hinc construerem *rusticam, quae erat lanifica et frugi.* sic in leg. XII. §. 5. et 6. et leg. XVI. ff. de Instr. et Instr. Leg. *Lanificae, quae familiam rusticam vestiunt,* memorantur. vide Colummell. XII. 3. eodem sensu intra fab. IV. 23. *formica rustica* dicitur, quia rure vitam agebat. et Horat. II. Sat. VI. 80.

> *Rusticus vrbanum murem mus paupere fertur*
> *Accepisse cauo.*

quem postea *agrestem* vocat vs. 107. et ita agrestes vrbanis opponi vidimus supra III. 2. vide Cort. ad Sallust. Fragm. pag. 977. Heinsius vero notauerat posse legi, *at alteram Lanificam, frugi et rusticam,* vt non coniungantur, *frugi rusticam.* similis

Deuotam vino tertiam, et turpissimam.
Harum autem matrum fecit heredem senex,
Sub conditione, totam vt fortunam tribus
Aequaliter distribuat, sed tali modo:
10 Ne data possideant aut fruantur; tum, simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.

Athe-

similis fere est titulus apud Sponium Misc. Erud. Antiq. bis positus pag. 151. et 223. et apud Fabret. pag. 252. et ante ambos in Catalect. Pithoei

Hic sita est Amymone Marci,
Optima et pulcherrima, Lanifica
Pia, pudica, frugi, casta, domiseda.

Quem nuper eleganti dissertatione illustrauit Vir Cl. Relandus, amicus optimus, et collega olim coniunctissimus, sed quem immatura nimis et literariae reipub. damnosissima morte exstinctum tristis et confusus, dum olim has notas conscribebam, intellexi. et ita haec duo frugalitatem et rusticam vitam separat et coniungit semel Plinius lib. I. Epist. 14. de Brixia agens, *quae multum adhuc verecundiae, frugalitatis atque etiam rusticitatis antiquae retinet ac seruat:* vbi *rusticitas* est simplex viuendi modus, quo rure viuentes, solebant vti. quam etiam *cultui*, vt extenuans luxuriam vocat molliori voce, opponit Ouid. III. Art. 127.

Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
Rusticitas, priscis illa superstes auis.

sed notandum in Plinio illa verba *atque etiam rusticitatis antiquae* deesse in multis exemplaribus scriptis, et hinc quidam adiecta crediderunt in contumeliam Brixianorum, qui ciuitatis eius incolas nota rusticitatis voluerunt infamare. Alii sublata volunt ab Italis, quia non solum ad Brixiam, sed etiam ad Italiam possunt referri. sed reuera laudibus hoc, siue Brixiae, siue Italiae tribuit Plinius. vt hoc egregie ostendit Helias Capreolus lib. II. pr. de Rebus Brixianorum.

6 *Turpissimam*] Scil. facie. vid. supra lib. III. fab. 4.

8 *Fortunam*] Rarius est singulari numero dici de re familiari et patrimonio. non tamen sine exemplo, vt Schefferus ostendit, et nos ad Quinctil. de Inst. Orat. lib. VI. cap. 1. in fine notauimus.

10 *Data possideant*] *Destinata*, sunt quae heredi a defuncto relinquuntur, *data* cum hereditate adita ea possidere incipit. Vnde dictum illud apud Petron. cap. XLIII. explico, *cui datum est, non cui destinatum*, id est, promissam aut etiam testamento destinatam hereditatem non facere beatum, sed datam siue aditam; quia multa intercedere possunt, ne quis destinata accipiat. ita ICt. in leg. XLIX. §. vlt. de Legat. III. distinguit inter *adtributa* et *destinata*. et ita infra vs. 27. *sic destinata dare cum vellet singulis:* hic vero nec proprietatem, nec vsumfructum vult dari.

11 *Habere*] Vide ad lib. III. 3.

12 *Conferant*] Heinsius interposita particula legit, *vt conferant*, quia

Athenas rumor implet. Mater sedula
Iuris peritos consulit, nemo expedit,
15 Quo pacto non possideant, quod fuerat datum,
Fructumue capiant: deinde quae tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumpta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
20 Fidem aduocauit, iure neglecto, parens.

Sepo-

quia videtur hoc requirere praecedens *ne*. non enim vetuit ne conferant, sed iussit conferre. vide supr. III. fab. 12. in fin. et lib. IV. 17. vs. 31. Sic apud Ouid. I. Trist. VIII. 49.

> *Effice, peccati ne sim memor huius. et illo*
> *Officium laudem, quo queror, ore tuum.*

vbi alii legunt *vt illo*. sed *vt* subintelligitur: ideoque hic nihil nouandum.

13 *Implet.*] Val. Flac. I. 21.

> *Vox vt Latias haec impleat vrbes.*

vid. ad Ouid. VI. Met. vs. 547.

16 *Fructumue capiant;*] Repetit negationem ex praecedenti versu Schefferus, vt mallet, *fructum nec*. sed nihil opus: post negatiuam enim particulam disiunctiua particula *ve* saepe, non semper sequitur, vt ostendimus ad Ouidii Met. III. 492. Idem Ep. II. 89.

> *Sed neque consului, nec te mea regia tangit,*
> *Fessaue Bistonia, membra lauabis aqua.*

pro *nec fessa*.

16 [*Quae tulerint*] Nescio cur hoc verbum displiceat Cl. Bentlejo, et loco cedere debeat τῷ *habuerint*, cum *ferre*; pro *accipere*, vt vs. 11. habet, centies sumatur. Sic infra h. l. fab. 17. *sed hoc feretis praemium*. ita *gaudia ferre*, Ouid. Ep. XVIII. 43. vbi vide Heinsium, *munera ferre*, Horat. IV. Od. 8. vbi vide Lambin. et ita Graecos φέρειν δῶρα, dixisse docet Casaub. ad Athen. XI. 5. mirum vero est hic placere verbum *habere*, quod lib. III. fab. 3. tolerare nequit; vbi illustrauimus; et hinc *ferre* exturbari, quo centies hoc sensu vtuntur Iurisconsulti, quando aliquis hereditate vel ex testamento quid consequitur. Exempla non adduco, sed dabit plena manu Brissonius in Lexico, in voce *ferre*.

18 *Consumpta est*] Illustrauit huius verbi vsum in hac re Daunesius ad Hirt. de Bell. Alexandr. cap. XLVII. vid. et ad Ouid. II. Amor. X. 27.

18 *Mora temporis*] Pro longissimo tempore, vt Ouid. II. ex Pont. X. 5.

> *An tibi notitiam mora temporis eripit horum.*

ita *mora ignis*, et *belli* Florus II. 15. et IV. 2.

19 *Sensus*] Vide de vocis huius significatione Cellarii Curas Posteriores pag. 88. Ouid. V. Fast. 484.

> *Is verbi sensus, vis ea vocis erat.*

20 *Fidem aduocauit,*] *Aduocare* est proprie vocare aliquem, qui nobis

Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,
Lauationem argenteam, eunuchos, glabros.
Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,
Boues, iumenta, et instrumentum rusticum.
25 Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, et delicatos hortulos.

Sic

bis adsit, et consilium suggerat. vnde *aduocati* dicuntur. vide ad lib. III. fab. X. vs. 40. et ita hic mater aduocat fidem, id est, aequum bonum, vt contra ius strictum sibi adsit, et interpretatione ex aequo testamentum adiunet: non ergo vsa amplius opera Iurisconsultorum, qui ipsi ius suggererent, sed ipsa ex fide, id est aequo bono, diuisit hereditatem, iure neglecto. illustrat hoc egregie Gronov. ad Senec. I. de Clement. 9. nec male hic Schefferus. *Fides* est *bona fides*, sic *ad fidem agere* Liv XXXIII. 41.

21 *Seponit moechae vestem*,] Hic versus et senarius Iambus, et simul Hexameter spondaeis quinque constans est. vide Barth. XVI. Advers. 14.

22 *Eunuchos, glabros*.] Rectissime et ingeniose, vt solebat, Gudius *Eunuchos* a *Glabris*, distinxit. *Glabri*, id est, quibus nullus in ore aut aliis corporis partibus pili erant, maxime in deliciis erant luxuriosis. Senec. de Breuit. vitae cap. XII. *Quanta celeritate, signo dato, Glabri ad ministeria discurrunt?* Glos. ἀβρὸς *Glaber*, *delicatus*, *molliculus*. et ita Glossae Petronii cap. XXXII. *molles* explicant, qui *barbam non habent*. vbi et vide commentatores. hi et *leues*, id est sine barba et pilis vocantur: vide ad Ouid. III. Fast. 745. et de mollibus viris, qui toto corpore euellunt pilos, Ouid. III. Art. 437.

Femina quid faciat, cum sit vir leuior ipsa.

vid. ad IV. fab. 14. hinc puto Gallicum interpretem vertisse male, *Les Eunuques delicats & effeminez*. et ita capienda sunt *seruitia* illa *politiora* apud Sueton. Caes. XLVII. id est, glabra, quasi opere tectorio polita, vt mox videbimus, et leuigata.

24 *Iumenta*,] Equos intelligit Schefferus. et certe ita saepe a bobus distinguuntur apud Plin. lib. XI. 34. et XVII. 9. Columella VI. 14. *machina clausa iumenta, bouesque curentur*. Nepos tamen in Hannibale cap. V. ipsos etiam hoc nomine boues appellat, *sarmenta in cornibus iumentorum deligata incendit*. nisi ibi cum Bosio *iuuencorum* malumus. Hic vero praeter equos, et asinos, et mulas intelligere commode possumus. Sic Senec. de Breuit. vitae 18. *tanto aptiora exportandis oneribus tarda iumenta sunt, quam nobiles equi*. Sallust. Iug. cap. LXXV. *Igitur omnia iumenta sarcinis leuari iubet*. Et mox, *praeterea conquirit ex agris, quam plurimum potest domiti pecoris*, vbi vellem interpretes docuissent, an, hi *equi*, *boues*, vel alia animalia fuerint: nam aliis locis per *pecora*, boues, oues etc. intelligit, vt cap. XII. vbi vide Cortium. vbi et paullo post, *aqua se et iumenta onerare* dixit. sic *pistrinensia iumenta* Suet. Cal. XXXVII. et ita centies apud Apulejum de asino occurrit.

26 *Domum politam*,] Perfectam explicat Schefferus, non male: nam quod

Sic destinata dare quum vellet singulis,
Et adprobaret populus, qui illas nouerat,
Aesopus media subito in turba constitit:
30 O si maneret condito sensus patri,
Quam grauiter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde, soluit errorem omnium.

Domum

quod praefatione lib. I. dixit *poliui.* infr. h. l. fab. 21. ait, *nostra perfecit manus.* sed magis proprie *polire* est opere albario, vel tectorio parietes aut alia membra excolere. et ideo de domo vrbana haec capio: nam supra villam, et agellos lanificae destinauerat, hic potrici in vrbe aedes politas. ita de parietibus *politura* occurrit apud Caelium Aurel. de Passion. I. §. 23. et Vellej. Pater. II. 22. *calce et arena perpolire*, et Plin. lib. XI. de Apibus, cum cap. 6. dixisset, *alueum intus totum, vt quodam tectorio illinunt*, hoc cap. 10. *polire* vocat: et hinc *a πόλις*, post Muretum, verbum hoc deducit Pontanus ad Ouid. I. Trist. I. 11. quia vrbana sunt politiora et elegantiora rusticis. et hinc *expolitiones*, quae exaedificato aedificio elegantiae caussa addebantur. Cicer. III. ad Q. Fratr. I. *Vrbanam expolitionem vrget ille.* vbi vide Manut et ita passim veteres. quamuis non negem et agros *poliri* et *politos* dici, vnde et *politores agrorum*, de quibus agunt ICti ad l. LII. §. 2. ff. pro socio: et *politores granorum* Cato de R. R. cap. CXXXVI. et *expolita frumenta* Columell. lib. II. de R. R. cap. 21. Iuuenc. Hist. Euang. lib. III. vs. 556.

Et sua tum iussit cultu vineta poliri.

sed ego hic vrbanam domum intelligere malo: nam mox *domum et ornamenta* coniungit.

26 *Delicatos hortulos.*] Omne quod pretiosum, molle, nitidum, ad pompam et ostentationem compositum est, *delicatum* vocari recte docuit vir Ampl. Cuperus Observ. lib. I. cap. 3. ita *rus delicatum* Martial. VII. 16. *delicata Asia* Cicero pro Muraen. XIX. *delicatissima nauigia* Suet. Vitel. X. Sic apud Petron. cap. XXXIII. *notaui rem omnium delicatissimam.* vid. infr. lib. V. fab. I. et ad Quinctil. I. Decl. 13.

29 *In turba constitit:*] Eiice illud *vt*, *in turba vt constitit*, quod fere semper odiose intrusit Vir celeberrimus, et hic maxime est molestum, quia *quum* modo hoc in verborum complexu praecedit. Quum mater vellet dare, et populus approbaret, Aesopus, praeteriens forte, subito, quem nemo exspectabat, *constitit*, id est, ibi restitit, quo verbo vtitur lib. III. VIII. 4. haec enim vis verbi *consistere.* vid. ad Petron. cap. XLVI. et Ouid. III. Art. 43. Omittit vero solito sibi more Phaedrus, *qui sic locutus est*, *O si*, etc. quod et in sua correctione supplere cogeretur Cl. Vir, et hac vel simili formula connectere versus istos.

33 *Rogatus*] Scilicet sententiam suam.

33 *Soluit errorem*] Eleganter; quasi nodum, quia, vt dixit supra III. X. 41. *ipsos error implicuisset criminis.* aliter paulo Ouid. II. Met.

Domum et ornamenta, cum venuſtis hortulis,
35 Et vina vetera date lanificae ruſticae.
Veſtem, vniones, pediſequos, et cetera
Illi adſignate, vitam quae luxu trahit.
Agros, vites, et pecora cum paſtoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,
40 Vt moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, vt vinum petat.

Agros

Met. 39. *hunc animis errorem detrahe noſtris.* et hic *ſoluit* eſt idem, quod, vſ. 14. *expedit.* Liuius lib. XL. 55. *homo vnus omnium, qui nodum huius erroris exſoluere poſſit.* ita *ſoluere iniuriam* explicat in oratione Lepidi Cortius pag. 940. poſt Salluſtium, neſcio an ſatis ad hunc locum apte. magis appoſite Iuuenalis Sat. VIII. 50.

Qui iuris nodos et legum aenigmata ſoluat.

36 *Pediſequos,*] Bene monuit Hoogſtratanus *Pediſequos* ſcribendum, ne verſui vis inferatur. et ita in lapide apud Gruterum DC. 8. VERNAE PEDISEQVO. et MCXII. 10. CINNAMVS TI. CAESARIS AVG. PEDISEQVVS. et in Bellorii Monum. t. XII. Theſaur. Antiq. Graec. pag. 37. TI. CAESARIS. PEDISAEQ. PRIMIANO.

38 *Vites,*] *Villas* Gudius emendabat, ſed plures fuiſſe non veroſimile, cum antea vnam tantum nominauerit. Hinc facile fuit quidem *villam* facere: ſed quia tunc verſus laboraret, copulam adhuc intruſit Cl. Bentlejus (de qua vidimus ad lib. III. fab 10.) quod recte diſplicet Viro docto. Succurreretur omnibus partibus verſus, ſi legere liceret,

Agellos. villam, et pecora cum paſtoribus.

39 *Perpeti,*] Vide Gronov. ad Senec. Thyeſt. vſ. 470.

40 *Teneat*] *Tenere* hic pro *poſſidere* et *habere*, vt ſupra dixit, debet ſumi. exempla apud Ciceronem, ICtos et alios obuia. vid. leg. XV. ff. de his quae vt indign. auf. et leg. XVIII. ff. de acceptil. Vis autem maior in hoc verbo, quod notat non amittere poſſeſſionem, ſed ſeruare data, non vendere. Senec. Conſol. ad Polyb. 28. de opibus, *numquam bene tenentur.* et de Conſt. Sapient. 6. *teneo, habeo, quidquid mei habui.*

40 *Alienum ſuis.*] Ita conſtrui ſolere hanc vocem vidimus ad Quinctil. de Inſt. Orat. lib. VI. cap. 3.

41 *Vinum paret.*] Incommode hoc verbum ſequenti verſu repetitur, quare varia tentarunt viri docti. Gudius *impetret.* ſed hoc precibus obtineri poteſt; non ergo vendere cultum cogeretur. deinde mallet, *vt vinum comparet.* ſed tunc ne verſus laboret, legendum, *vinum vt comparet*: et forte ita voluit Vir doctiſſimus. ſed eadem manet repetitionis inſuauitas, ſi prior verſus in *comparet*, ſequens in *paret* exeat. reliqua *par et, parem,* vix merentur, vt haereamus. in Ouidio centies deprehendimus, librarios ex praecedentibus vel ſequentibus proxime verſibus idem verbum repetiſſe, et geminaſſe;

vide

Agros abiiciet moecha, vt ornatum paret;
At illa gaudens pecore, et lanae dedita,

Qua-

vide exemplum in III. Trist. XI. 23. Gronouius Pater, applaudentibus adhuc omnibus, hic, *vinum petat*, rescribi iussit. Quae emendario facilis, quia *parare* et *petere* etiam alias confundi a librariis vidimus ad Calpur. Fl. Decl. XXV. et multa exempla adduximus. Sed Cl. Bentlejo hoc non placet, quia *vinum petere*, est ex taberna subinde petere venale, non domi in penu possidere. recte. atqui hoc hic agitur, vt vendat cultum deformis, et ex pretio inde redacto, e taberna vinum petat. nam potrici melius conuenit subinde petere vinum, quam in penu possidere: tali enim quotidie deesse solet vinum, vnde subinde ex taberna nouas copias petere debet. et ita Martial. I. 27.

A caupone tibi faex Laletana petatur,
Si plus quam decies, Sextiliane, bibis.

Curtius non dissimili ratione *commeatus petere* dixit lib. IX. IX. 8. nec *petere* hic debet capi, vt apud Ouid. I. Art. 230.

Est aliquid, praeter vina, quod inde petas.

ibi enim non est emere, fateor. sed communi significatione notat, quaerere, sibi proponere, etc. His si iam compares alias interpretationes et coniecturas, sordent reliquae: nam quam languidum et nihil ad rem pertinens quaeso, est, *vt vinum bibat?* hoc enim et rusticae et moechae; quae sine dubio etiam non abstemiae fuerunt, conuenit, et illis vinum erat in penu necessarium, vt biberent ipsae et familia. Saltem correxisset, vt *potet merum:* nam quando libido corrigendi incessit, aeque facile est ex *vinum*, facere *merum*, quam ex *paret*, *bibat*. *potare* vero conuenit potrici, non *bibere*. vid. ad lib. III. fab. 16. et *merum* etiam ebriosae gratius, quam, quod bibebant febriae, aqua corruptum: Vir doctus, Bentleji censor, violentius adhuc gladio critico vsus, legit, *vetera vt vina emat*. omnia vestigia scriptae lectionis delens, eo solo vsus colore, quia cum *vendet* praecedit, necessario debeat respondere illi verbo *emat*. *cultum vendat, vt emat vinum*. Res est verissima; sed *petere vinum* idem est quod *emere:* non enim gratis dabit institor tabernae: nam si tam liberalis foret, nec vendere cogeretur mundum profunda et arida semper potricis gula. sed si sciret, vinum sine pretio prostare, sine dubio *peteret*, eo sensu, quo capiunt perperam viri docti, gradu citato, et nulla interposita mora. De verbo *parare* pro emere, vt sequenti versu debet sumi, vide Gronov. ad Senec. IV. de Benef. 12. vbi legerem: *Nemo Tusculanum aut Tiburtinum aere paraturus:* nam *emere paraturus* codices plures et ita semper subintelligi debere docuit ad Sallust. Iugurt. XXXI. 11. Cortius ex Buchnero, cui parum debere Gronovium credo.

42 *Abiiciet*] Recte expositum a viris doctis, pro, vilissimo pretio vendet. vt Senec. de Benef. I. cap. 11. *Recipe; non desidero. meo contentus sum. Interim non reddere tantum libet, quod acceperis, sed abiicere.* vide Gronov. III. Obs. 21. et ita *proiicere* vsus est Florus II. 16. vbi vide Cl. Graeuii et Dukeri notas.

Quaecumque ſumma tradet luxuriae domum.

Sic

44 *Luxuriae domum.*] Gudius, cepit hic *luxuriae* in datiuo, vt ſit, *tradet domum luxuriae*, id eſt, luxurioſis hominibus, luxui deditis, vt *inuidia* pro inuidioſis hominibus, et ſimilia paſſim apud noſtrum. Duriſſima certe expoſitione, neque ſemper verum eſt, vendi tales domos politas luxurioſis, cum ſi vili pretio vendantur, etiam alii, qui frugi ſunt, luxurioſorum ſumptuoſa aedificia bene emere amant. Heinſius, olim coniecerat, *tradet licituris domum*, vt Schefferus monet, et apparet ex Epiſt. XV. Schefferi ad Heinſium. Sed in codice ſuo induxerat hanc coniecturam, ita vt videatur mutaſſe ſententiam, et tranſiiſſe in Schefferi, qui recte explicat, pro domo inſtructa ad luxum. nam adſcripſerat etiam Heinſius duo loca, vnum Ciceronis ex II. Agraria. *Capuae, in domicilium ſuperbiae, atque in ſedibus luxuriae collocaſſet*, alterum Liuii XXIII. 8. vbi *luxurioſa domus*. quibus adde haec C. Nepotis in Vit. Ageſil. cap. VII. de eius domo, *quam qui intraret, nullum ſignum libidinis, nullum luxuriae videre poterat.* Ouid. VI. Faſt. 644. de domo Vedii Pollionis,

> *Haec aequata ſolo eſt, nullo ſub crimine regni,*
> *Sed quia luxuria viſa nocere ſua.*

Et ita Curtius lib. III. cap. XI. §. 20. *Ingens auri argentique pondus, non belli, ſed luxuriae apparatum* dixit. et Iuſtin. II. 14. *Graecos, diuiſo inter ſe auro Perſico, diuitiarum luxuria cepit.* Ex quibus omnibus patet *luxuriam* proprie dici nimium et profuſum ſumtum, et vt Nonius explicat, *contra pudorem et ſupra modum profuſionem.* Quod et ex Valerii Max. lib. IX. cap. I. apparet, qui ei libidinem comitem dat, vt et Terent. Heaut. V. I. *vt illius animum, qui nunc luxuria et laſciuia diffluit, retundam.* et ſupra Nepos in laudato loco. Eadem vero forma, vt Phaedrus, dixit Cicero V. Verrin. 37. *Luxuriae caſtra.* et Silius VI. 479. Carthaginem *fraudum domum.* Lucanus vero, ad exemplum Liuii, lib. X. vſ. 488. *luxurioſam domum.* Quae omnia docent recte Schefferum explicuiſſe, et nihil hic tentandum. Vir tamen doctus contendit, legendum *luxuriam et domum.* Sed vellem viri egregii ſemper confirmarent nouas et paradoxas coniecturas aliis veterum locis, vnde ita locutos fuiſſe olim doceremur. Nam probare ſaepe hic et illic a librariis peccatum in exterenda illa copula *et*, nihil euincit, cui effato nemo obloquitur, et ſi quis vſum MSS. habet, centies expertus eſt. Sed oſtendendum erat, quid ſit *tradere luxuriam.* Hoc eſt, dicent, luxuriae inſtrumenta: crederem, ſi ſimiles locutiones viderem: vel forte dicent, *Luxuriam et domum* eſſe ἓν διὰ δυοῖν, pro *luxuriae domum*, vt *patera libamus et auro*, et centena talia. bene ſane. ſed an ſemper, etiam vbi Phaedrus noluit illa figura, ſed ſimplici oratione vti, cogendus eſt in figuras? ſaltem confiteri hinc cogentur, etiam *luxuriae domum* ſimpliciter dici poſſe: retineamus ergo vulgatam, cum nihil nouae ſignificationis aut elegantiae addat incerta et lubrica coniectura. Nouum vero non eſt hodie commentum, et arcanum nunc demum vulgatum, extritam illam copulam *et* fuiſſe, et inde remedium petere locis affectis: nam ita apud Quinctil. lib. XI. cap. 3. p. 1011. nos vulgatam lectionem,

Diſci-

45 Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulae.
Ita, quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis reperit solertia.

(64) FAB. V.

Pugna Murium et Mustelarum.

Quum victi mures mustelarum exercitu
(Historia quorum in tabernis pingitur)
Fuge-

Disciplinae traditione ex codice Almelouenianoemendauimus, in *disciplina et ratione*, quod ibi molliter succedit: nam et ita Cicer. I. Tusc. Disp. I. *artium ratio et disciplina*, vbi etiam in Sulichemiano codice vidi, *ratio disciplinae*, et III. de Nat. deor. 35. *respublica ratione quadam et disciplina designata videatur.* Dauiesius apud Ciceron. I. de Diuinat. 15. pro *Tetrarchiae regno* emendauit, *Tetrarchia et regno*, et ibi similes mendas plures ostendit; et Heinsius ad Ouid. VII. Epist. 5. XV. 188. et copiosissime ad Epistol. Sabini III. in fine: sed talia saepe locis minime opportunis captare, res est plena periculi. cum ergo *luxuriae domus*, sit nimio sumptu exstructa et polita, Gallicus interpres non satis apte vertit, *maison de delices*: quia et talis esse potest, in quam non nimium pecuniae est expensum, nec cuius aedificatio et expolitio magni constitit: ita enim omnia amoena loca, etiam minimi sumptus villam, appellare licet: etiam *delicatos hortulos*, quos noster tamen distinguit.

46 *Dictam pecuniam.*] Id est, testamento imperatam: nam vt *legem dicere* in aliis rebus, pro praescribere, imperare dicitur, ita et in Testamento *legem dicere* testatorem ICti testantur l. 14. Qui testam. facer. pos. et l. 114. §. 14. de legat. 1. Ita *dicta hora*, *dictum tempus* apud nostrum et alios centies. *dictas pecunias* pro indictas, imperatas, dixisse puto Sallustium lib. II. Histor apud Nonium in *dicere.*

FAB. V.

2 *In tabernis*] Ad hunc morem refer Epigramma in Antholog. lib. II. cap. XII. pag. 202.

Γραπτὴν ἐν τοίχῳ Καλπούρνιος ὁ στρατιώτης,
Ὡς εὗρεν ἔστιν, ἰδὼν τὴν ἐπὶ ναυσὶ μάχην.

vnde apparet has picturas in parietibus fuisse, de quibus etiam vide Broukhus. ad Propert. II. V. 26. sic et in tabernarum librariarum postibus scriptorum venalium nomina scribebantur. Martial. lib. I. Ep. 118:

Contra Caesaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc et inde totis,
Omnes vt cito perlegas poëtas.

Sed hunc versum vt insititium delent Guyetus et Vir doctus. temere, si quid video: caussa fuit, quod

Fugerent, et artos circum trepidarent cauos;

Aegre

quod *m* in *quorum* elidi nollent, et ita versus destructus appareret. Heinsius et Bentlejus subueniunt infarciendo et, quod valet *etiam*, vt legatur, *quorum et in Tabernis*. Sed iam similes elisiones vidimus, et Gudius dedit plura exempla. Deinde corrigit Bentlejus, *exercitum*, et coniungit cum *fugerent;* quia nullo exemplo dici putat, *victos exercitu*, cum dicendum foret *victos ab exercitu*. Sed si non *vinci exercitu* possim totidem verbis producere, alia sunt ad manum exempla constructionis eiusdem verbi, et praepositionem *a* modo addi, modo reiici satis constat. Sic cum Ouidius Ep. XIX. 183. dixerit, naues *vinci ab aequore*. Virgilius IX. Aen. 91. dicit, *turbine vinci*, et Ouid. I. Trist. X. 8. *saeuis victa fatiscit aquis*, vbi tamen alii *icta*. idem III. Fast. 236. *victae sole niues*. et II. 220. *Zephyro victa nix*. idem II. Am. I. 28. *carmine victa fera*. et *ianua victa muneribus*. Propert. I. XVI. 36. et innumerabilia talia. Sed respondebit, credo, ibi instrumenta indicari, quibus vincuntur res. Verum puto, sed an non et exercitus et milites sunt instrumenta victoriae? satisfaciamus tamen fastidiosis, et duris criticis. An vitiosa credent etiam illa Ouidii V. Fast. 562.

> *Armaque terrarum milite victa suo.*

An ibi *miles* non idem est, quod exercitus? certe arma victa ibi etiam per figuram sunt hostium exercitus victi, quorum imago erant eorum arma, fixa in templis: Sabin. I. Ep. 59.

> *Threiceo melius cecidissem milite victus:*

et eadem fere locutione Tibul. III. VI. 4.

> *Saepe tuo cecidit munere victus amor.*

quod non mutandum in *cessit*. Idem lib. I. El. VIII. 4.

> *Quem tremeret forti milite victus Atur.*

Denique apud Valer. Max. III. II. 7. *Pelli exercitu* occurrit. *Romani Gallorum exercitu pulsi.* vbi etiam Pighius intrusit praepositionem, et legit, *a Gallorum exercitu*, sed eius audaciam recte coërcuit doctissimus Torrennius religione MSStorum. vix autem credo eo temeritatis prolapsurum virum doctum, vt *pelli exercitu*, minus insolens adfirmet, quam *vinci*. Gratis ergo et temere affirmatur, Latine non dici *vinci exercitu*. Et si sine hac nota emendasset Vir egregius simpliciter, *cum victi mures, mustelarum exercitum fugerent*, forte plures assentientes reperisset. sed et ipse Cl. Bentlejus exemplum debuisset producere, vbi *exercitum fugere* occurrat. quod quoniam neglexit, habeat a nobis Senec. IV. Nat. Quaest. praefat. *cum Pompeius alienum exercitum fugeret, Lepidus suum*. sed videat an huc faciat, certe rarius puto, cum centies victi *fugisse* simpliciter dicantur. hoc ergo vellem egisset Vir doctus, et ex thesauris suis nobiscum communicasset exempla plura.

3 *Circum trepidarent cauos;*] Potuisset hunc locum aduocare doctissimus Cortius, ad Sall. Iug. LXVII. vbi recte exponit, *trepidare ad arcem oppidi*.

3 *Cauos;*] Ita non tantum *caua* dixerunt. sic et apud Columell. I. 6. *cauus* occurrit. et apud Terentian. Maur. pro puteo. notante Barth. XV. Adv. 2. vid. supr. lib. II. fab. 4. et III. 16.

Aegre recepti, tamen euaserunt necem.
5 Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, vt conspicuum in proelio
Haberent signum, quod sequerentur, milites,
Haesere in portis, suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor auidis dentibus
10 Capacis alui mersit tartareo specu.

4 *Aegre recepti*,] id est summa cum difficultate et labore. vid. Rivium et Cortium ad Sall. Iugurt. LXXXIII.

5 *Duces eorum*,] Iterum fulciendam sententiam crediderunt Heinsius et Bentlejus contra morem Phaedri; qui legunt, *duces at horum*, quasi illa pronomina *hic, is iste*, etc. semper liceret commutare, quotiescumque libido corrigendi inuadit criticos: neque etiam cum Walchio capi debet, ac si dixisset, duces eorum quod attinet. sed *duces eorum*, *qui* etc. *haesere et capti sunt*, plana sententia et constructione.

10 *Capacis alui mersit tartareo specu.*] Tragicae grauitatis verba, vt recte Faber, ridiculi caussa interserta: est enim Poëtica exaggeratio. ita Virg. IX. Aen. 700.

— reddit specus atri vulneris vndam
Spumantem

vbi vide Seruium. Silius Italicus, imitator Maronis. lib. VI. 276.

Tabificam spirat saniem specus vltima.

imitatur et Prudentius, ad cuius VI. Cathem. vs. 105. vide Heinsium, qui adducit ex hymno VII. vt et hic Gudius,

Alui capacis vinus hauritur specu.

Ita et Lycophron. vs. 154. de Cerere, mandente Pelopis humerum, dixit, *ἐτύμβευσε τάφῳ, condidit sepulchro,* pro ventre; vbi Tzetz. *συμβολικῶς τάφον* pro *γαστέρα* positum adnotat. vide ibidem et Canterum et Meursium. Et hoc quoque Latini Poëtae imitati. Attius in Atreo in fragmentis a Vossio collectis pag. 106. et apud Ciceron. I. de Off. 28.

Natis sepulchrum est ipse parens.

et Ouid. VI. Metam. 665.

— seque vocat bustum miserabile nati.

mersit etiam elegans in hac re, et efficax verbum; vt idem Poëta lib. XV. 105.

Corporeasque dapes auidam demersit in aluum.

et in Ibide vs. 387.

Vt quos demersit vastam Polyphemus in aluum.

vtrobique diuersi codices *demisit*, quod capacitatem non satis alui vastae et profundae exprimit. vide quae ibi notamus. Boëth. lib. IV. Metr. 7.

Fleuit amissos Ithacus sodales,
Quos ferus vasto recubans in antro,
Mersit immani Polyphemus aluo.

Ceterum miror non offendisse viros, qui ad omnia singularia haerent, et caussas vndique corrigendi arcessunt, singulare illud loquendi genus, *immolatos dentibus*: de Cl. Bentlejo minus mirum est, qui, si verbum *immolatos* mutasset, vnico suo subsidio, quo vsus fuit in

Quemcumque populum triſtis euentus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili praeſidio latet.

(65) FAB. VI.

Poëta.

Tu, qui, naſute, ſcripta deſtringis mea,
Et hoc iocorum legere faſtidis genus,

Parua

in abiicienda veteri lectione fab. I. lib. I. *lacerat iniuſta nece*, ſe orbaſſet. Sed vtrumque probari debuiſſet, *mactare* et *immolare nece iniuſta*, aeque atque hic, *immolare dentibus*. Certe ſi *deuoratos* dixiſſet, nihil fuiſſet, quod moraretur. an vero *dentibus* iungi τῷ *merſit* poſſet, et ita duplex ablatiuus vni verbo addi? an ellipſis ſit, *immolatos merſit dentibus deuoratos?* haereo, et eruditis expendendam hanc etiam Phaedro ſingularem locutionem, quam forte debet grandiſono alicui Tragico, relinquo.

11 *Quemcumque populum*] Id eſt ſiue ſub rege viuentem, ſiue in republ. liberum, nihil ergo muta. vid. ad Valer. Flac. III. 642. et V. 240. de ipſa re vide lib. I. fab. 15.

13 *Minuta plebes*] Veteri modo pro *plebs*. vt Quinctil. Decl. XIII. 11. *ſubiecta plebes*. vid. Gudii notas. *minuta* eſt humilis, ſordida, vt Petron. XLIV. *Itaque populus minutus laborat.*

13 *Facili praeſidio*] Obuio, minimi laboris, qui vt mures in cauis, ita in caſis ſuis et tuguriis, paratum et tutum habent receptaculum. Iuuenalis, Sat. X. 15.

Temporibus diris igitur, iuſſuque Neronis,
Longinum, et magnos Senecae praediuitis hortos
Clauſit, et egregias Lateranorum obſidet aedes
Tota cohors: rarus venit in coenacula miles.

et quae ibi plura in hanc rem. vid. ad lib. II. fab. 6.

FAB. VI.

1 *Tu, qui naſute*] Nec aduerbium eſt *naſute*, vt Rittershuſius, ſed vocatiuus, vt eodem modo, lib. III. fab. 6.

Sed quid fortunae, ſtulte, delictum arguis?

vbi etiam poſſet aduerbium *ſtulte* aliquis ſtatuere. ſed *ſtulte* ſine dubio eſt vocatiuus, vt et fab. XV. 2. *ſtulte*, inquit, *erras*. mox fab. X. *ſceleſte*. Nec mutari debet in nominatiuum, vt Bentlejus, qui *naſutus* legit; nam notum eſt ſatis caſus hos promiſcue poni. vide Weitz. ad Valer. Flacc. I. 392. Pincier. Parerg. II. cap. 2. Paſſer. ad Propert I. 8. pag. 181. et nos ad Ouid. Ep. XVII. 100. idem VI. Met. 133. *Et tu quoque charus Olympe*. et ratio eſt, quia olim idem caſus erat, et eadem forma efferebatur. vid. Serv. ad Virg. I. Aeneid. 451. conſtruendum vero, *Tu naſute, qui deſtringis*, relatiuo poſito ante nomen, quo referri debuit, vt ſupra lib. I. 4. *Et quem tenebat ore, dimiſit cibum*, fab. IV. 3.

ſedare

Parua libellum ſuſtine patientia,
Seueritatem frontis dum placo tuae,
5 Et in cothurnis prodit Aeſopus nouis.
Vtinam nec vmquam Pelii nemoris iugo
Pinus bipenni concidiſſet Theſſala!
Nec ad profeſſae mortis audacem viam

P 3 Fabri-

ſedare ſolitus quo fuerat ſitim, turbavit vadum lib. IV. vlt. *Ego quondam quam legi ſententiam, pulchre meminero.* V. V. 6. *Quam quiſque poſſet, vt nouitatem oſtenderet.* Ita ſolere alios multis docuit Cortius ad Salluſt. Iug. XLI. 4. *Naſutus* vero non tam eſt ſagacior aliis errorum et vitiorum odorator, quam deriſor, qui naſo adunco ſuſpendit homines: ſic *ſtili naſum* condidiſſe Lucilius Plinio dicitur in Praefatione. ſed hoc iam Lexicographi docent.

1 *Deſtringis*] Ita recte Heinſ. vid ad lib. I. fab. 29.

3 *Parua*] Et hoc offendit multos pro *breui.* vt explicare Rigaltium notat Schefferus, licet in Rigaltii notis non reperiam. vnde *paruum libellum* malunt. ſed *paruam conſuetudinem* Terentium dixiſſe (notant Lexicographi; ſi *parua mora* vel *paruo tempore* dixiſſet, quo ſaepius Ouidius vtitur, pro breui, nemo haeſiſſet: *parua nox* Lucano IV. 476. et 528. *paruum aeuum* Albinov. ad Liv. 285.

3 *Libellum ſuſtine patientia*] A naſo ad *labellum* Poëtam noſtrum cogit hic deſcendere Bentlejus; admodum inconcinne, et recte non admittit Vir doctus inſolentiſſimam locutionem, *ſuſtinere labellum. ſuſtinere* (quo verbo varie vſum ſaepe iam vidimus Phaedrum) hic eſt ferre, admittere, non abiicere. vt ſupra III. 8. *nec gloriantis ſuſtinet fratris iocos.* vbi vide, quae adduximus: et affinis ſignificationis ſunt, *ſuſtinere ſpiritum* lib. III. fab. 2. et abſolute *ſuſtinere* lib. IV. 15. nec magis placet Rittershuſii *paruam libellam ſuſtine*, pro iudicium inhibe. quis enim ita vmquam locutus eſt? et nondum video liquido ſatis probari *libellam* pro *ſtatera* aut *lance* fuiſſe in vſu multo veteribus. ſine dubio hic naſutus ſtilum Phaedri, vt humilem et plebeium deriſerat. ideo nunc ſpecimen vult dare facultatis ſuae, et ſimul traducit illos Poëtas, qui fabulas prioris aeui carmine condentes, vulgatiſſima et centies repetita obtrudebant populo: vnde incipit, quaſi oeſtro concitatus, ab expeditione Argonautica, vnde Euripides Medeam, et eius exemplo Ennius inceperant.

4 *Dum placo*] id eſt, interim, nunc hoc ipſo tempore, dum placo. etc vid. ad lib. III. fab. 10.

5 *Et in cothurnis*] *En* Meurſius, quod Gudius et Heinſius recipiendum cenſuerunt: nec mihi diſplicet, quia eſt quaſi deriſori ſatisfacientis cum deriſione.

6 *Pelii nemoris*] Ita recte Heinſius et alii. vide Lutat. ad Stat. V. Theb. 336. vbi *Pelias pinus* dicitur. et *Theſſala pinus* Ouidio Ep. XVIII. 158. vbi vide Heinſii notas: recte caſtigat Gallicum interpretem, qui dederat *la foreſt de Pelee*, eius cenſor.

8 *Profeſſae mortis*] Id eſt, quam ſubituros ſe profitebantur, manifeſtae, quam effugere ſe nequire ſciebant. ita Ouid. III. Amor. 14.

Solaque

Fabricasset Argus opere Palladio ratem!
10 Inhospitalis prima quae Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graium et Barbarum.
Nam-

Solaque famosam culpa professa facit.

Ita *professus furor* Quinctil. Declam. III. 12. et *Professus hymen* Stat. I. Silv. II. 26. vide Cl. Graev. ad Cicer. III. Verrin. 56. et Epist. CCXI. ad N. Heinsium. Ita Senec. Ep. LXVII. *quaedam vota aperta sunt et professa*. Valer. Max. IX. III. 3. *luctus professus* ex Gronouii certissima emendatione. et Cicer. II. Tuscul. 5. *Quod est enim maius argumentum nihil eam prodesse, quam quosdam professos Philosophos turpiter viuere?* vbi alii *perfectos*. sed ex Palatino codice. Gebh. III. Crep. 3. restituit *professos*, et id sensus exigit. perfecti enim Philosophi esse nequeunt, et simul turpiter viuere. sed *Philosophiam professi* facile aliter viuunt, ac sectae scita, quae prae se ferunt, exigunt. quia animum non rite excoluerunt, et ideo non ferunt fructus, vt agri, nisi excolantur. et ita Senec. Epist. LXXII. distinguit *Sapientem, a multis professis sapientiam*. iam vero non fuit Phaedro necesse addere *se*, et dicere, *se professos*, non magis quam Iustino VIII. 4. *orant, vt professum aduersum Phocenses ducem Graeciae exhibeat*. et ita *professae meretrices*, non *se professae*, Ouid. IV. Fast. 866.

Multa professarum quaestibus apta Venus.

Denique firmat hanc lectionem Apulej. Apol. I. vbi legi ita debet. *Paupertas Philosophiae vernacula, est frugi, sobria, paruo potens, aemula laudis, aduersa diuitiis, professa, habitu secura.* Nullo sensu in vulgatis legitur, *aduersum diuitias professa*. vbi deberet aliquid addi, vt *hostem professa aduersum diuitias*, vel *aduersam diuitiis se professam*, vel simile quid, si vulgata retinenda esset. Egregius Bestius, olim meus, tentabat, *aduersa diuitiis, professo habitu secura*. etiam non male, vt ad pallium Philosophicum, barbam et ceterum habitum respiciatur, quod confirmare posset alius eiusdem scriptoris locus ex XI. Metam. *Nec ille deerat, qui pallio, baculoque et baxeis et hircino barbitio Philosophum fingeret*. nam ibi *fingere* idem est, quod *profiteri*.

8 *Audacem viam*] Expressit hic Ouidium, qui de Daedalo II. Art. 22.

Audacem pennis reperit ille viam.

et multi sunt Poëtae, vbi nauigationes detestari volunt, in increpanda Argonautarum audacia. vid. Ouid. III. Amor. II. et hic commentatores: et hinc *improba Argo* Senecae Medea. 340. eodem modo, quo *improbam Caesaris classem castigasse Oceanum* dicit Flor. III. 10.

9 *Opere Palladio*] Eleganter pro opera, labore Palladis. ita Ciceroni reddidit Cl. Graeuius in Orat. ad Quirites post Redir. cap. II. *quam* (rempublicam) *aliquando omnes vnius opere seruatam iudicauerunt*. vbi vulgo *opera*. *Arte Palladis aedificare equum* dixit Maro lib. II. Aeneid. 15. et ita passim *omni magno* et *maximo opere* facere, rogare etc. occurrit. ab *opera* distinguit *opus* Terent. Phorm. V. I. 33. *Quod nos ambo opere maximo dabamus operam, vt fieret*. a *labore* Tacitus I. Ann. 20. *vetus operis ac laboris*, vbi v. comm. *militari opere* Suet. Aug. 18.

10 *Prima*] Ante Argo an naves fuerint, ad Valer. Flacc. II. 287. disquisiuimus.

Namque et superbi luget Aeëtae domus,
Et regna Peliae scelere Medeae iacent:
Quae, saeuum ingenium variis inuoluens modis,
15 Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hic caede patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior
Aegea Minos classe perdomuit freta,
20 Iustoque vindicauit exemplo impetum.

P 4 Quid,

13 *Iacent:*] Victa, euersa sunt. Ouid. VIII. Met. 114. *reuertar in Patriam? superata iacet.* et ita passim.

14 *Inuoluens*] *Euoluens dolis* Heinsius malebat, contra mentem, credo, Poëtae, qui saeuitiam abdidisse et dissimulasse variis modis Medeam dicere voluit, et specie semper quadam celasse. In epistola VI. ad Schefferum Vir nobilissimus, Heinsius, *inuoluens dolis* corrigit et rectius: nam *doli* et *modi* facile commutari potuere. vt apud. Ouid. Ep. XX. 41. *mille doli restant*, vbi vulgo *modi*. inter vitia animi Seneca lib. I Nat. Quaest. in princ. ponit, *in alienam voluntatem sermonem compositum, et cor inuolutum* et Valer. Max. VII. III. Ext. 10. *mendacium versuti ducis, simulatione beneuolentiae inuolutum.* contrarium iam *euoluere*. vt apud Cicer. II. de Orat. 86. *aliquando euolutum illis integumentis dissimulationis tuae nudatumque perspicio.*

15 *Explicuit fugam*] Vt ita *explicare bellum difficillimum* dixit Florus lib. I. 17. sed in obuia re parco exemplis.

17 *Quid tibi videtur?*] Formula elegans, et quasi consultantis, et exprobrationi respondentis. Terent. Andr. II. I. 15. *Quid tibi videtur? Adeone ad eum?* Eun. II. II. 42. *sed quid videtur hoc tibi mancipium?*

20 *Iustoque vindicauit exemplo impetum.*] Correctio Heinsii, quam secutus est Cl. Bentleius, non placet Viro docto, et, vt verum fateor, durior est locutio, *vindicare iusti imperii exemplum*, cum sine dubio Phaedrus voluerit dicere, Minoa purgando maria a piratis, et eos puniendo, impetum illum, id est, iniustam rationem praedandi, vltum fuisse. potuissent huc adducere illa Valerii Max. lib. V. III. ext. 3. *Theseus saeua potentissimi regis Minois imperia vixdum aetate pubescente repulit.* sed de Piratis agi verosimile est. notum enim est, olim Piraticam fuisse non modo celeberrimam, sed et honestam habitam, vt et latrocinia, quae iusto bello mutauit Minos, praecipue postquam Caras, piratica infames, mari expulit. vid. Meursii Cretam. lib. III. cap. 3. *exemplum* vero recte poenam et supplicium interpretatus est Schefferus. vid. Gell. VI. 14. *impetus* vero, simpliciter positus, saepe rationi opponitur: ita ferarum ritu viuentes *impetum* (qui passim illis adscribitur, vt Leonibus Ouid X. Met. 551.) sequebantur mortales; deinde consilio et ratione vitam agere instituerunt, tam pace, quam bello, quod etiam ratione administrari coeptum

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellae te iuuant, nec fabulae?
Noli molestus esse omnino literis,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.
25 Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant,
Et, vt putentur sapere, coelum vituperant.

coeptum est. sic, licet in alia re, Ouid. Remed. 10.

Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit.

vbi vide quae adnotauimus. et *legi* opponit, licet; in diuersa re, idem II. Metam. 203.

—— —— quaque impetus egit,
Hac sine lege ruunt

et quae infinita in hanc rem facile coaceruari possent. Minos ergo ferinum illum viuendi morem, legibus, ratione et poenis emendavit: nec male Schefferus et Iohnsonus incursum Piratarum explicant, vt sit ex more Phaedri, *impetus* pro impetentibus: Gallicus interpres impetum, mortem filii sui intelligit, recte a Scheffero reprehensus.

21 *Quid ergo possum*] Qui alibi de scabris anapaestis queritur Bentleius, hic nobis non scabrum modo; sed elisione durissima, intolerabilem auribus Poëticis obtrudit, *Quid ego ergo*, sine vlla necessitate illud *ego* inserens. et cumulans *ego ergo*, voces vna litera discrepantes; cum si illae iungantur, soleant Poëtae *Ergo ego* dicere. vide ad Ouid. I. Amor. II. 49. et IV. Fast. 83.

25 *Si qui stulti nauseant,*] Et haec varie vexantur. Cl. Bentleji coniecturas satis refutauit eius adversarius, et certe sunt omnia, quae hic conatur vir egregius, violenta, et longe remota a sensu Phaedri: quid enim, quaeso est, *consulto nauseare?* quis ita locutus vmquam est? sed stulti et nasuti, vt videantur sapere, nauseare semper se profitentur, quaecumque scripta illis obueniant. An offenderint illa, *si qui*, nescio, sed idem est, ac si dixisset *quicumque*, *quiqui*, vid. ad Ouid. I. Epist. 21. deinde *consulto* nauseare esset idem quod *consilio*, et non temere, ideoque Phaedri menti non conuenit. Maxime vero miratus fui, non intellectam phrasin obuiam viro doctissimo, *coelum ipsum vituperant*, et hic de crasso, insalubri et hiberno coelo verba facere, cum notum sit *coelum* pro ipsis Diis capi. vt apud Petron. cap. XL. et LXXXVIII. *nemo coelum coelum putat.* vbi vide notas. et ita coniungit *Iouem* et *coelum*. Ouid. XIII. Met. 857.

Quique Iouem et coelum sperno.

id est Iouem et Deos omnes, vt *coelum et Deos obtestari* Tacit. I. Ann. 21. et III. 4. et hinc iusiurandum per *coelum* ipsos Deos respiciebat: et inde *coelum fatigare periurio* inf. fab. XIX. noster dixit. Talia certe doceri non deberent viri tam docti, et qui indignantur tamen aliis, vbi multo minus obvia in notis illustrantur; quod tamen quotidie magis necessarium videbitur, vt muniantur loca contra impetus criticorum. Sed ne Iupiter quidem omnibus placet, et coelum ipsum saepe nasuti vituperant.

FAB.

(65) FAB. VII.

* *Vipera et Lima.*

Mordaciorem qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.
In officinam fabri venit vipera,
Haec quum tentaret, si qua res esset cibi,
5 Limam momordit. Illa contra contumax,
Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,
Omne adsuëui ferrum quae corrodere?

(66) FAB. VIII.

* *Vulpes et Hircus.*

Homo, in periclum simul ac venit, callidus
Effugium reperire alterius quaerit malo.[1]

 Quam

FAB. VII.

* Haec fabula etiam apud Lochmannum Arabem pag. 36. legitur, nisi quod ille feli tribuat, quod Phaedrus viperae, et paullo aliter narret.

3 *In officinam*] Anonymus Niel. *in officina introiit*. quod Nielantius dictum putat, vt *in conspectu venire* lib. V. I.

4 *Tentaret*,] Vid. ad lib. I. fab. 23. pro *haec* Schefferus et Bentl. *hic*. sed posset legi *et* vt lib. III. XIX. 6. *coepit redire. et quidam e turba garrulus*, vbi etiam *hic* supponunt. ita *vidit* sequente *et* I. fab. 6. vbi plura diximus. *venit, et* II. 6.

4 *Si qua res esset cibi,*] Per Graecismum explicant viri docti. certe ita *res voluptatum* dixisse docet Cl. Graeuius, ad Cicer. I. in Verr. 14. sed Graecismus ille aliis non placuit: Cl. Bentl. reponit, *si qua res esset cibo*: mihi vero maxime placet Heinsii emendatio, *si qua spes esset cibi. spes* et *res* commutatae a librariis saepe. vid. ad Ouid. III. Metam. 417. et IX. 748.

5 *Contumax*,] Id est, vnde linguendo et mordendo nihil posset abrodere: quae nihil cibi praeberet. simili fere modo Martial. X. 65. *Hispanis ego contumax capillis*. id est, qui flecti non possunt.

6 *Captas*] Conaris, tentas. vt inf. V. 3. Quinctil. Decl. II. cap. 14. *tam quiete facit, quasi captet imponere*. et Declam. VIII. 1. *captet licet crudelissimus senex immanitatem parricidii metu maiore protegere*. et paullo post. cap. 4. *siue captauit ex hoc vultu quamdam artis mutationem imitari*. et ita saepius.

FAB. VIII.

* *Vulpes et Hircus.*] An sub his Tiberius et Seianus lateant, videant acutiores: in periculum enim vitae et imperii venerat Tiberius, sed Seiano decepto et oppresso, per per eius necem euasit praesens periculum, vt notum satis ex Historia.

[1] 1 *Homo, simul ac*] Laborare versum

Quum decidiſſet vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine;
5 Deuenit hircus ſitiens in eumdem locum,
Simul rogauit, eſſet an dulcis liquor,
Et copioſus? Illa fraudem moliens;
Deſcende, amice, tanta bonitas eſt aquae,
Voluptas vt ſatiari non poſſit mea.
10 Immiſit ſe barbatus. Tum vulpecula
Euaſit puteo, nixa celſis cornibus,

Hircum-

ſum credunt, niſi *ac* deleatur. ſed recte Freinshemius et Heinſius neceſſariam non putant emendationem, quia *venit* poteſt eſſe praeſentis temporis, vel etiam *Homo* vltimam productam habere. quia vero Rhemenſis codex habet,

Homo, in periclum ſimul ac venit, callidus
Reperire effugium alterius quaerit malo,

receperunt eam Gronouius, Hoogſtratanus et Bentlejus, niſi quod hic non ferens *m* non elidi, tranſponit *quaerit alterius.* mirum autem videri poteſt, hic *magnum periculum* diſplicere, quod obtruditur lib. II. fab. 7. et habetur etiam lib. II. 4. ego illud *callidus*, cum *vulpes*, animal callidum, fabulae huius ſit argumentum, ſine dubio etiam recipiendum cenſeo: nam nec verum eſt, omnes homines alterius malo ſe expedire ex periculis, ſed hoc eſt callidi et doloſi. nec etiam *homo* ſimpliciter ponitur, niſi pro plurali *homines*, vt infr. fab. XVIII. 34. nec vſquam noſter *τὸ homo* ſine epitheto poſuit, niſi vbi agit de aliquo, cuius iam mentio in prioribus eſt facta, ſed in initio fabulae requiritur epitheton. vt inf. fab. XXI. *homo doctus.* I. 19. *homo malus.* et in Epimythio lib. II. 4. *homo bilinguis.* I. XVI. 1. et XXXI. 1. *homo improbus.* I. XXV. *cauti homines.* ita mox fab. XI. *fortis vir.* et ita ſemper: alia res eſt. I. XXII. 1. *muſtela ab homine prenſa.* ibi enim praecipue reſpicit fabula muſtelam, quae prenſa ab homine, non ab animali aliquo: ideoque ibi epitheton non neceſſarium vt mox inf. fab. XVII. 34. hic vero vulpes primas agit partes, et imaginem hominis callidi exhibet. ſequor itaque codicem Rhemenſem, et in altero verſu Bentleji tranſpoſitionem.

3 *Inſcia,*] Non natura ſua, eſt enim callida, ſed cum ignoraret puteum ſubeſſe. vide Muncker. ad Hygin. fab. 100. et Pincier. Parerg. Ot. Marpurg. lib. I. cap. 4.

4 *Altiore*] Heinſius *altiori.* vide ad lib. I. V. 1.

4 *Clauderetur margine;*] Optime hic Schefferus. et ita Ouidius II. Faſt. 221. de torrente,

—— —— nec, vt ante ſolebat,
Riparum clauſas margine finit aquas.

incinctum margine fontem dixit idem III. Met. 162.

11 *Euaſit puteo,*] Ita ſolent conſtruere hoc verbum. Liuius XXI. 33. *ſibi quoque tendente, vt periculo euaderet.* vide ad Valer. Flacc. VII. 163.

11 *Nixa celſis cornibus,*] Schefferus

Hircumque clauſo liquit haerentem vado.

(67) FAB. IX.

De Vitiis Hominum.

Peras impoſuit Iupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit grauem.
Hac re videre noſtra mala non poſſumus;
5 Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

ferus malebat, *innixa:* ſed dubito, quia *innitimur* proprie rei infra nos, vel ſaltem aequali nobis altitudine, poſitae. ſed hic vulpes in vado et fundo putei ſtans nititur primo, ſe erigens in cornua hirci, et ita cum poſſet aſſequi marginem putei, veloci ſaltu euadit. Quare ſi quid mutandum, mallem, *enixa*, vel *eniſa*, id eſt ope cornuum hirci aſcendens, et ſe erigens. Sic *per ardua eniti* Curt. VII. 11. nam cornua debent conſiderari, vt inſtrumenta, quibus enitebatur vulpes in ſummum. ſic apud Horat. III. Od. 3.

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Eniſus arces attigit igneas.

vt optimi codices, non *innixus*, quod ibi locum habere nequit, et recte Bentlejus notat, *inniti* quem fulcro, ne cadat, *eniti*, qui in altum conatur euadere. Apud Ouidium II. Met. 64. Equi ſolis *enituntur*.

12 *Haerentem,*] Similiter de nauibus dixit, *haerere in vado*, Florus III. 10. et IV. 2. Placuit vero Phaedro vocare *vadum* putei fundum, quod miror non aduertiſſe Criticos, et ad emendandum impuliſſe, cum ego exemplum eius vix ſciam. Poëtae quidem quemuis aequoris aut fluminis, etiam non breuem et minus profundum locum hoc nomine inſignire ſolent. vt Silius Ital. II. 1.

Caeruleis prouecta vadis iam Dardana puppis.

vide Barth. ad Claud. Epith. Honor. et Mar. vſ. 142. et ad Stat. IV. Theb. 775. Behot. Apophor. II. 12. et Gronov. I. Obſ. 19. ſed fundum putei *vadum* dicere, Phaedro peculiare eſt.

FAB. IX.

3 *Grauem.*] Id eſt grauatam, plenam, ita et Ouid. I. Met. 266. *Barba grauis nimbis.* Flor. III. 5. *Claſſis apparatu belli grauis*, vt recte Freinshemius, quem ibi vide. Stat. XI. 273. *Vrbem armis opibuſque grauem.* et ita paſſim.

4 *Hac re*] Vide Giphan. Indic. Lucret. in *hac re*, et *his rebus*. Et Gronov. ad Gell. IV. 1. ſupr. I. fab. 13.

Hac re probatur, quantum ingenium valet.

vbi et de argumento fabulae ſumi poteſt. vide Gudium ad lib. I. fab. II. et ad Valer. Max. VI. VI. doctiſſimum Torrenium.

FAB.

(68) FAB. X.

Fur Aram compilans.

Lucernam fur accendit ex ara Iouis,
Ipſumque compilauit ad lumen ſuum.
Onuſtus ſacrilegio quum diſcederet,
Repente vocem ſancta miſit Religio;
5 Malorum quamuis iſta fuerint munera,
Mihique inuiſa, vt non offendar ſubripi;

Tamen

FAB. X.

1 *Lucernam*] Vid. ſupr. III. fab. 19.

2 *Ad ſuum.*] Recte Schefferus ad *Iouis* interpretatur : nam ſi de furis lumine capiamus, perit omnis elegantia, et relatio ad *τὸ ipſum.* ipſum Iouem ad lumen ſuum, ex ara Iouis accenſum, compilauit; quod vero *ſuum* requirat caſum nominandi, vt ſit *fur ad ſuum*, id eſt proprium ſibi, compilauit, non ſemper verum eſt, et pro *eius*, vt hoc loco, *ſuum*, poni ſi probare vellem, pueros mihi docendos fingere deberem. ſic lib. III. XIII. 15. *apibus fructum reſtituo ſuum.* id eſt illis proprium. vbi *ego* nominandi caſus non poteſt ad *ſuum* referri, quod apibus conuenit : aliter in initio fabulae *fuci inertes eſſe ducebant ſuos.* Item lib. IV. fab. XIV. 7. *aptare vt poſſet corporibus ſuis.*: ibi nominandi caſus eſt Prometheus, ſed non agitur de Promethei corpore, ſed *corporibus ſuis*, quibus illas partes vt proprias deſtinauerat. ſed deſino. nam centum ad manum ſunt exempla, vbi *ſuus* pro *proprius* ponitur; nec refertur ad eum, qui caſu nominandi deberet exprimi. Quid diceret vir eruditus ad illa Suet. Aug. cap. X. *aduerſante conantibus ſuis M. Antonio conſule.* vbi Auguſti conatus intelligendi. nam ſi in rectam orationem verterentur verba, eſſet *Antonius* nominatiuo caſu ponendus, *cum Antonius aduerſaretur conatibus ſuis*, pro *eius*, Auguſti ſcil.

3 *Onuſtus qui*] Miror non advertiſſe vitium metri viros doctos, praeter vnum Iohnſonium, qui recte *qui* extrudendum cenſet. vel poſtponendum, *ſacrilegio qui* : ego abeſſe tuto poſſe cenſeo.

4 *Vocem miſit*] *Vocem mittere* ſimpliciter eſt loqui, vt ſaepe apud Liuium et alios occurrit. Aliquando tamen de voce, in qua pondus aliquod ineſt, videmus ſumi. Auctor Panegyrici in Piſones,

> *Defenſura reos vocem facundia mittit.*

Cicer. pro Caelio cap. 22. *An aliquam vocem putatis ipſam pro ſe cauſſam et veritatem poſſe mittere.* et ſic apud Val. Max. III. II. 23. *Quoniam excellenti virtute reliquiſti, inter vndaſne pugnam fortiorem edideris, an in terra vocem miſeris.* Quod merito Vorſtio placet, prae vulgato *emiſeris*, quod tamen loco Petronii cap. XIX. defendi poſſet; vbi vide notata. Idem Valer. Max. V. X. vlt. *Has voces vtiliſſimis praeceptis imbuta virtus mittit.* vid. et Torren. ad I. VIII. 6.

Tamen, scelefte, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit poenae dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
10 Per quem verendos excolit pietas Deos,

Veto

7 *Scelefte, spiritu*] Quum hoc conuicium obuium sit apud Plautum et Terentium, vt Andr. IV. 4. Heaut. II. III. 71. et alibi. Heinsius et Bentlejus tamen malunt *Scelesto*, quod merito displicet Viro docto, quia compellari aliquis hic debet, quod non requiritur in loco Virgilii. cui facile Ouidii et aliorum addi possent, et quae ipsa Lexica suppeditant. denique minime necessaria scriptae et editae lectionis mutatio, quae nihil nouae significationi addit. Praeterea praecessit *malorum:* quamuis ista munera fuerint malorum etc. tu tamen, scelefte non minus, imo magis istis malis, lues culpam spiritu. *mali* quidem fuere, sed non omnes *scelesti*, qui donaria in templis posuere, sed sacrilegus, praeter ceteros malos etiam est scelestus. sed si illae adiectiuorum vel epithetorum commutationes placent; cur non vs. 3. arripuit codicis Rehm. lectionem, *vocem sanctam misit religio;* vbi speciose magis id licuerat. Apud Valer. Max. V. I. 3. *vnus tibi Romanorum videlicet Quinctius placet, in quo, scelefte, exerceas arma.* vbi quidam *scelesta*, alii *scelefte* vt aduerbium capiunt. sed ego, licet parum referat, vt hic, vocatiuo casu caperem libenter, propter MSS. auctoritatem: ita antea *dementem* vocauerat, eodem modo vt Martial. Spectac. VII. de Laureolo itidem sacrilego;

Templa vel arcano demens spoliaverat auro.

et mox:

Vicerit antiquae sceleratus crimina famae.

vbi *demens* et *sceleratus*, vt hic *scelestus* dicitur. deinde *exercere arma* sufficit, quia eum prouocauerat, quod quasi exercitationis genus erat, ita *arma iuuentus exercet* Virgil. IV. Aeneid. 87.

8 *Adscriptus*] Recte, a fatis destinatus explicatur. Senec. Herc. Fur. 190. *licet nulli scriptum proferre diem.* Martial. X. 44.

Gaudia tu differs, at non et stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.

et ita *transcribere*. Ouid. VII. Met. 72.

— — ergo ego cuiquam
Posse tuae spatium videar transcribere vitae.

Venerit dies dixit, vt lib. I. fab. 16. *aduenire.* nam futurus erat, sed scriptus a natalibus. Senec. Cons. ad Marc. 16. *habebit quisque, quantum illi dies primus adscripsit:* et de Prouident. cap. 5. *Fata nos ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora dispofuit.*

10 *Verendos excolit pietas Deos,*] Ante Heinsium haec locum suum tuebantur verba. quia vero in Pith. Cod. fuit, *colendos*, inde ille *colendos extulit* effecit. sed recte Vir doctus ignorare se fatetur, quid sit *efferre deos colendos per ignem.* Bentl. *colendos censuit.* qui *excolere deos* se, quid sit, fatetur nescire. atqui nos olim docuimus *excolere* idem esse quod *colere.* nam *ex* saepe auget in compositione, vt III. 3. in *extorrere* vidimus. Sic apud Ouid. I. ex Pont. VII. 59.

Quae-

Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deum,

Nec

Quaeque tua est pietas, vt te non excolat ipsum.

et de hoc verbo egi ad Quinctil. Declam. VIII. 12. *verendi* vero Dei a Religione dicuntur hominum ratione, vt recte Vir doctus: sine dubio vero codicis Pith. *colendos* ex glossa venit, qua *verendos* explicuit magister. Qui tamen rectius potuisset per *timendos* explicare, quod epitheton Diis proprium. notum illud Petronii

Primus in orbe Deos fecit timor.

et ita Ouid. IV. Fast. 920.

Tum locus est irae, Diua timenda, tuae.

qui et *verendi* epitheto vtitur II. Amor. XIII. 11.

Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi.

et de Hercule inter Deos recepto IX. Met. 269.

—— —— maiorque videri
Coepit, et augusta fieri grauitate verendus,

et diu est quod notarunt Viri docti hoc verbum minus, quam *metuere* et *timere*, rectius de numinibus dici, quia serui *timent* et *metuunt* dominos, liberi *verentur* patres, ita et Deos magis *verentur*, qui recte de iis sentiunt, quam *metuunt* et *timent*, vt superstitiosi. quare bene Cicero pro Plancio cap. 12. *primum vt viuat cum parente (nam meo indicio pietas fundamentum est omnium virtutum) quem veretur, vt Deum.* sic et *lucum verendum*, cui, vt alii dicere solent, facer horror inest, dixit Propert. IV. IX. 53. et mox *metuenda lege* interdictam viris aram dicit. desinat ergo Vir egregius dicere, se non meminisse, qui *verendos deos* dixerit. per ignem ergo, id est sacrificia, Pietas, id est Pii homines, more Phaedri, excolit et placare solet Deos verendos. Non etiam in hac fabula puto distinguendam religionem a Ioue, cum vox sine dubio ex ara vel statua Iouis emissa fuerit, ita vt *religio* pro re, vel loco sancto, in quo colebatur Iupiter, sit sumenda, et hoc praecedentia, *mihi inuisa, ignis noster*, quae a Ioue proferuntur, clare ostendunt. religio est ergo Iouis statua, vel ara religione summa colenda.

11 *Commercium.*] Non simpliciter vsum notat, sed mutuum, et quotidianum quasi inter sacra et profana lumina vsum. sic Ouid. III. Art. 549. vatibus dicit esse, *commercia coeli.* et V. Trist. III. 45. *sunt Dis inter se commercia.* non licebat ergo aras accendere de Lucerna, quae oleo alebatur, sed de facibus, (vt in sacro Cereris Ouid. IV. Fast. 493.) aut alio igne, vt ex domo Flaminis petito: vide Festum in *ignem.* maxime vero diuini fauoris indicium erat, si ex coelo demisso igne incenderentur arae. vid. de Ioue Fulgerat. cap. IX. Huius interdicti de lucerna nusquam inueni mentionem: forsitan ex vsu hanc fabulam finxit Phaedrus, et originem ex ingenio commentus, vt notaret notos sibi sceleston, quos aluerat et fouerat, sed qui sibi malam gratiam retulerant.

12 *Ita hodie*] MS. *itaque*, quod probat Gudius. sed laboranti tunc versui consulendum eiecto *nec.* quod facile subintelligi potest, ex sequenti versu: non enim semper bis poni necesse. Vt vero *de lucerna accendere* ita *ab* etiam vsum

Petro-

Nec de lucerna fas eſt accendi ſacrum.
Quot res contineat hoc argumentum vtiles,
15 Non explicabit alius, quam qui reperit.
Significat primo, ſaepe, quos ipſe alueris,
Tibi inueniri maxime contrarios.
Secundo oſtendit, ſcelera non ira Deum,
Fatorum dicto ſed puniri tempore.
20 Nouiſſime interdicit, ne cum malefico
Vſum bonus conſociet vllius rei.

(69) FAB. IX.

Malas eſſe diuitias.

Opes inuiſae merito ſunt forti viro,
Quia diues arca veram laudem intercipit.
Coelo

Petronium docet Heinſius. et ita Ouid. V. Met. 442.

— — *illa duabus*
Flammifera pinus manibus ſuccendit ab Aetna.

qui etiam lib. VII. Met. 260.

Intinctas geminis accendit in aris.

vbi Francius *ab aris* malebat; ſed *in aris* pro igne in aris poſito. Alio paullum ſenſu dixit Plinius XV. vltimo, *ex lauris altaria araſue non debere accendi.* id eſt, ignem in aris non debere fieri ex ligno vel foliis lauri: vbi *accendi aras* idem eſt, quod hic *accendi ſacrum.* ita enim loqui veteres recte Harduinus oſtendit. et *accenſas aras* dixit Ouid. III. Met. 691. vt multi codices habent. et ita etiam alii.

17 *Contrarios.*] Inimicos, infeſtos, vt recte Schefferus. ita Varro lib. IV. de L. L. *Quod fulmine ictus Phaëton, contrariis Diis.* Virgil. IV. Aeneid. 628.

Litora litoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis, pugnent ipſique nepotes.

vbi male Cerda haec explicat ex lib. I. 13. *Italiam contra:* ibi enim de ſitu agitur, et *contra* pro exadverſum poſitum eſt, vt recte Germanus et alii. et quo ſenſu capienda *contraria litora,* ſibi oppoſita apud Melam. I. 13. Ouidius etiam ſaepe *contrario* pro inimico, hoſte vtitur, vt I. Triſt. IV. 41.

Cauſſa mea eſt melior, qui non contraria foui
Arma.

et alibi.

19 *Fatorum*] Recte Schefferus Parcas per *Fata* intelligit. vide quae diximus ad Ouid. III. Triſt. VII. 13.

FAB. IX.

1 *Opes inuiſae forti viro,*] Philoſophantur hic interpretes, et in locos communes de diuitiis digreſſi, Phaedrum aut accuſant, aut defendunt. ſed per *fortem* virum hic mili-

Coelo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes persalutasset Deos;
5 Veniente Pluto, qui Fortunae est filius,
Auertit oculos. Caussam quaesiuit pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

militarem intelligit, vt fuit Hercules, propter virtutem receptus coelo: qui contempsit diuitias, ex quibus vera laus non quaeritur: sed ex factis in vtilitatem generis humani editis. *inuisae opes* sunt, quas aspernatur vt inutiles: vt apud Ouidium de Mida, experto eius nullum vsum esse, XI. Met. 130. *inuiso meritus torquetur ab auro. Laus* vero hic intelligenda bellica, vt ostendimus ad Valer. Flacc. VI. 546. et Ouid. XII. Met. 539. *Herculeae mirum est oblinia laudis Acta tibi.* et ita *Thesea laus* idem VIII. 263. *veram* vero laudem dicit, quia saepe etiam milites optimi et duces, ex rebus gestis summam *gloriam* cum reportassent, auaritia eam contaminarunt, quia et *rem* et *gloriam* (vt Terentianus Menedemus Heaut. Act. I. sc. I. 60.) ex militia petebant. sed nudam laudem et gloriam Hercules volebat esse appetendam, nec corrumpi viros fortes obiecto lucro pati poterat. An et hic auarum Tiberium, vel alium quem ducem, tangit Phaedrus?

4 *Persalutasset*] Male in Lexicis *saepius salutare* exponitur, cum locus Curtii adiectus doceat esse omnes ad vltimum vsque salutare. ita *perbasiare* Petron. cap. XLI. et ita recte Schefferus.

5 *Veniente*] MSS. Rhem. *venienti*, vt cum *auertere* iungatur. vt apud Stat. V. Silv. III. 59.

—— —— cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orpheae quirent auertere leges.

pro, *a qua.* sed malo esse scriptum pro *veniente.* vt saepe in his fabulis vid. I. fab. 5. et hoc libro fab. 8. sic Ouid. II. Art. Amat. 615.

—— —— —— hoc quoque viso
Auertit vultus saepe puella suos.

8 *Simulque obiecto*] Heinsius etiam coniecerat, *semelque obiecto,* sed deleuerat iterum: certe hoc maiorem auaritiam notaret, si semel obiecto lucro, aliquis a vera laude deduceretur. sed *simul* ita capio, vt non modo malos, quibus amicus est, ad omnia facinora impellat, sed etiam possit bonos corrumpere spe lucri. *obiectum* lucrum dictum est, vt lib. I. 23. *obiectus cibus,* quo canis corrumpitur, ne latret pro re domini. *cuncta* enim est pro *cunctos* positum. vt Ouid. III. ex Pont. VI. 31. *cum pereant acie fortissima quaeque.* Ita apud Senec. I. de Clement. 8. *multa perdenda,* vbi male Lipsius reponit *multi perdendi.* vid. ad Quinctil. I. Decl. 6. et IX. 17. *saepe in imum summa decidunt.* Ouid. I. Am. II. 33. *omnia te metuent.* et ita centies.

FAB.

(70) FAB. XII.

Leo regnans.

Vtilius homini nihil est, quam recte loqui;
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
Quum se ferarum Regem fecisset leo,
5 Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta iura reddebat fide:
Postquam labare coepit poenitentia.

FAB.

FAB. XII.

1 *Recte loqui;*] Id est, sine circuitione, aut ambagibus, quibus verus animi sensus inuoluitur et tegitur, loqui, vt solent sinceri et simplices homines. vide ad Quinctil. Prooem. lib. VIII. quid vero cogit *est* mutare in *esse?* cum hic versus sententiam absolutam contineat, quam probandam mox dicit, ita scilicet, vt integra, sententiae in modum, proponitur.

3 *Ad perniciem agi*] Verbum *agi* hic singulari significatu ponitur pro impelli, trudi, a potentibus scilicet et violentis. ita saepe apud Valer. Flaccum vidimus, vim subesse huic verbo. vid. lib. III. 393. V. 13. VI. 603. sic in *taedia vitae agi* Ouid. X. Met. 625. ad *supplicium agere* Valer. Max. I. VII. 4. et ita passim. infr. V. V. *ad poenitendum agi.*

9 *Postquam labare coepit poenitentia.*] Neueletus recte hunc versum nihil ad sequentia pertinere censuit, sed deesse, quae ex Rimicio narrat. cum eo facit summus Gronouius ad Plinium lib. XXXIV. 14. vbi legit, *post quae labare coepit poenitentia.* legitur vero fabula integra in Anonymo Nielantii n. 49. ex quo nos, simul et ex Romulo n. 3?. et Rimicio lib. III. 20. ita tentauimus fabulam reducere in metrum Phaedri, quamuis non semper ipsos Phaedri versus assecutos nos credamus: quis enim hoc promittat?

Post quae labare vt coepit poenitentia,
Naturam quum mutare non posset suam:
Seducit aliquas in secretum, vt falleret.
Et an foeteret os sibi quum quaereret,
Quae dixerant putere, et quae negauerant
Laniabat omnes, et satur fit carnibus. (vel et *satiatur sanguine*)
Cum multis faceret hoc, et simium vocat
Ad se, rogatque an os haberet putidum?
Hic cinnamomo olere dixit suauius
Et ture, flagrant quo Deorum altaria.
Erubuit laudes, nec nocere sustinet

Q *Rex:*

FAB. XIII.

Adfictione veretri linguam mulieris,
Adfinitatem traxit inde obscaenitas.

(71) FAB. XIV.

Prometheus.

Rogauit alter, tribadas, et molles mares,
Quae ratio procreasset? exposuit senex.
Idem Prometheus auctor vulgi fictilis;

Qui

Rex: sed, pudore saluo vt laederet, dolos
Quaesiuit, et languorem simulans aduocat
Medicos, tentatis qui venarum pulsibus,
Negant se morbum posse deprehendere.
Sed suadent, natum ex consueto fastidium
Cibo, iam suauiore tolleret dape.
Hic ille; nullam sic carnem desidero,
Ac simii, non ante gustatam mihi;
Datam sed fallere probibet pudor fidem.
Medici, quodcumque facere, Rex, libet, tibi
Licet, respondent, ceteris vt regibus;
Et pro dolore, fas est nos mori tuo,
Non vita tantum. Adducitur mox Simius,
Qui quanta poena, didicit, ad regem loqui,
Et quam tacere sit tormentum maximum.

Leuiore et breuiore molestia defungitur Ch. Hauptius. t. I. Miscel. Lipf. pag. 259. qui, quasi diuinitus hoc ipsi inspiratum esset, tres tantum versus fabulae isti deesse pronuntiat, quos ita Phaedro appendit de suo,

Sed quale nactus est exinde praemium?
Nimiam familiaritatem cum feris:
Contemptionem non paruam peperit sibi.

Egregie vero et Latinissime, vt ipsam Phaedri venam fluere crederes. quanto melius Rimicium et alios legisset, qui Gallici prouerbii ignari, *trop de familiarité engendre du mepris*, longe alium exitum fabulae ipsi suppeditassent. Certe tam capitalia ingenia non deberent se ad leues has nugas et fabulas demittere; sed totos se sacris studiis immergere, vnde certa manet gloria et auctoritas.

FAB. XIV.

1 *Molles mares,*] Petron. cap. XXIII.

Molles, veteres, Deliaci manu recisi.

vide supra ad fab. 4. Liv. XXXIII. 28. *molles viros* in comitatu Brachyllae, quos mox *obscaenos* vocat, fuisse narrat.

Qui simul offendit, ad fortunam, frangitur;
5 Naturae partes, veste quas celat pudor,
Quum separatim toto finxisset die,
Aptare mox vt posset corporibus suis,
Ad coenam est inuitatus subito a Libero.
Vbi irrigatus multo venas nectare,
10 Sero domum est reuersus titubanti pede;
Tum semisomno corde, et errore ebrio,

Q 2 Adpli-

4 *Qui*] Heinsius corrigit *quod.* quo nihil opus, quia *vulgus* proprie est masculini generis, sed vsurpatione neutrius, vide Serv. ad Virgil I. Aeneid. 149. et ita saepius Charisius, Priscianus et veteres Grammatici, quod notarunt commentatores ad Virgil. II. Aeneid. 99. quibus adde Vossium de Analogia. lib. I. 31. qui etiam contra eos, qui et feminino genere vsurpatum esse contendunt, disputat. inter quos et Longolius fuit, qui apud Neporem Alcib. cap. VIII. *Vulgum Atheniensium in terram praedatam exiisse* edidit. cum *praedatum* recte habeant codices et editiones emendatae. Vltraiectina editio etiam *vulgus:* sed *praedatum* ibi supinum cum sit, genus non demonstrat: sed apud Sallust. Iug. LXIX. *alii volgum effusum oppido caedere:* ita optimi codices, vide ibi Cortii notas.

5 *Partes,*] Membra. vide ad Petron. cap. CXII.

5 *Celat*] Heins. *velat.* sed tales emendationes sunt arbitrariae, et si editiones exhiberent *velat*, alius Criticus corrigeret *celat:* nam saepius in MSS. haec duo verba commutari inter se solent. Ouid. II. Fast. 819.

Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu
Ora.

VI. Fast. 579.

Nunc pudet et vultus velamine celat amatos:
Oraque sunt multa regia tecta toga.

et de his ipsis partibus I. Amor. IV. 41.

Haec tamen adspiciam, sed quae bene pallia celant,
Illa mihi caeci caussa timoris erunt.

in quibus locis nullam esse varietatem video.

10 *Sero domum*] Propert. I. 3.

Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.

vbi vide quae adnotat Passeratius. miror vero hic Criticos non refinxisse: *Sero reuersus titubanti est domum pede*, vt concinniores essent numeri, qua specie saepe Phaedri manum corruperunt.

10 *Titubanti pede;*] Ita Tibullus II. I. 30. *errantes male ferre pedes* dixit. Senec. Epist. XCV. *incerti labantium pedes, et semper qualis in ipsa ebrietate titubatio.* dubito an non apud eumdem Ep. CXIV. hoc verbum *titubare* restituendum; *cum ille paullum vacillauit, simul dubitant.* forte, *titubauit.* vide Gron. ad Plaut. Menaech. I. III. 33. de lingua titubante vide interpretes ad Terent. Heaut. II. 3.

Adplicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra adplicuit feminis.
Ita nunc libido prauo fruitur gaudio.

(72) FAB. XV.

Capellae et Hirci.

Barbam capellae quum impetrassent ab Ioue,
Hirci moerentes indignari coeperunt,
Quod dignitatem feminae aequassent suam:
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
5 Et vsurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestrae fortitudinis.
Hoc argumentum monet, vt sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

12 *Virginale*] Scilicet membrum. vide Muncker. ad Hygin. fab. 184.

FAB. XV.

3 *Feminae*] Liuiam hic intelligi suspicatus est Guyetus, non extra veri speciem, licet plures possemus intelligere, quae potentes fuere sub Tiberio, vt Plancina, Liuilla, et aliae, quarum scelera et impotentiam Tacitus narrat.

6 *Pares fortitudinis.*] Ita ediderunt olim: MSS. exhibet *fortitudine:* sed tunc scribendum erit *vobis.* sed quia saepius literas *e* et *i* in MSS. illo esse permutatas constat: vt modo fab. XI. *venienti* pro *veniente;* ideo Gudius et alii *fortitudini* praeferunt: et ipse etiam nonnumquam reperi, nunc edi hac constructione, aliter atque in MSS. olim extabat. sic Gruterus testatur apud Flor. II. 2. in codicibus vetustis legi, *ille quidem par tantae calamitatis fuit:* sed tamen male explicat, et ideo a Salmasio reprehensus, qui *calamitati* ex MSS. Palatinis praefert. Apud Curtium quoque lib. VI. cap. 8. in antiquo codice reperit Heinsius, *si dii habitum corporis tui auiditatis animi parem esse voluissent.* Tertullianus etiam Apologetic. cap. X. et XI. *par* construxit cum genitiuo: dubia est constructio in fragmento Sallust. lib. IV. Hist. *Scalas pares moenium altitudine,* an *pares moenium,* an *altitudine moenium.* Diuersa vero ratio est in illis Silii IV. 370. *Aetatis mentisque pares,* et Statii VIII. 608. *par alind morum.* vbi vide Barthium, et notas etiam ad Petron. cap. XCII.

7 *Sustineas*] Varie vtitur hoc verbo noster. hic est absolute positum, pro feras, patiaris. Cicer. V. ad Famil. 10. *Si mehercules Appii os haberem, tamen hoc sustinere non possem.* Ouid. I. Met. 530.

— sed enim non sustinet vltra
Perdere blanditias iuuenis Deus.

et Eleg. ad Liuiam vs. 135.

Tene ego sustineo positum scelerata videre?

FAB.

(73) FAB. XVI.

Gubernator et Nautae.

Quum de fortunis quidam quereretur suis;
Aesopus finxit consolandi gratia.
Vexata saeuis nauis tempestatibus,
Inter vectorum lacrimas, et mortis metum,
5 Faciem ad serenam subito mutato die,
Ferri secundis tuta coepit flatibus,

FAB. XVI.

3 *Vexata*] Proprie: vt ex Gellio lib. II. 6. et Macrob. VI. 7. iam omnibus notum. vide ad Quinctil. Decl. XII. 22. et hic per nauem posses intelligere Romanam rempubl. quae a Sejano vexata, eo oppresso videretur ad tranquilliorem rediisse statum. sed nondum fide bona desaeuiisse procellas indicare videtur Phaedrus, immo magis increbuisse, Tiberio in saeuitiam et omnia scelera magis erumpente, vt docent historiae.

3 *Saeuis naui*] Ita olim edidi, quia offendebat aures exitus duarum vocum in *is*, et tertiae in *us*: praeterea MS. lectionem *mutatur*, tunc seruari posse credebam, si tres hi versus continuo ordine sine maiori distinctione legerentur¹, nec opus esse, *mutat vt*, vel *vt mutatur* reponere, quae tantum fulciendo versui excogitata videbam: neque tamen displicebat Rittershusii et Gudii lectio, quae quinque versus continuos, sine distinctione maiore exhibebat, et sensum optimum praebebat; si *nauis* coniungeretur cum *ferri coepit*, et *mutato die* legeretur. Gudii vero transpositio versuum minime placet, cum certe dies debuerit ante mutari ad serenam faciem, quam nauis possit ferri secundis flatibus, et nautae hilaritate extolli: *mutato* vero *die*, est coelo et aëre iam placido et tranquillo: nam *dies* pro aëre et coelo Poëtis poni consueuit: vide Gronov. ad Senec. Herc. Oetae. vs. 1632. et pro Sole etiam poni docuimus ad Val. Flacc. VII. 129. quia ille diem facit. *mutari* vero in hac re proprio verbo apposite vtitur Phaedrus. Ita et Ouidius XIX. Ep. 77.

At cito mutata est iactati forma profundi.

I. Trist. II. 108.

Victaque mutati frangitur ira maris.

et Eleg. IV. 17.

Quod nisi mutatas emiserit Aeolus auras.

aliter, sed apposite ad hunc locum Mamertin. Paneg. Maxim. cap. 6. *Ne Iupiter quidem tanta celeritate faciem coeli sui variat.*

4 *Inter vectorum lacrimas,*] Celerem mutationem indicare hanc praepositionem notat Schefferus. ita Iustinus I. lib. 10. *inter solis ortum*, est simul atque oriretur.

6 *Ferri*] Pro *efferri* capit Iohnsonius; sed quid sit *efferre nauem* nescio. sed *ferri* est propelli, vt iter promoueret. Ouid. I. Trist. V. 17.

Si

Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum gubernator ſophus;
Parce gaudere oportet, et ſenſim queri,
10 Totam quia vitam miſcet dolor et gaudium.

Si tamen haec nauis verto ferretur amico.

fert enim ventus et aura nauem. vt idem I. Triſt. IX. 42.

Ferret adhuc iſtam cum minor aura ratem.

et hinc *venti ferentes*, vt notum et obuium eſt.

7 *Extollere.*] Val. Flacc. IV. 4.

Vt noua nunc tacito te pectore gaudia tollant.

vbi vide. nec opus cum Heinſio et Bentlejo legere, *nautae ſe.*

8 *Sophus;*] Philoſophum interpretatur Schefferus; ſed poſſes Latine reddere *doctus*, vt Propert. II. 28.

Credit et illa ſuo docta puella malo.

et ita Cicer. III. Tuſcul. 14. verſum Euripidis *ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινὸς μαθών.* reddidit,

Nam qui haec audita a docto meminiſſem viro.

et Euripides in Supplic. vſ. 508.

—— σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασὺς
Νεὼς τέ ναύτης ἥσυχος καιρῷ σοφός.

doctus vero intelligitur vnusquisque artis ſuae peritus. vt de gubernatore Pindarus VII. Nem. 25.

Σοφοὶ δε μέλλοντα τριταῖον ἄνεμαν
Ἔμαθον

docti gubernatores futurum perendinum ventum cognoſcunt. et ita Claudian. Bell. Get. 277. *doctum nauis magiſtrum* vocat: et pro experto *doctum Tireſiam* dicit Ouid. III. Met. 322. Epiſt. I. ad Corinth. III. 10. *σοφὸς ἀρχιτέκτων* vid. ad Valer. Flacc. I. 122. et ad Ouid. II. Amor. VII. 24.

9 *Senſim.*] Id eſt, non celeriter, non ſtatim, antequam appareat iuſta cauſſa querelae, non ante damnum et malum manifeſtum. Ouid. III. Art. 565.

Ille vetus miles ſenſim et ſapienter amabit.

et II. Art. 718.

Senſim tarda prolicienda mora.

10 *Miſcet dolor et gaudium.*] Haec ſunt verba gubernatoris, iam docti periculo ſuo. Elegans huc facit Epigramma de Philiſtione comico in Anthol. III. cap. V. pag. 300.

Ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον
Γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίων.

ſingularis vero haec locutio animaduertenda, pro, vita hominum mixta eſt dolore et gaudio, quod ita extulit Ouidius VI. Faſt. 463.

Scilicet interdum miſcentur triſtia laetis.

FAB.

(74) FAB. XVII.

Canum Legati ad Iouem.

Canes legatos olim misere ad Iouem,
Melioris vitae tempus oratum suae,
Vt sese abriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent,

 Fimo-

FAB. XVII.

2 *Melioris vitae tempus*] Heinsius *meliora vitae tempora oratum sibi*, quod recipit Cl. Bentlejus, sed et *meliora* iam Vrsinus praeceperat. Et certe centies *meliora tempora* occurrunt apud veteres, vt in formula illa, *se ad meliora patriae tempora reseruare*, apud Iustin. XXVIII. 4. et Liuium et alios passim. Simpliciter *meliora* dixit Valer. Flac. V. 459.

Dignus auo, quemque insontem meliora manerent.

sed non semper in eamdem loquendi formulam cogendi scriptores, cum aeque recte *melior vita* pro feliciori dicatur, ac *meliora tempora vitae*. ita *mala vita* Ouid. I. ex Pont. IX. 31.

Haec mihi verba malae minuerunt taedia vitae.

et in Ibi 441.

Dumque redire voles aeui melioris in annos.

Vidimus vero iam toties reciprocationem illam, vt ita dicam, adiectiuorum, et epithetorum transpositionem, quae vtrique substantiuo adiungi possunt. *Sibi* pro *suae* facile ferrem reponi, si ita Phaedrum scripsisse mihi persuaderent. vide ad lib. III. 3. et miror Virum doctum nunc epitheton a suo nomine separare, qui supr. II. 7. coniunctionem eius pro emendatione sua adduxerit. Heinf. Epist. VIII. ad Schefferum volebat *suos*, vt referatur ad legatos.

3 *Sese abriperet*] Fateor, si ita scripsit Phaedrus, esse inter singularia eius referendum. Gudius *eriperet*, quem sequitur Cl. Bentlejus. Heinsius *se subriperet*; sed hoc furtiuis magis actis conuenit. licet emendatio facilior, ex *sese ab* facere *se sub*.

4 *Furfuribus conspersum panem*] Recte hoc Schefferus et Hoogstratanus explicuerunt. et Nonnius etiam de re cibaria lib. I. 6. esse *Acerosum* panem dictum a Nonio Marcello docet. apud quem, *Acerosum panem farre minus purgato, nec sordibus a candido separato, dicendum veteres putauerunt*. quae verba videntur vitiosa. et legenda, *panem e farre minus purgato, nec sordibus a candido separatis*. nam e farre fuisse apparet ex Lucilii loco, vbi *far acerosum* vocatur. et Fest. in *Canicas*, quas *furfures ex farre* explicat; sed alii ex panico fuisse panem hunc tradunt, et *Apludam* dictam. Festus. *Apluda est genus minutissimae paleae frumenti siue panici*. vide Gell. XI. cap. 7. Onomast. vetus a Vulcanio editum, *Apluda*, κυρύβιον. vbi ille rectius legit κυρήβιον, quod in Labbaei Glossario neglectum est corrigi, vt plura. Hesych. κυρήβια, quae inter alia explicat per κέγχρων ἄλφιτα· sed de hac voce, et quomodo scribi debeat, accurate

5 Fimoque turpi maximam explerent famem:
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent. Vix tandem inuenit
Eos Mercurius, et turbatos attrahit.
10 Tum vero vultum magni vt viderunt Iouis,
Totam timentes concacarunt regiam.

Pro-

rate disputat Foesius in Oeconom. Hippocratis. ex hordeo etiam notari panem per *Apiudam* videretur, si ex MS. Barthii in loco Naeuii legereretur, *Hondea apluda*. vid. Adv. XXXVII. 21. sed pro panico faciunt illae *mensae paniceae*, vt explicat Seruius ad Virgil. III. Aen. 257. et VII. III.

8 *Citati non respondent.*] *Citatis* Heinsius correxit, quod non intelligo. Ego distinctionem ponerem post *pede*. et continuarem, *dum naribus s. e. i. stercore citati non respondent*. nam *citari* recte dicuntur legati, vt ex Cicerone et aliis ostendunt interpretes. Ita et idem II. Verrin. 17. *Indices citari iubent*. Gell. XI. 1. M. *Terentius citatus non respondit*. vid. Suet. Aug. 38. et maximum vsum esse vtrique verbo *citari* et *respondere* in delectu militari, notum est omnibus.

9 *Eos Mercurius, et turbatos*] Heinsius *reos*; sed admodum improprie *rei* dicuntur hic legati. malim,

Eos Mercurius, sed turbatos, attrahit.

vt mox vs. 19. et de eleganti vsu τοῦ sed vid. ad Petron. cap. CXXVIII.

10 *Vultum*] Illum nimirum, quo Homerus eum descripsit, et quo magistro imaginem eius Phidias expresserat. vid. Valer. Max. III. VII. ext. 1. quem ideo magnifice hic in fabula humili Phaedrus memorat, vt risum moueat (quae altera dos fabularum) et forte illudat opinioni vulgi. Qui enim non ita terreret vultu suo Iupiter canes, vt concacarent regiam, cum etiam in concilio Deorum, placido vultu omnia concuteret, vt ait Statius I. Theb 202. et apud Liuium XL. 27. Paulus Aemilius *Olympiae Iouem velut praesentem intuens motus animo fuerit*. Suspicor certe hic aliquid subesse, quo Phaedrus superstitiosos tangit, vel si ipse illigatus fuit superstitionibus, quo Deum contemtores et impudentes praesenti numine Iouis contineri, et ridicula vota facientes, a Diis optata non ferre docere voluit. Certe latet in hac fabula aliquid Satyrici in sui temporis ineptos Deorum cultores: forte et Tiberium sub Iouis persona, et Romanos sub Canum intellexisse potuit, qui a Sejano vexati melioris vitae tempora petunt. ego certus sum aliquid sub hac fabula, non admodum lepida et honesta, vt nobis apparet, abscondi, quo acerbissime perstrinxit sui temporis certum hominum genus, sed quod nobis nunc explicare difficile: quia quo tectius eos tangeret, complendis fabulae partibus, quaedam admiscuit. cogitent acutiores.

10 *Magni Iouis,*] Perpetuum Iouis epitheton. Ouid. I. Art. Am 713.

Iupi-

Propulsi vero fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
Mirati, sibi legatos non reuertier,
15 Turpe aestimantes aliquid commissum a suis,

Iupiter ad veteres supplex heroidas ibat,
Corripuit magnum nulla puella Iouem.

et ita Graecis μέγας, vt multis Celeb. Iac. Gronov. in dissertatione de voce μέγας ostendit.

12 *Propulsi vero fustibus, vadunt foras:*] Heinsius *propulsi vt vero.* Vir doctus, quia *vero* modo processit, *propulsi ne sint fustibus*, sed quaenam haec sermonis scabrities? certe debuisset dicere, *ne propellerentur.* Quare si quaedam intercideriat, vt viri docti suspicantur, non offendere poterit repetita vocula *vero*, praecipue cum versu eodem *magni* epitheto ornetur Iupiter, et vs. 13. iterum. vel si audaciori esse liceret, et coniicere illud *vero* depranatum esse ex *ergo*, legerem, *Ergo propulsi fustibus.* Miror vero *vadunt* segne nimis videri Viro docto, cum Ampl. Cuperus celeritatem hic notare putet. I. Obseru. 2. cui vt potius credam, facit, quod sciam, impetum hac voce notari; et fere semper hoc verbum de incitato et violento gradu sumi solere, vt in exemplo ab Heinsio adducto ex Martiali XI. 105. *Vxor vade foras:* in diuortiis enim, quae respicit, propellebatur domo vxor. nam Cicero II. Phil. 28. *foras exegit* dicit: et eo respicit Medea apud Ouid. XII. 135. *pulsa domo cessi*, vt scribendum esse docui, et vbi plura exempla adduxi. vbi *pulsos abire, fugere, cedere* post Cl. Bentlej. ad Horat I. Sat. VI. 13. dici ostend. cur ergo lentum, *propulsi vadunt*, videri possit non intelligo: praecipue, cum in bello et incursionibus in hostem centies vtatur Liuius, vt *vadere in hostem.* vide lib. III. 55. VII. 24. IX. 13. 33. et 35. XXI. 11. et infinitis in locis. Valer. Flacc. VI. 228.

Iamque nonus mediae stupefacta per agmina pugnae
Vadit eques.

vbi vide quae notauimus. Enn. apud Gell. XX. 10. *vadunt solida vi.* et ita millies alii scriptores. vid. Cl. Bauldr. ad Lactant. de mort. persec. cap. XXVI. Passer. ad Propert. I. Eleg. 6. pag. 168. Canes ergo propulsi ex regia Iouis *vadunt foras*, id est, extra conspectum Iouis, sed ne redirent ad suos, vetat dimitti Iupiter: nihil ergo hic deesse patet, et satis manifesta est ratio, cur Iupiter eos iusserit custodiri, qui concacarant regiam. Recte haec cepit Schefferus. non exsequitur, vt toties dixi, minima Phaedrus, qui breuitatem amat, et necessaria modo narrat.

15 *Aestimantes*] Supra lib. III. cap. 4. huic verbo status controuersiam iam mouit Cl. Bentlejus, et ibi tolerabilius certe substituerat *existimare*, quam hic *autumantes*, cum hoc verbum longe diuersae sit significationis, et non animo modo putare, arbitrari, sed siue voce siue scripto sententiam suam prodere, vt hodie omnibus fere notum est, et praeter alios ex Gellio docuit Sc. Gentilis ad Apulej. Apolog. pag. 41.

Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
Rumor legatos superiores prodidit.
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum, sed multo, replent,

Man-

16 *Adscribi*] Cum in MSS. legatur *adsciri*, Gudius, quia hoc inuitatius videbatur, *adsciscì* rescribebat: Heinsius et Bentlej. *adsciri* tuentur, sed nullo exemplo. cum illud verbum frequentius de iis, qui sibi socios adsumunt, quam de ciuitate, quae legatos nouos mittit et addit veteribus, poni soleat. sic apud Virgilium lib. XII. Aen. 38.

Si Turno exstincto socios sum adscire paratus.

ita Pierius in codice Romano inuenit, in aliis *adcire:* et ita *adsciscere*, quantum ego quidem noui, plerumque de eo, qui alium adiungit sibi, vt Ouid. IV. Fast. 883.

Quem Rutuli Turnusque suis adsciscere tentant
Partibus.

et ita deos sibi *adsciscebant.* vid. Heins. ad Ouid. XV. Met. 624. *Adscribere* vero alios prioribus, magistratuum aut aliorum opus est, qui ipsi non sunt inter eos, quibus adscribunt alios. sic erant milites *adscriptitii*, qui et *accensi.* vid. Fest. sic ciues, coloni noui adscribebantur veteribus, et similia passim obuia. haec verba spectant rem adhuc in Senatu canum actam, qui prioribus non redeuntibus addi et adscribi nouos iubet.

17 *Rumor*] Hic Cl. Bentlej. *venter* reponit sine vlla auctoritate codicis, quare Vir doctus eum acrius castigat. et sane mira esset locutio, *venter prodidit legatos*, pro, odor, ex stercore ortus. qui odor, si ex Iouis regia ad canes in terra penetrauerit, nae ille flagrantissimus esse debuit: *rumor* vero est fama per regiam Iouis sparsa, vt lib. V. fab. 5. et 7. et inde in terram dilata, quae narrabat foedam priorum legatorum turpitudinem. Vt lectionem suam firmet Cl. vir, producit locum ex Plauti Rud. II. VII. infin. vbi iocatur parasitus eiectus naufragio. quo plurimum aquae marinae biberat, et dicit, *aluum prodi sperauit Neptunus salsis poculis:* an hoc notat idem quod hic *venter prodit legatos*, nempe odore quem emittit? atqui odor ille nunquam ventrem intrauerat, sed illo obleuerant anum canes. Ibi aluus erat prodita, id est decepta, quae, vt explicat Guilielmus, auide suffusa quasi vinis Graecis, mare biberat, vt solebant sanitatis et deliciarum caussa facere; sed nunc cum plus aequae traxisset, aluus erat prodita, siue decepta. talia qui loca partim corrupta, partim obscura aduocat, ad firmandas coniecturas nouas, debet eas in clara luce collocare, vt sentiat lector ex illis recte argumentum deduci, ad firmandas nouas lectiones et explicationes: nec sub specie breuitatis hoc onus refugere licet. Deesse alii putant hic versum: sed si vmquam, hic deberet hians sententia fulciri, et scribi,

Rumor legatos vt priores prodidit,

vbi parua est vulgatae lectionis mutatio: sed mox in Rigaltii editione est *timentibus.* vt rumor foedi facti a prioribus commissi venerit ad secundos legatos. sed tunc versus laborat, cui succurrit Scaliger legendo, *rursum* pro *rursus.* sed nobis vulgata placet.

19 *Sed multo,*] Elegantia est, de qua

20 Mandata dant, legati mittuntur, statim
Adeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.
Con-

qua vidimus ad vs. 9. huius Fabulae. nescio autem cur *spurco* malit Heinsius, cum contrarium velit Phaedrus: egregia vero ratio emendandi peccata priorum, qua Vir doctus vtitur, qui, vbi hanc emendationem spurcitiae damnauit, legit, *sed nimio;* sed qua auctoritate hoc nititur, aut ad quid necesse? an *multus* odor non sufficit eorum consilio? stultitia vero potius canum debuerat notari, cum stercus, odore mixtum, grauius olere solo et mero merdo soleat. Vnde argutatur Martial. I Ep. 88.

Quid! quod olet granius mixtum diapasmate virus,
Atque duplex animae longius exit odor.

et hinc forte etiam acumen Epigrammatis lib. III. 55. in Gellium odoribus suffertam,

Scis, puto, posse meum sic bene olere canem.

20 *Mandata dant, legati mittuntur, etc.*] Nec haec placent viris eruditis, qui varie corrigunt. MS. *Mandant dimittuntor statim*, quae sane aperte vitiosa. *dimitti* enim non poterant antequam Iouem adiissent, quare nec satisfacit illud Heinsii, *Mandata dantur et dimittuntur.* sed sine dubio *mittuntur* verum est, scilicet a canibus ad Iouem. Cl. Bentl. *mandant dent operas vt dimittantur statim*, quinam vero? superiores, an hi adscripti? et vnde illud *operas dare* proficiscitur? et quis non videt *operas* metri caussa pro *operam* intrudi? Scaliger in ora codicis castigabat,

Mandantur, dimittuntur, ac statim
Adeunt.

non recensebo reliquorum diuersas correctiones: mihi non displiceret cum Rittershusio et Meursio legere,

Mandata dant, deinde mittuntur statim:
Adeunt.

vel quia omnia sunt turbata, legere,

Mandata dant legatis, quos mittunt, statim
Adeunt.

quia sc. primi non celeri profecti erant pede, nunc his mandant, vt celerrime et recta adeant ad Iovem, qui eos rogantes aditum, statim admittit. nam ineptum in vulgato est. *statim adeunt*, et mox, *rogantes aditum*, saltem cum Scheffero tunc malim *abeunt.* omnia breuissime exequitur Phaedrus, Senatus dat mandata legatis, vt ne moras nectant in itinere, et simul atque aduenerint ad aulam, rogarent aditum, quem impetrant. nec tamen adhuc mihi in hoc loco satisfacio, quare tentabam aut,

Mandant Legatis, qui mittuntur, vt statim
Adeant. Rogantes (scil. legati illi secundi) *aditum, c. i.*

aut etiam propius ad vestigia codicis, ex quo *legati* vox excidit, et in τῷ *mandantur* vltima syllaba latet *vt.* legi posset,

Mandant, vt qui mittuntur legati statim
Adeant.

qui mittuntur certe pro *dimittuntur*, scribendum. quidquid sit, versus confusi et perturbati, nec certior medicina adhuc apparet, et nihil subsidii in Anonymi et aliorum fabulis. quare superest adhuc doctis et acutis coniectandi locus.

Confedit genitor tum Deorum maximus,
Quaffatque fulmen; tremere coepere omnia.
Canes confufi, fubitus quod fuerat fragor,

Repente

22 *Confedit*] Vide quae nos de Iouis Fulgetatoris habitu adnotauimus cap. XIV. Iouis Καταιβάτου.

24 *Canes confufi,*] Nec hic minor altercatio de conftituendo loco et verbis: Gudii lectio fatis probabilis,

Canes confufi, fubito quod fuerat fragor.

quem fequitur Heinfius, nifi quod *ruerat* pro *fuerat* fubftituerit: probabili etiam coniectura; quia hoc verbum follemne in hac re effe patet ex Virgilii Culice vf. 350.

Ac ruere in terras coeli fragor.

Vide quae ipfe Heinfius notat ad Valer. Flacc. I. 663. vbi et hoc loco vtitur, fed ad Claud. Conf. Olybr. 211. legendum cenfebat,

Canes confufi, fubitus quod ruerat fragor.

quod neque pejus exiftimo. fed in loco Virgilii III. Aeneid. 371. quem adfert, vt τὸ *ruit* confirmet, legitur, *horrificis tonat Aetna ruinis*, neque variant fcripti, nifi quod in quibusdam fit *fonat*: fed forte τῷ *ruinis* voluit *ruere* firmare. Qui *fuerat* praeferre cupiet, reperiet vnde tueatur apud eumdem Heinf. ad Claudian. Gigantomach. vf. 74. certe quidquid fit, *confufus fragor* ftare non poteft: ille enim non confunditur, fed confundit et perturbat omnia. Appofite adduxit Scheffetus ex Quinctil. Declam. II. 20. *neminem fuiffe in domo, quem non fragor ille confuderit.* vbi paullo poft fequitur. *Vt primum me fragor domus, et velut tui confudere gemitus.* et de terrae motibus et fimilibus Senec. Quaeft. Nat. VI. 2. *non debent ifta nos confundere, tamquam plus in fe mali habeant, quam vulgaris mors.* Poft tot tentamina Cl. Bentlejus legit,

Canes confufi (fubitus terruerat fragor)
Repente etc.

mifcens et confundens plurium coniecturas, et arripiens *terruerat* ex lib. I. fab. 2. vt animaduertit Vir doctus. Potuiffet tamen coniecturam fuam minime probabilem firmiori forte tibicine fulcire: non mirari, fcilicet, nos debere, iftum fragorem terruiffe canes, cum Hercule euellente montem, quo Caci antrum obftrueret, *fragor aethera terruit* ipfum, vt Ouidius I. Faft. 567. fcribit. Aduerfarius vero Bentleji, ne et ipfe afymbolus veniret, legit,

Effufus fubito quod fuerat fragor.

fed vellem produxiffet fimul locum aliquem ex auctore vel Poëta fani fenfus, qui *fragorem effundi*, vt nives, imbrem et fimilia dixiffet. nam Ouidius haec recte diftinguit I. Met. 269.

Fit fragor: hinc denfi funduntur ab aethere nimbi.

et quid *Fragor* fit proprie, docet nos, ex ipfa naturae doctrina, Seneca lib. II. Natur Quaeft. cap. 27. *cum globata diffoluitur nubes, et fpiritum, quo diftenta fuerat, emittit: hoc proprie FRAGOR dicitur, fubitus* (vnde et hic *fubitus* poffet defendi) et *vehemens, quo edito concidunt homines, et exanimantur: quidam vero viui ftupent, et in totum excidunt fibi, quos vocamus attonitos.* cui confentit Liuius XXI.

25 Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante poenam Iupiter:

Non

XXI. 58. *tum ingenti sono coelum strepere, et inter horrendos fragores, micare ignes. Capti auribus et oculis, metu omnes torpere.* Certe naturae arcana, vt Philosophum decet, me vix callere profiteor, sed Poëtas magis cautos et prudentes noui, quam vt pueris, qui principia mundi, et rerum origines discunt, ridiculi esse vellent. Gronovii in emendatione,

Canes, confusos subitus quos fecerat fragor,

vis fit versui et metro. nisi Schefferus perperam dederit, et legendum sit, vt Iohnson. edidit,

Canes (confusos subito fecerat fragor)
Repente etc.

nihil vero est quod metuant Latinitati in Heinsii lectione, *ruerat fragor*, quod ex Virgilio iam adstruximus: sed post haec omnia mihi vnice placet, quomodo edidi,

Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,

nam *esse*, *fieri*, *venire fragorem* saepe occurrere nouimus, et simplicissimum mihi videtur. vt Val. Flac. V. 184. *Fit fragor*, et de alia re iterum. I. 819. *subitus* etiam *fragor* est apud Valer. Flacc. II. 477.

25 *Odorem mixtum cum merdis*] Professus est Cl. Bentlejus se, vbi nihil in notis monet, meam sequi editionem: saepe tamen Anonymus discrepare a mea Bentlejanam animaduertit. sed hic omisit, monere lectores Bentlejum edidisse, *odorem mixtis cum merdis;* nihil vero in notis addidisse. vnde ratio huius mutationis constare possit. in MSS. esse *mixto* monuit Gudius, in ceteris nihil variatum deprehendo. sed ablatiuos illos in *o* saepe pro nominatiuis vel accusatiuis in *um* esse suppositos vidimus ad lib. III. X. 42. Huius vero locutionis, *odor cum merdis mixtis*, exemplum auide discere cupio: sed *odor mixtus merdis*, vel *cum merdis* obvium et vulgatum est. Quamobrem vbi emendantur illae vulgares loquendi formae, in inauditas et inusitatas, non licet defungi solo imperio, sed auctoritate veterum illae sunt asserendae: sin minus, abire iubentur, vnde infausto omine profectae fuerunt.

26 *Reclamant*] Nihil motus illis, quae Schefferus et ego de eleganti vi huius verbi notaueramus, Cl. Bentlejus obtrudit nobis iterum amatum illud sibi *vt*, et legit, *vt clamant*. si quid vero mutandum esset, rectius foret, *Di clamant;* sed *reclamare* est saepius et vehementer clamare, repetere clamorem. vt apud Val. Flacc. III. 596.

Rursus Hylan, et rursus Hylan, per longa reclamat
Auia.

vbi plura diximus. apud eumdem lib. VIII. 173.

In vacuos dant verba notos, dominamque reclamant
Nomine.

omnes vero intelligendi Dii: nescio quare Gallus verterit *tout le monde.*

27 *Sic est locutus*] *Hic* Scheffer. *hinc* Walchius. nescio quid sit difficultatis in vulgato, quod non cohaerere crediderunt viri docti, cum Phaedri ille mos sit: et sequenti orationi et ipsis verbis Io-

vis,

Non est legatos Regis non dimittere,
Nec est difficile, poenas culpae imponere.
30 Sed hoc feretis pro iudicio praemium:
Non vero dimitti, verum cruciari fame,

Ne

vis, rectius *sic* praecedat, id est, hoc modo, his verbis, quam *hic* pro *tunc*, vel *hinc*, pro postquam omnes reclamassent, vel pro ideo; quia tunc tamen intelligi debet *hic* vel *hinc* locutus *sic* est Iupiter.

30 *Sed hoc feretis*] Non ferunt Viri docti primo sermonem ad legatos canum dirigi, mox conuerti uerum ad Deos: quod tamen recte vindicat Schefferus: ante poenam enim, id est antequam de ea ageretur, et consulerentur Dii, aut sententiam ferrent, legatis Iupiter hoc dicit, se formam iudicii hodie non obseruaturum, in quo solebant iudices in consilium mitti: *pro iudicio* ergo, id est loco iudicii, hoc praemium fereris, quod mox edicam: inde suspensos et attentos, quid sequeretur, Deos ita alloquitur. *non vero dimitti*, etc. Ita, si comparare illa licet, Augustus, non decreto Senatus, non iudicio instituto, poenam inflixit Ouidio; sed ipse *tristibus inuectus verbis* vltus est offensas. II. Trist. 132. non intellexisse haec Gallicus interpres videtur. *Voila la recompense que vous remporterez de moi au lieu du jugement, que vous m'estiez venu demander* non rogauerant iudicium, sed missi erant rogare, vt se hominum contumeliae eriperet Iupiter; sed post foedam cacationem legatorum poena in consilium Dii vocati erant. Sed alia etiam ratio haec interpretandi apparebit ex sequenti nota. *pro immunditia* vero reponere qui audet, nullum vnquam salebrosum inueniet locum, vnde se non expediat.

30 *Praemium:*] Recte Schefferus per Ironiam capit. est enim poena vt Ouid. VIII 503.

Nunc merito moriere tuo: cape praemia facti.

31 *Non veto dimitti, verum cruciari fame,*] Et haec intricata sunt, nam sensus requirit, *verum volo, iubeo, cruciari fame.* Sed hoc genus ellipseos illustrarunt, praeter Fabrum ad hunc locum, Manut. ad Cicer. IV. ad Fam. 5. et pro Quinct. cap. 26. I. F. Gronov. Obseru. IV. 2. Iacob Gronov. ad Liv. XXII. 55. Muncker. ad Hygin. fab. XIV. et Drakenb. ad Sil. Ital. XIV. 65. et nos ipsi ad Quinctil. VI. de Inst. Orat. I. et Declam. CCLVII. et similem fere defectum vidimus supr. lib. III. XII. in f. et IV. IV. 12. tandem etiam hanc elegantiam illustrauit Cortius ad Sall. Iug. CVI. 3. et in Excursu II. ad Iug. Sed difficultas manet, si non vetuerit demitti, quomodo posteri adhuc legatos exspectare possint. Quare fere inducor, vt hoc versu Iupiter decernat de duplici legatione ad se a canibus missa. vt posteriores vetet dimitti, priores vero iubeat dimitti; sed cruciari fame. et legendum forte.

Vos veto dimitti; hos verum cruciari fame,

Ne ventrem continere non possint suum.

id est, vt possint continere ventrem. famelici enim et ieiuni facile continent ventrem: et sane videmus saepe canes difficulter et cum molestia, et maximo nisu cacare. tertia poena respicit canes, qui miserunt, qui, quotiescumque nouo

et

Ne ventrem continere non possint suum.
Illi autem, qui miserunt vos tamen futiles,
Numquam carebunt hominis contumelia.
35 Ita nunc legatos exspectant et posteri;
Nouumque venire qui videt, culum olfacit.

et ignoto cani obuiam veniunt, olfaciunt culum. In hac triplici vero poena sententiae pro delictis sunt iustissimae. primi, qui Iouis vultu perterriti concacarunt regiam, dimittuntur, quia venia digni videbantur. sed secundi, qui stultitiam prodiderant, credendo se posse ventrem continere, si anum odore multo replerent, aut si non possent continere, crediderant multo illo odore merdarum faetorem facile posse vinci, damnantur fame, quia si ieiuni ad regem venissent, potuissent continere ventrem. qui vero miserunt legatos tam futiles, aeternae contumeliae hominum obnoxiis fore pronuntiantur. et ita hac fabula quasi tres caussas nobis aperit, cur canes perpetua fere fame (vnde *canina fames*, quam noster *maximam* vocauit, in prouerbium abiit) crucientur, cur nitantur maxime in cacando, et denique cur culum aliorum canum olfaciant. quae omnia occultos quosdam forte in sui aeui viros habent aculeos, quos nunc non intelligimus: nam diuersa superstitiosorum genera, qui vel Deos adeunt ieiuni, sine vllis donis, vel cum ineptis muneribus, ture et nidore sacrificiorum putantes se immundos posse placere Diis, vel qui alios pro se ad Deos allegant futiles et stultos, possent describi. Sed haec solus dixerit, qui repetit.

32 *Ventrem continere*] Hoc *continere* simpliciter dixit Petron. cap. XLVII. vbi vide.

33 *Futiles*,] Recte, quia non continere possunt. Terent. And. III. v. 3. *Sermone fortunas meas me commisisse futili:* vbi vide Donatum.

34 *Hominis*] Nihil muta. id est humani generis, singulari pro plurali. vt supr. fab. XII.

Vtilius homini nihil est, quam recte loqui.

Iustin. XXXIV. 2. *vt etiam sensu hominis nimia sagina careret.* vid. etiam supr. ad fab. VIII. 1.

35 *Ita nunc legatos exspectant et posteri;*] In MS. est *posteros* pro *posteriores*, dixit, vt de secundis legatis, quos vetuit Iupiter dimitti, intelligatur. Certe *posteri* pro illis, qui post aliquem munus aliquod obeunt, et qui succedunt prioribus, dici, ostendit Celeb. Perizon. Animad. Historic. cap. VII. p. 254. et vt *postera dies*, *tempus* et similia dicuntur, quae succedunt prioribus, ita *posteri* legati hic sunt, qui prioribus sunt suffecti, quos *superiores* vocauit antea vel, vt nos, *priores*. et potuit esse positum pro *posteriores*. vt saepe gradus illi permutantur. Haec non obtrudo pro certis, sed ad examen vt renocentur facile patiar. legerem vero,

Ita nunc legatos exspectat qui posteros,
Nouum venire cum videt, culum olfacit:

Quamquam facile induci possem, vt hos duos versus a nebulone quodam huic fabulae subsutos esse persuaderetur mihi.

FAB.

(75) F A B. XVIII.

Homo et Colubra.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit,
Sinuque fouit, contra se ipse misericors.
Namque vt refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc

F A B. XVIII.

1 *Post tempus*] Id est breui, *post aliquod tempus*, vt fab. praecedenti plene dixit. vers. 16. vide ad Quinctil. XII. de Inst. Orat. cap. 3. p. 1066. et ad Declam. CCLXXXIX. et CCCLXXXVIII: vbi *post annos*. vt Ammian. lib. XXVI. 10 *post dies*.

2 *Colubram*] Et *colubrum* dici notat Schefferus. vide quae ad Petron. cap. XLV. notauimus. Serpentem vero dici, qui benefacientem laedit, docuit Barth. Aduers. XI. cap. I. et ita cape dictum Iohannis Baptistae Luc. III. 7. γεννήματα ἐχιδνῶν. vt et illa Iuuenalis VI. 641.

Tene duas vna, saeuissima vipera, coena.

3 *Fouit,*] Proprie pro calefecit. vide Heins. ad Albinov. Eleg. in Drusum vs. 96. Et recte finxit hanc fabulam auctor, nam, dum riget frigore serpens pestifera, tuto tractatur, quia tunc venena torpent, quae calore iterum vim suam recipiunt. vide Senec. Epist. XLII. et haec ratio, cur *calida venena* toties Poëtis dicantur. Sic apud Ouidium IX. Met. 161. vbi de tunica, Nesseo sanguine imbuta, quam Dianira Herculi mittit, quae initio frigida, sed vbi Hercules ea indutus coepit incalescere, tunc simul, *incaluit vis illa mali*, vt legendum esse credimus. vide quae notamus ad eum locum.

3 *Contra se ipse*] *Se ipsum* mauult Anonymus. sed non capio rationem illam corrigendi, vbi Latinior et elegantior ratio loquendi mutatur in magis plebeiam, eaque adstruitur simul loco altero Phaedri, quem tamen eadem opera refingit in melius, et in contrarium praesentibus verbis, quae sub manu sunt, dicendi genus, licet hoc iam occupasset Hoogstratanus. An hoc non est emendationem ridiculo exponere, et opus proprium euertere? Ego in his locutionibus, quae vtraeque quidem occurrunt, sed altera altera est elegantior, semper scriptos sequi tutissimum credo. vide praeter alios plures de hoc modo loquendi Iac. Gronov. ad Tacit. IV. Hist. II. et nos ad Ouid. X. Met. 523.

4 *Necuit*] Captatores antiquitatum reponunt, *nocuit*. licet vero exempla quaedam, vbi *nocuit* cum accusatiuo casu construitur, adferant Filesac. Select. I. cap. 17. pag. 229. et Barth. VII. Adv. 14. et XLIV. 10. et Sereno Sammonico etiam cap. XLVII. *quem nocuit serpens*, obtrudere conetur Keuchenius. In Ouidii quoque codice Langobardico vir eruditissimus, qui electa vsui Scholae Etonensis edidit, reperit Remed. 591.

Quid nisi secretae nocuerunt Phyllida silvae.

vbi ipse legit, *nocuerunt Phyllidi*, quia recte censet Ouidium antiqua illa

5 Hanc alia quum rogaret caussam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

(76) FAB. XIX.

Vulpis et Draco.

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,

Perue-

illa non captasse. Ego tamen cum Scheffero facio: nam *necuit* dixisse veteres testantur veteres Grammatici, vid. Voss. de Analog. III. cap. 20. qui et lib. I. de Construct. cap. 21. *nocuit* damnare videtur hoc loco. ita Ouid. Met. III. 49. de serpente

— *Hos morsu, longis complexibus illos,*
Hos necat adflatos funesti tabe veneni.

Senec. II. de Ira 31. vero vtitur eodem modo *nocere*. *Ne viperas quidem et natrices, et si qua morsu, aut ictu nocent, effugeremus.* vnde videmus non semper eodem modo loqui veteres. nam ibi, si *necarent*, non *effugiendi* esset facultas. sed hic *τὸ protinus* praesentis veneni vim ostendit, quam effugere non datur.

5 *Hanc alia quum rogaret*] Per *hanc*, certe colubram debemus intelligere, quam rogat alia colubra, hoc enim ordo et sensus verborum exigit. Sed an colubra contra se sententiam pronuntiaret, et se ipsa *improbam* vocaret? non fit mihi verosimile, nec Phaedri ingenio convenire puto. forte haec sunt Poëtae verba, sub hac fabula, vt fere in omnibus, aliquem sui temporis notantis; nam sine dubio malam gratiam improbus aliquis pro beneficio, et forte alimentis, auctori nostro retulerat. quare Poëta interrogatus fabulae huius sententiam ab alio quodam, ipse respondit, hoc modo, vt forte legendum,

Hic (vel *hinc*) *aliquis quum rogaret caussam facinoris,*
Respondi, ne quis discat prodesse improbis.

et eleganter, cum in Promythio dixisset *malis auxilium ferre*, hic *improbis prodesse* subiicit; quod maiorem dolorem ex ingrato homine notat. *improbus* enim *malo* adhuc est intolerabilior, Sallust. Iugurt. XXXI. *bonus tantummodo segnior fit, vbi negligas, at malus improbior.* Suspicari aliquis posset, si post Tiberii tempora scripsit Phaedrus, Caligulam intelligi, quem lib. I. 2. sub *Hydro* latere multi credunt, hanc vero belluam fouerunt ipse Tiberius, et Macro et Ennia. quibus pro meritorum gratia cruenta mors persoluta est. Sueton. Calig. 26. et latius Tacitus. VI. 45. et seqq. vbi Macronem, *Gratiam C. Caesaris nunquam sibi neglectam, acrius in dies FUISSE* dicit. Tiberius vero *praedicabat, se natricem educare populo Romano.* Suet. Cal. XI. cui etiam maturasse mortem creditur.

FAB. XIX.

1 *Ernit,*] *Ruit* legit Guyetus. nihil necesse; Ouid. IV. Fast. 404.

 Tunc

Peruenit ad draconis ſpeluncam vltimam;
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
5 Hunc ſimul adſpexit; Oro, vt imprudentiae
Des primum veniam; deinde, ſi pulchre vides,
Quam non conueniens aurum ſit vitae meae,
Reſpondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quodue tantum eſt praemium,
10 Vt careas ſomno, et aeuum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille: verum hoc a ſummo mihi
Ioue attributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,

Nec

Tunc primum ſoles eruta vidit humus.

ſic eruta arena ex vadis. I. Triſt. IV. 6. Senec. N. Quaeſt. III. 30. *eruentibus terram occurrit humor:* et alii paſſim.

3 *Speluncam vltimam;*] Nec haec placent Viris doctis, licet ſint planiſſima: quidam *vltimo*, alii *vltimum* pro *tandem*, Cl. Bentl. *intimam*, quae cum nihil nouae ſignificationis vox addat, et idem ſenſus exeat, neſcio cui bono eam ſubſtituat. ego *vltimam ſpeluncam*, non de vltima parte ſpeluncae, cum Scheffero, nec *vltimam* pro *prima*, vt *ſanguinis vltimus auctor*, et ſimilia, cum Hoogſtratano interpretor, quia longe diuerſam eſſe rationem puto. ſed pro profundiſſima, maxime remota a ſuperficie terrae, ad quam poſt plures cuniculos alte actos peruenit tandem vulpes. Ita *vltimus orbis.* Ouid. Ep. XIV. 112. *Vltimae terrae* Quinctil. Decl. XII. cap. vlt. et hinc mox *tenebras* vocat: et hoc poſtulant *altius acti cuniculi:* et haec Fabula auariſſimo Tiberio conuenire poteſt.

5 *Oro,*] Hac formula centies vtitur Petronius. vide ad cap. XLV. et LXI. et alibi.

8 *Clementer.*] Placide, vt alii: ita Plaut. Stich. IV. I. 26. *Hodiene exoneraturus nauem frater? PA. clementer.*

9 *Quodue tantum eſt praemium,*] *Tanti* Scioppius et Heinſius: quod huic loco minime conueniens, vt recte Schefferus: ſequitur enim *nullum.* quod reſpondet *τῷ tantum,* non *tanti.* et praeterea tolerabilior eſt Cl. Bentleji correctio, abiicientis particulam *eſt.* ſed tamen, nulla emendationis cum ſit neceſſitas, nihil nouamus. lib. II. fab. 3. *tale eſſe culpae praemium.* Terent. Phorm. V. I. 6. *iis nunc praemium eſt, qui recta praua faciunt.* deinde vt *tantum* hic Phaedrus, ita Ouid. II. ex Pont. VIII. II. *Praemia quanta, Dii!*

11 *Summo Ioue*] Modo fab. XVII. *magnum* vocauit: ſed et hoc epitheton Ioui proprium, et ſaepe in codicibus permutatum cum *magno.* vide ad Ouid. I. Faſt. 608. et II. 591.

12 *Attributum eſt.*] Vt munus impoſitum explicat Schefferus. An non eo ſenſu, quo *attributa pecunia* dicitur paſſim apud Liuium et Ciceronem? vide Comm. ad Cicer. V. ad Att. 4. per *hoc* intellige aurum, et quodcumque hic abditum latet. vel etiam *carere ſomno, in tenebris aeuum exigere* etc. vt. I. VIII. 10. et alibi.

12 *Sumis*

Nec vlli donas quidquam? Sic fatis placet.
Nolo irascaris, libere si dixero,
15 Diis est iratis natus, qui est similis tibi.

(Fab. 77.)

Poeta.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, auare, gaudium heredis tui,

 Qui

12 *Sumis tibi,*] Ad vsum et sumtus. vt Terent. Phorm. IV. 3. 74. *argentum attuli, fructum, quem Lemni vxoris reddunt praedia, id sumam.* Adelph. V. IX. 20. *a me argentum quanti est sumito.* mox fab. 21. *tu ex opibus nil sumis tuis:* et ita passim.

13 *Sic fatis placet.*] Responsio draconis. vt solebant veteres, rejicientes in necessitatem, quae vel excusare nequibant, vel nolebant. Paris apud Ouid. Ep. XVI. 41. *sic placuit Fatis.* et si Tiberius hic a Poëta intelligitur, decore hoc ipsi responderetur, qui plenus persuasionis erat, *omnia fato agi,* Suet. Tib. cap. LXIX.

15 *Diis iratis*] De hac locutione vid. Lambin. ad Horat. II. Sat. III. vs. 88. et Heins. ad Hesiod. Oper. et Dies vs. 236. hoc autem addit, quia non fati necessitati, sed voluntati Deorum iratorum hoc adscribendum putat. nam veteres omnes res aut ex hominum voluntate, aut ex Fati necessitate, aut ex Deorum voluntate descendere putabant. vid. Serv. ad Virg. I Aen. 39. quae tria cumulat Flor. II. 6. *Tum quidem illum, vt dici vulgo solet, aut fatum Vrbis imperaturae, aut ipsius mala mens, aut auersi a Carthagine Dii, in diuersum abstulere.*

FAB. 77.

16 *Priores*] Ita passim Poëtae vocant, qui olim, etiam seculo aureo et meliori vixerunt. vt *seculum prius* dixit Terent. Eunuch. II. 2. sed haec pluribus ad Valer. Flac. IV. 351. illustrauimus. Est vero hoc caput appendix quasi praecedentis tabulae, quae in auaros est ficta, repetitio vero eiusdem verbi *abiturus, abierunt,* licet vltimum abesse posset, elegans et frequentata est. vid. Manut. ad Cicer. I. Epist. Fam. I. in ipso initio. Heins. ad Ouid. VI. Epist. 29. et notas ad Vell. Paterc. I. 3. et plures alios.

17 *Mente caeca miserum torques spiritum?* Haec ita capienda, quid tu mente caeca homo, id est, qui es mentis caecae, torques spiritum: nam non potest dici aliquis spiritum torquere mente caeca, tamquam instrumento aliquo. vid. ad I. XIV. 3. et II. V. 13.

18 *Tibi dico,*] Grauiter increpantis et minantis formula, Terent. And. I. 2. *sed dico tibi, ne temere facias.* Eunuch. II 3. *heus, heus, tibi dico, Chaerea.* et ita alibi. *Tibi equidem dico.* Ouid. Epist. XX. 153.

Alterius, thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.

minantis more, dixit, etiam φωνῶ σε Sophocl. Aiac. 1058.

Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo,
20 Qui tristis audis musicum citharae sonum,
Quem tibiarum macerat iocunditas,
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
Qui, dum quadrantes adgeras patrimonio,
Coelum fatigas sordido periurio;

Qui

19 *Ipsum te*] Vid. ad fab. XVIII. 3.

19 *Fraudas*] Vid. ad lib. III. 15.

22 *Opsoniorum pretia*] An et hoc Tiberium tangit? *qui tres mullos* XXX. *millibus nummum venisse graviter conquestus est.* et ipse *pridiana ac semesa obsonia apponebat.* Suet. cap. XXXIV.

23 *Quadrantes*] Auaritiam sordidam, et quae nihil etiam minimi lucri spernit, notat: nam *quadrantes* passim pro minutissimo ponuntur nummo. Mart. II, 44.

Et quadrans mihi nullus est in arca.

et X. 82.

Et si non fias quadrante beatior vno.

23 *Adgeras*] Corrigit *adgeres* Schefferus, scilicet ab *aggerare* deductum credebat; sed nihil opus cum ab *aggerere*, aeque commode possit deduci. Senec. consol. ad Helv. X. *quid opes opibus adgeritis? dum* vero hic pro *dummodo* positum subiunctiuum postulat. vide supr. ad lib. III. fab. 10. et ita *congerere* vtuntur, vt fab. mox. XXIII. *ego granum in hiemem congero.* de quo verbo vide Eruditissimum Drakenborchium ad Sil. V. 266. Sic eodem sensu Petron. cap. XLIV. *exstruere diuitias*, et Horat. II. Od. 3. *Et exstructis in altum, Diuitiis potietur heres.* vide et Claudian. I. in Europ. 222. contrarium est *egerere*, de quo vid. ad Quinctil. Declam. V. 17.

23 *Patrimonio*,] Ita proprie illa bona, quae a parentibus haereditate ad nos redierunt, dici merentur, sed et quodcumque ex quaestu et opere nostro, vel aliunde obuenit, *patrimonii* nomine denotatur. Sic apud Iustin. XIV. 3. de militibus, *post damna patrimoniorum, et post coniuges amissas.* Quem locum recte constituit et explicuit decus et praesidium olim nostrum Celeb. Graeuius. Senec. Nat. Quaest. II. 38. *An in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus fatum est, vt nauiget?* Apud Hyginum fab. CXCV. *Arion per artem magnum patrimonium acquisiuisse* narratur. vbi vide Muncker. de eodem Arione agens Ouidius lib. II. Fastor. 96. vocat *opes arte quaesitas.* vide egregie de hac voce *patrimonium* Gronov. ad Senec. II. cont. 9.

24 *Coelum fatigas sordido periurio*,] *Coelum* pro diis poni vidimus supr. h. l. fab. 6. Videtur autem haec locutio offendisse etiam Heinsium, qui *cellam*, vel *alnum fatigas sordida penuria* corrigebat: certe *coelum fatigare precibus*, et similibus recte dicimus, et ita millies loquuntur scriptores. vide praeter alios Broukh. ad Propert. II. XVI. vs. 3. sed quomodo *periurio* nostro *fatigare* possimus *coelum* non facile videtur explicatu: nisi ponamus periurum hunc hominem saepe a Diis punitum, nec tamen emendatum per poenas: vt ita quasi fatiget deos, qui toties coguntur in

vnum

25 Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

FAB. XX.

Phaedrus.

Quid iudicare cogitet liuor modo,
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.

R 3 Quid-

vnum illum poenas exercere. quomodo *Iuno fatigata,* Herculis nouerca, dicitur, qui frustra, vt periret, tot labores ipsi imposuit, ab Ouidio II. Art. Amat. 217. et non admodum dissimili modo Tarquinius dicitur *fatigasse saeuitiam,* a Floro I. 7. et Val. Max. III. III. ext. 5. *fatigare tortorum manus.* nondum tamen mihi in hoc loco plene satisfacio. *sordidum* etiam periurium negotium facessit. Schefferus explicat ob rem vilem, minimam. recte quidem, sed an similiter alii vnquam locuti? an non potius, qui mercede exigua accepta, peierare non formidant. quales tangit Iuuenalis Satyr. XIV. 217. *Falsus erit testis, vendet periuria summa Exigua.* vbi auaritiam, siue sordes recte Scholiastes notari docet. an *periurium sordidum*, quo vilissimos quoque homines fallunt? vt *sordidae preces* apud Tacit. I. Ann. 15.

25 *Circumcidis*] Intelligenda haec de testamento, quo defunctus sumtus in funus fieri prohibuit. Est vero elegans verbum, pro vndique aliquid abradi et demi iubes. Ita Senec. ad Helv. XII. *Circumcisae sunt peregrinantium sarcinae* (quod *amputare sarcinas* dixit Flor. II. 18, vbi vide Cl. Dukeri notas.) et de Tranq. Anim. XII. *Circumcidenda est concursatio.* et Ep. LXXXIX. *moralem Philosophiam circumcidit.* et ita ille saepius. reddidimus hoc verbum etiam Quinctil. Declam. XV. cap. 10. vbi, *quaedam tamen non possumus circumcidere meretrices. recidere* et similia verba ita sumi docuit Tennul. ad Frontin. IV. 1. 7.

26 *Quid faciat lucrum.*] *Lucri,* aut *quod lucrum* reponunt Viri docti: prius praeferrem, vt Terent. Phorm. I. II. *quid mihi lucri est te fallere.* imo etiam si *quod* legas, posset *lucri* defendi ex eod. Terent. And. V. VI. 3. *vt quod sum nactus mali, prius rescisceres tu, quam ego illud, quod tibi euenit boni.* qui et ibid. I. I. 46. *ne quid Andria apportet mali.* et Hecyr. III. IV. *nescis quid mali praeterieris,* et ita saepe.

FAB. XX.

1 *Indicare cogitet*] *Cogitet* pro *cogitur* dudum viri docti reposuere, sed Cl. Bentl. praeterea *praedicare* mallet. cum minime necessarium aut opportunum huic loco sit hoc verbum, quod de laude, vt plurimum capitur, licet sciam exempla in alteram partem esse. iam certe liuoris ea est malignitas, vt sola praedicatione non contentus, etiam maligne iudicet. *Cogitet indicare*, vero est, iam se parat ad indicandum, moliatur clam, nondum aperte iudicet vt prol. lib. III. *Intrare si Musarum limen cogitas.* *modo* vero cum *indicare* coniungen-

Quidquid putabit esse dignum memoriae,
Aesopi dicet; si quid minus adriserit,
5 A me contendet fictum quouis pignore.
Quem volo refelli iam nunc responso meo;
Siue hoc ineptum, siue laudandum est opus,
Inuenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamar coeptum propositi ordinem.

(78) FAB. XXI.

Naufragium Simonidis.

Homo doctus in se semper diuitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circuire coepit vrbes Asiae nobiles,
5 Mercede accepta laudem victorum canens.

Hoc

iungendum puto. id est, quid cogitet statim iudicare, simul ac fabulas edidero. nam non tantum ponitur pro tempore vix elapso, vt vidimus ad lib. II. 8. sed de proximo et statim subsequente, vt Ouid. X. 522.

Nuper erat genitus, modo formosissimus infans.

Id est, paullo post quam natus erat, cum infantiam ingrederetur: nam hic de futuro, quod mente praecipit poëta, agi docent *putabit, contendet.* sed futurum illud tempus cogitatione vt modo praeteritum fingitur. quid iudicare statim cogitet, simul ac scripsero aut edidero aliquid.

3 *Dignum memoriae,*] Cum codex Pith. et Remens. ita distincte exhibeant, pertinacia est nolle obsequi, cum constructio illa sit vsitatissima scriptoribus Latinis. vide exempla apud Heins. ad Ouid. IV. Trist. III. 57. V. Metam. 345. et de Nuce 26. et alibi Valer. Max. IX. II. ext. 8. *Indigno gloriae.* adde Zinzerling. Prom. Critic. cap. III. *memoria* vero posteros respicit, vnde male Gallicus interpres, *digne de quelque estime.*

6 *Volo refelli iam nunc*] Pro refelletur statim. vid. ad lib. I. 29.

8 *Perfecit*] Id est, poliuit, vt lib. I. Praef. vid. supra h. l. fab. IV. vs. 26.

FAB. XXI.

2 *Melos,*] Hinc *Melicus* dictus Simonides, Plin. I. cap. 56. et a Victorino pag. 1944. Edit. Putsch. Simonides *Elegus.* vide doctis. Muncker. ad Hygin. fab. 277. et Gisan. Ind. in Lucret. in *Melicus.* Themistius oratione I. Simonidem vocat *μελόποιον.* sed et *melos* dici de oratione soluta obseruat Cuper. lib. II. Obs. 10.

5 *Mercede accepta*] Nullum dubium, *pacta mercede,* quod vult Hein-

Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio.
(Erat autem natus, vt aiunt, in Cea insula)
Adscendit nauem, quam tempestas horrida
10 Simul et vetustas medio dissoluit mari.

Heinsius, recte saepe et eleganter dici, sed ideo non vbique debet contra codices intrudi. neque erat hoc olim turpe in Graecia pacisci de mercede carminis, vt colligi potest ex Pindar. XI. Pyth. 64. sed infamis praeter alios auaritia Simonides fuit, qui malebat oculata fide vti, et praesentem pecuniam capere, antequam caneret. quare recte *accepta mercede canens*, non ante canens, nisi accepisset. vnde melius Gallicus vertisset, *recevant la recompense par avance.* ita Sallust. Iug. LXXXVII. *quae ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea vt accepta mercede deseram non est consilium.* vide plura de mercenaria Simonidis Poësi et auaritia Aelian. VIII. 2. vbi tamen nollem Cl. Perizonium, inimicitiarum, quas cum nostri temporis nobilissimis Poëtis exercuit, nimis memorem, eos eiusdem criminis et sordium reos egisse. Quos enim ibi irarum plenus tangit, ego minime ad rem attentos fuisse, aut sacram artem magis prostituisse, quam multi, qui soluta oratione ad vilissimas adulationes abutuntur, scio: minorem etiam ex Musis et ingenii foetibus quaestum fecisse infinitis aliis, qui ex literis lucrum captant, post mortem eorum constitit.

9 *Ascendit*] Proprium verbum in hac re, vt et *conscendere:* vide Cuper. III. Obs. 3. Heinsius tamen hic malit *escendit:* sed licet hoc vocabulum probae sit notae, non tamen vbique intrudendum puto, vt saepe Viros doctos nimis hoc adfectasse video. et tentauit etiam Heinsius supra II. IV. Terent. Adel. IV. 5. 69. *abiit, periit, nauem adscendit.* De hoc naufragio Simonidis vide Menag. ad Laërt. II. Sect. 73.

9 *Tempestas horrida*] Imitatio Horatii, qui Epod. XIII. *Horrida tempestas coelum contraxit.* et Ouid. IV. ex Pont. X. 38. *Horrida Sarmaticum cur mare duret hiems.*

10 *Dissoluit*] *Vt dissoluit* Cl. Bentl. solemni more, quod si admittatur, indicaret illos collegisse zonas et res pretiosas, postquam dissoluta nauis iam esset: quod absurdum. sed in vulgata lectione colligunt vectores res, dum vident in eo esse, vt dissolueretur nauis, cum praesens periculum et instans viderent ante oculos. et ita hic *dissoluit* nondum ipsam nauis dissolutionem, sed instantem notat, vt viri docti notarunt apud Suet. Caes. 29. *cum aduersariis pepigit*, id est, voluit pacisci, et alia apud alios. ita apud Lucam Euang. cap. V. 6. *διερρήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον, dirumpebatur rete.* quod si fuisset ruptum, elapsi forent omnes pisces; sed in eo erat, vt rumperetur. ita Iudas *ὁ παραδιδοὺς*, qui moliebatur prodere, Matth. cap. XXVI. 25. et ita Graeci et Latini passim. Praeterea Heinsius volebat *dissoluunt*, quia *tempestas* et *vetustas* hoc requirere videtur; sed quot loca corrigenda essent, si hoc vbique esset obseruandum, vt multis ostendimus ad Ouid. II. Art. Amat. 81. et VIII. Met. 790. vbi pro arbitrio et ratione metri saepe variasse Poëtas

Hi zonas, illi res pretiosas colligunt;
Subsidium vitae: quidam curiosior,
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
15 Quia plures onere degrauati perierunt,
Praedones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit,
Nudos

Poëtas docemus. Sic Ouidius III. Art. Amat. 728.

Zephyri molles, Auraque, dixit, ades,

vbi pluralis et singularis numeri nomina verbum habent singulare. vt et Rem. 399.

Ergo vbi concubitus, et opus iuuenile petetur.

et ita centies ille et alii.

11 *Zonas,*] Non absurda est suspicio Heinsii, non ipsas zonas, sed res pretiosas in zonis reconditas voluisse seruare, et ideo legit, *Hi zona et illi res pretiosas colligunt.* sed quid significat, *res pretiosas colligere zona?* an in zonam collectas congerere? nescio an ita liceat loqui. sed si Heinsii explicatio probetur, legerem. *colligant*, a *colligare.* vt in simili re nequam ille apud Petronium Giton cap. CXIV. *zona circumueniente* se et amatorem suum *praecingit.* ego tamen a vulgata nondum discedere possum, quia *hi* et *illi* diuersas res agere debent, et potuere res pretiosas extra zonas habere. In zonis argentum habentes milites reperies apud Liv. XXXIII. 29. vide Gonsal. et alios ad Petron. cap. LXXXIII. Nulla zonarum mentione facta Gallicus interpres vertit, *ramasser leur argent:* hoc non exprimit antiquorum mores, vt in narrationibus fieri debet.

12 *Subsidium vitae:*] *In subsidium* Schefferus, sed est dictum per appositionem, pro *quae erant subsidium.* ita Sueton. Oth. cap. V. *decies sestertium expresserat, hoc subsidium tanti coepti fuit.* sic et *praesidium* occurrit. vt Iust. XXXII. 4. de Hannibale, *amphoras plumbo repletas in templo Dianae, quasi fortunae suae praesidia deponit.* et ita pecuniam numeratam *praesidium* dici vidimus ad Petron. cap. LXXV. de appositione illa vid. ad lib. III. fab. X. vs. 42.

14 *Mecum sunt*] Vid ad lib. II. fab. 5.

14 *Enatant pauci;*] Senec. Ep. XXII. *nemo cum sarcinis enatat.* Nescio vero quare *perierunt* debeat mutari. nam post *quia* etiam perfectum ponit Phaedrus alibi. I. 2. *quia noluistis ferre.* III. 10. *quia creditum est.* IV. 6. *quia perdomuit.* non ergo semper eodem modo loqui cogendus. et hic *perierunt* praefero, quia *perierant* posset capi de tempore etiam longius remoto, quam quo hoc ipsum naufragium accidit. nam posset ideo paucos enatasse intelligi, quia in nauigatione variis casibus multi antea perierant.

16 *Extulit,*] Scilicet ex naufragio, vt recte Schefferus. Ita ex domo, Sueton. Galb. VII. *ne ad gestandum quidem vmquam ingressus, quam vt secum vehiculo proximo decies HS. in auro efferret.* et Neron. XXXII. *thesauros antiquissimae Gazae, quos Dido regina Tyro secum extulisset.*

Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
Antiqua fuit vrbs, quam petierunt naufragi;
Hic literarum quidam ſtudio deditus,
20 Simonidis qui ſaepe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus,
Sermone ab ipſo cognitum cupidiſſime
Ad ſe recepit; veſte, nummis, familia
Hominem exornauit. Ceteri tabulam ſuam
25 Portant, rogantes victum. Quos caſu obuius
Simonides vt vidit: dixi, inquit, mea

22 *Ab ipſo*] Recte Schefferus pro *ex*. ita et *ab armis cognoſcere* Caeſar. I. Bell. Gal. XXII.

23 *Ad ſe recepit;*] Hoſpitio excepit: more Terentiano, Heaut. III. III. 6. *hominem amicum recipere ad te.* et in malum ſenſum, Hecyr. V. I. 17. *meum receptas filium ad te.*

23 *Famulis.*] Gallicus interpres vertit *ſerviteurs*; neſcio vero an hoc nomine honeſtare ſoleant Franci ſeruos: aliis in locis *valets* vertit. cur non proprio vocabulo *eſclaves* vti audet? quia ſcilicet veteres ſcriptores ad huius temporis cultum et habitum accommodari debent. ſed an, quia hodie ſeruis non vtimur, ſed mercede conductis miniſtris, hi etiam in veteres hiſtorias ſunt inducendi, etſi rari et pauci veteribus fuerunt? ridiculum certe. et tamen ita in ſacris ſcripturis ſaepe verſati ſunt interpretes, qui δȣ́λȣς reddiderunt aliquando *eſclaues*, ſaepius etiam *ſerviteurs*, praecipue vbi de Chriſtianis et Apoſtolis eſt ſermo; quaſi indignum eſſet homine, dei ſe ſeruum profiteri: ſic Clericus vertit II. Act. 18. et vbique fere, vbi quis ſe δȣ̃λον Dei aut Chriſti appellat, vt *Paul ſeruiteur de Jeſu Chriſt.* nec hic ſolis Gallis, ſed aliarum nationum interpretibus mos eſt. Sed de his agendi locus hic non eſt: ego puto proprietatem verborum, quantum poteſt, ſemper eſſe ſeruandam.

25 *Portant,*] Ita recte Gudius et alii: male *porgunt* pro *porrigunt* hic intrudunt. quod et Scaliger in ora notauerat. Tabellam enim, in qua depictum erat naufragium, humeris ſuis aut ex collo pendentem portabant, ſed manus porrigebant ad ſtipem accipiendam. vid. Perſ. I. Sat. 89. et ibi Caſaubon. et antiquus Commentator Horatii ad I. Od. 5. naufragia picta *circumferre* ſolitos, dicit, vbi et Torrentius et Lambinus videndi.

25 *Obuius*] Idem ſenſus oritur, ſiue *obuius* ſiue *obuios* legas: nam vtrique inter ſe occurrunt in viis publicis. ideoque nil neceſſe vulgatam mutare, ſed in ſimilibus debemus ſcriptos bonae fidei codices ſequi.

26 *Dixi,*] Interrogandi modo capiunt. non Schefferus, nec ego; ſed exprobrandi, vt *dicebam.* Ouid. I. Amor. 14.

Dicebam, medicare tuos deſiſte capillos.

Propert. I. 9.

Dicebam tibi venturos irriſor amores.

vbi

Mecum esse cuncta? vos quod rapuistis, perit.

(79) F A B. XXII.

Mons parturiens.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exspectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna quum minaris, extricas nihil.

vbi vide quae notat Passeratius. ita et *dicam*, de quo vide ad Ouid. Epist. XXI. 55. sed Terentius fere eo sensu, vt Praschius volebat, saepe per interrogationem, vt, *an non dixi hoc esse futurum?* And. III. V. 15. *et dixin' hoc fore?* Adel. I. II. 3.

27 *Quod rapuistis,*] Cl. Bentlejus, qui verbum *habere* loco suo praeter ius mouit lib. III. fab. 3. hic illud restituit. et pro *rapuistis*, *habuistis* legit. sed ita perit omnis venustas dicti. non tamen *rapuistis* cum Schestero et Viro docto ad festinationem, qua imminente naufragio res pretiosas colligebant, referrem, sed quod antea eas male pepererant, et furtis et rapinis se ditauerant. Exprobrat enim illis, quod vulgo dici solet, male parta male dilabi; et iustae Deorum irae et vindictae admonet. vide ita Philosophantem Eumolpum in naufragio Lycae, apud Petron. cap. CXV. *ite cauti, et opes fraudibus captas* (vel *raptas*, vt Boschius) *per mille annos disponite.*

F A B. XXII.

1 *Parturibat,*] Ita extulerunt olim imperfecta illa tempora: sic *audibam* Ouid. Epist. XIV. 3. et *nutribam* Valer. Flacc. VIII. 37. et in futuro *mollibo* Horat. III. Od. 25. vide Serv. ad Virgil. VI. Aeneid. 468. et Voss. de Analog. III. cap. 34. Ceterum Tachos Aegypti Rex narratur hoc dixisse Agesilao, qui cum ipse esset breui corpore, et adduxisset ipsi copias auxiliares, ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν, dicenti regi respondit, Φανήσομαί σοι ποτὲ καὶ λέων, Athen. lib. XIV. cap. I. et hic sine dubio aliquem sibi Phaedrus proposuit perstringendum, qui carmina minabatur se editurum magnifice, sed nihil vel exiguum et vile produxit.

2 *Terris*] Id est inter homines. vide quae notantur ad Valer. Flacc. I. 136. et Barth. ad Stat. VII. Theb. 55. in eo ergo differt Phaedrus a Tacho Aegyptio, qui ipsum Iouem timuisse hunc partum dicebat.

4 *Minaris,*] Hoc verbo eleganter vtitur, quia et *parturire* dicuntur, qui minas meditantur. Ouid. Epist. XII. 208.

— *ingentes parturit ira minas.*

et ita saepe Cicero τῷ *parturire* vtitur.

F A B.

(80) FAB. XXIII.

Formica et Musca.

Formica et musca contendebant acriter,
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior,
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Vbi immolatur, exta praegusto Deum,
5 Moror inter aras, templa, perlustro omnia.
In capite Regis sedeo, quum visum est mihi,

Et

FAB. XXIII.

Nihil agere quod non prosit, fabella indicat] Hunc versum ex lib. III. fab. 17. huc irrepsisse credebat Heinsius: licet ibi notauerit fictum esse ex hoc loco: ego abesse iussi.

1 *Formica*] Similis est fabula de Formica et Cicada, quam habet Nielantii Anonymus. n. 56. set Romulus. 45. et Rimicius. IV. 17.

2 *Quae*] Pro *vtra*. vid. lib. I. fab. 24.

2 *Pluris esset.*] Gallus interpres, *qui est la plus excellente.* de eo non agitur, sed quaenam pluris fieret, et maiore honore adficeretur, nec opus hoc exemplis illustrare puto: et mox *laudes* vertit *avantages:* cum sint laudes, quibus ornabatur et extollebatur prae formica, vnde apparebat pluris fieri.

3 *Conferre*] Walchius iubet legi,

Conferri nostris num potes te laudibus,

et *conferri* explicat pro comparari. ego illa non capio. Saltem *tu* dedisset, vt Latina esset oratio: nam vtrumque dici potest *conferri laudibus*, et *se conferre*. vid. ad Ouid. Epist. XVI. 203. idem I. Ex Pont. I. 25.

Nec me nominibus furiosus confero tantis.

et ita centies. Sed *conferri te potes*, nescio qui explicari possit.

5 *Moror*] Id est habito, viuo. vide Doctiss. Muncker. ad Hygin. fab. LII. Suetonius Neron. 33. licet ambigua significatione, *morari inter homines desiisse.* Schefferus distinguit post *templa*, vt sit dictum: quasi *moror inter aras, et templa, denique perlustro omnia.* contra Cl. Bentlej. *templa perlustro omnia.* sed quia de Rege sequitur, praestat cum Scheffero distinguere. nam et Palatia sine adiecta voce *omnia* se lustrare, et *templa* dicit, deinde in compendium sermonem contrahens addit, *omnia.* et ita saepe scriptores cum multa enumerant, omnia subiiciunt vel etiam praeponunt, vt egregie ostendit nuper doctissimus Cortius ad Sallust. Iug. LXXVI. posset et *omnia* capi, vt in ipsa adyta, solis sacerdotibus patentia, se penetrare iactet. sed et tunc separatim vox capienda.

6 *In capite*] Non insultandi caussa, sed iactat se impune sedere in capite illo sacro sancto, quod tangere aliis capitale foret. eodem modo vt sacrilegi haberentur, qui deorum exta praegustarent, qui

in

Et matronarum casta delibo oscula,
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?

Est

in aris et templis morari vellent. haec omnia se sine metu poenae facere gloriatur musca, vt nec pro adultero posset comprehendi, libans oscula matronarum. Ita haec capi debent. nihil hic obscaeni quaerendum.

8 *Optimis rebus fruor.*] Id est, delicatissimis, lautissimis: nam *bonae res* dicuntur, quaecumque ad bene lubenterque victitandum faciunt. quo sensu P. Syrus dixit,

Bonarum rerum consuetudo pessima.

Et C. Nepos de Agesilao cap. vlt. narrat, illum contemsisse splendida Regis Aegypti munera, et vnguenta, coronas et secundas mensas seruis dispertiisse: et addit deinde. *Quo facto eum Barbari magis etiam contemserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa* (scilicet vitulina et huiusmodi generis obsonia) *potissimum sumsisse arbitrabantur.* idem in Vita Attici. 13. *omnibus rebus optimis vsus est.* vide Gronov. III. Observ. cap. 12. et nos ad Petron. cap. XXXIII. et XXXVI. sic et *res Puteolanae* et *Lucrinenses* apud Ciceron. IV. ad Att. Ep. 10. vbi nihil mutandum censeo. ita *bonum vinum* vidimus lib. III. fab. 1. nescio an genio linguae Gallicae satisfecerit interpres; vertendo, *je ne laisse pas de jouyr des meilleures choses*, ego mallem: *de faire tres bonne chere*, fabulam vero referrem ad parasitos et impudentissimos potentium et diuitum adulatores, qui, licet centies abigantur et expellantur, vt vers. 15. semper redire solent, et inuocati, asymboli, vncti et lauti veniunt, vt Phormio apud Terent. II. II. 24. nam *muscam* impudentis conuiuae et parasiti esse symbolum docuit iam Lipsius lib. III. Antiq. Lection. sed Phaedrus in Epimythio aliter interpretari videtur. quamuis et captatores coenarum gloriosi falsis se laudibus ornent, quasi familiaritate et vsu principum virorum vtentes: et hinc saepe in magno etiam pretio habentur, sed tandem eiecti et exclusi miseram fere vitam exigunt.

9 *Quid horum simile tibi contingit, rustica?*] Cl. Bentlej. raro Phaedri breuitatem ferens, hic conciciorem dans Muscae, forte pro modo animalculi, orationem, et conuicium, quo formicam lacerat, tollens, omnem venustatem Poëtae adimit, et pro *contingit*, refingi iubet, *quid horum tibi? contra insit rustica.* sed acriter satis exagitavit Vir doctus inimicum. nos credimus illud *contingit*, non debere abiici, cum magna in eo verbo, de copia delectabili rerum, sit efficacia. vt Ouid. III. Amor. VII. 43.

Haec mihi contigerat, sed vir non contigit ipsi:

vbi vide quae noto. et praecipue ad Quinctil. Decl. X. cap. 2. *contingunt* illa, quae ex voto et optato obueniunt nobis, vt recte explicat illa Senecae Ep. CX. Lipsius. *scies plura mala contingere nobis, quam accidere.* et ita illud Demosthenis, *si contingit*, apud Quinct. XII. de Inst. Orat. 9. explicat Achil. Stat. ad Horatii Art. Poët. 51. et Terentius *commoda*, *gaudia*, et similia proprie *contingere* dicit. et Donat. ad Andr. IV. II. 13. *ea contingere* dicit, *quae vix eueniunt.* et Heaut. II. III. 83. *si quidem id sapere est*,

velle

10 Est gloriosus sane conuictus Deum,
Sed illi, qui inuitatur, non qui inuisus est.
Reges commemoras, et matronarum oscula;
Ego granum in hiemem quum studiose congero,
Te circa murum video pasci stercore.
15 Aras frequentas, nempe abigeris, quo venis.
Nihil laboras; ideo, quum opus est, nil habes.

Superba

velle te id, quod non potest contingere, id est quae frustra optares. notum illud Horatii I. Ep. X. 7.

> *Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.*

Verbo ergo tam eleganti et obuio, quis crederet librarium, aliud et antiquarum fere, et quo Phaedrus, cuius fabulae tamen dialogi pleraeque sunt, numquam vsus est, (quo saepe argumento, fallaci tamen ob exiguam libelli molem, vsus est Cl. Vir) vocabulum *insit* substituisse. deinde cum in laudes formicae, quae multi laboris, imago est viri diligentis et prouidi patrisfamilias, fabula sit conficta, si Poëta ex sua persona eam *rusticam* vocaret, absonum foret, sed ex decoro muscae insolenti et superbae hoc dat conuicium, quae inter aras et templa viuens ipsi exprobrat vitam duram et asperam, quam rusi agit. vt Schefferus recte explicat, et de quo vid. supr. h. l. fab. IV. Quamuis plus hic etiam notare hanc vocem puto, ignorantiam scilicet rerum bonarum, a quibus plane aliena erat formica, et quae laboriosa, rustica, nihil voluptatis admitteret: qualem Agesilaum censebant esse Aegyptii, et quos Graeci vocant ἀναισθήτες. vide Buchner. ad locum ex Nepote mox adductum, et Bosii Indic. in *bonus*. et hoc sensu centies Ouidius *rusticas* vocat puellas, quae voluptates et luxurias ignorant, simplices, vt Helenam vocat Epist. XVI. 285. sed haec notissima.

13 *Congero,*] Proprium hoc formicae. vt Sympos. Aenig. XXII.

> *Non gero magna simul, sed congero multa vicissim.*

vid. supr. ad fab. h. l. XIX. nec absimiliter messem, *congestas opes*, vocat Ouid. IV. Fast. 618. quae etiam *in hiemem* congeruntur, id est, vt hieme inde alantur homines. ita Terent. And. II. 2. *Olera et pisciculos in coenam*. et Adelph. III. 3. *dare in sumtum*. et infinita talia: de transpositione versuum vnicuique iudicium suum relinquo. ego hic sequor vulgatas editiones: quibus etiam sua constat ratio.

14 *Circa murum*] Conieceram olim *triuium*, quia ibi sordes et stercora iacebant. vide supr. I. fab. 27. video vero Cl. Bentleium edidisse *te circum rura*, et verbo tantum, se ita reponere, monuisse lectores, nec rationem reddidisse emendationis. certe muscae vix conuenit rura multa circuire; quare ego retineo vulgatam: notum enim est, quam formicae sibi tramites faciant iuxta muros, et quam muscae etiam in illis pendere et insidere soleant: quare fingenda sic fabula; vt formica iuxta murum festinans ire, viderit circa illum in sordibus sedere muscam.

Superba iactas, tegere quod debet pudor.
Aestate me lacessis; quum bruma est, siles.
Mori contractam quum te cogunt frigora,
20 Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto retudi superbiam.

Fabella

17 *Superba iactas,*] Codex Pithoei habet, *super etiam iactas.* quod placet viris doctis: certe supra lib. III. fab. XI. vers. 2. *super* pro praeter capi vidimus. hic tamen illud *super etiam* (licet Cl. Bentl. exempla ex Terentio proferat, vbi *insuper etiam* legitur) non placet. et *super* praeterea pro insuper capi docet Salmas. ad Spartian. Pescen. 2. et Virgil. II. Aen. 348. *Incipio super his.* id est, insuper incipio his, sc. alloqui eos. sed vellem exemplum. vnde *super etiam iactare* eleganter dici probaretur. praeterea cum musca formicam vocasset *rusticam*, congruens erat, vt responderet etiam conuicio, et eam *superbam* vocaret.

19 *Contractam*] Heinsius in notis ad Prudent. praefat. lib. I. in Symmach. vers. 14. et praecipue in addendis, *contactam* videtur legisse, sed in codicis sui ora hanc emendationem induxerat. vide eumdem ad Claudian. IV. Cons. Honor. vers. 244. *contracta* enim est frigore breuior facta, vt solent insecta illa contrahi hieme. Sueton. Aug. LXXX. *Dextrae quoque manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, vt torpentem contractumque frigore vix cornei circuli supplemento scripturae admoueret.* et ad eius forte exemplum Tertull. ad Martyras cap. I. *contractus et torpens tum coluber excantatus.* Ita *vermes contractos* dixit Vegetius de Art. Veter. III. 4. et Manilius II. 252.

Tuque tuo, capricorne, gelu contractus in astris.

Marcian. Capella lib. VI. pag. 146. *nam cum aestate torremur, illi frigore contrahuntur.* Sic Erasmus optime et Latine apud Lucam cap. XIII. 11. *συγκύπτουσαν* vertit *contractam:* nam et de podagricis Seren Samon. cap. XLIII. et LV. *contractos neruos* dixit, et Senec. Ep. LXVIII. *contractum crus.* nec dissimili significatione Virgil. IV. Georg. 295.

Exiguus primum, atque ipsos contractus ad vsus
Eligitur locus.

Et ita Tzetzes illa Hesiodi Oper. et Dier. vers. 518. *τροχαλὸν δὲ γέροντα τίθησι*, explicat per *κεκυφότα*, id est *incuruum, contractum.* Hinc et ad animum transtulit Cicero Ep. I. ad Q. Fratr. *ne contrahas aut dimittas animum:* et Senec. Cons. ad Marciam cap. VII. *Firmissimorum quoque animorum contractio.* Vbi vide Lips. *duplicatum frigore corpus* non dissimili ratione dixit Valer. Max. V. I. ext. 1. An vero in Virgilii loco a Scheffero adducto ex IV. Georg. 259. *contractum frigus* dictum sit, vt morbus et similia *contrahi* dicuntur, dubium facit Seneca, qui lib. II. de Ira cap. 19. *Frigidi mixtura timidos facit, pigrum est enim contractumque frigus.*

20 *Domus.*] Sedes mea, et quasi hiberna, in quae congessi grana. vid. ad fab. I. 3.

21 *Satis profecto retudi*] Non videntur apte haec modestae formicae dari, neque ita solet Poëta. sed fabellae finis est in priore versu, ab

Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

(81) FAB. XXIV.

Simonides a Diis seruatus.

Quantum valerent inter homines literae,
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A superis sit tributus, tradam memoriae.
Simonides idem ille, de quo retuli,
5 Victori laudem cuidam pyctae vt scriberet,

Certo

ab hoc vero incipit Epimythium: quare forte legendum,

Satis profecto retundit superbiam
Fabella talis, hominum discernens notas
Eorum etc.

nam τὸ *profecto* est approbantis et docentis Phaedri, vt saepe Terentius, *profecto sic est*, et similia alii: et noster in simili prorsus de fabula praecedenti iudicio lib. III. 19. *sensit profecto*. si tamen haec mutare est religio, legerem per interrogationem,

Satin' profecto retudi superbiam?

Video autem Cl. Bentlejum metuentem syllabae, edidisse *rettudi*. non ad praescriptum meae editionis. nam ineptum hoc Grammaticorum commentum esse vidimus supra lib. III. 18. et saepe alibi.

22 *Notas*] Vide ad Petron. cap. LXXXIII. Gallicus frigide reddidit, *deux sorte de persones*, debuisset, *deux diverses caracteres des gens.* ita Sueton. Tib. 54. *patefacta interiore animi nota.*

FAB. XXIV.

1 *Valerent*] Id est, quo in pretio et honore haberentur: ita enim malim capere, quam vt Gallicus interpres, *j'ay fait voir auparavant le grand pouvoir que les lettres ont.* quamuis et firmare posset suam versionem ex lib. I. 13. *quantum valet ingenium.* et ex Terent. Phorm. V VII. 94. *quantum valet?* et ex Ouid. XIII. Met. 12.

Quantum acie valeo, tantum valet ille loquendo.

et aliis locis pluribus. sed ibi alia res est. hic agitur de honore literis habito ab hominibus et Diis. si vero dicimus *res valet denarios tot*, ergo et recte *quantum valet* res dici potest. Similis vero huic narrationi fuit ruina porticus, quae vix egresso Regulo corruit. vid. Martial. I. 12. et 83.

5 *Victoris pyctae*] Miror et hic non *victori* corrigere, vt fere solent, viros doctos, et sequi Gronovium et Schefferum. et sane debuissent: nam ex vulgata lectione is sensus exit, vt scripserit, a quodam mercede conductus, laudes victoris Pyctae, diuersi ab illo, qui conduxerat. atqui Cicer. II. de Orat. 86. in ipsum Scopam, apud quem

Certo conduxit pretio: secretum petit.

Exigua

quem coenabat, Simonidem carmen scripsisse narrat. nescio vero cur Phaedrus Scopam noluerit nominare: forte alios auctores secutus est. nam Cicero et alii, qui hic adducuntur, de carmine tantum memorant, nec addunt scriptum in laudes pyctae, nec Scopam pyctam vocant. sed Quinctil. lib. XI. 2. dicit Pugili coronato scriptum, et conniuium in honorem eius victoriae fuisse celebratum, sed dissentire veteres, an Scopae, an Glauconi, an Leocrati, an Agatarcho. ipsi totum hoc de Tyndaridis fabulosum videtur, licet conuiuium celebratum et falnum euasisse ex ruina Simonidem credat. vide quae ibi de Scopa post alios notauimus. *Pyctes* vero an *pugilem victorem*, vt Gudius vult, semper notet, dubito, quia tum inepte adderetur *victor* a Phaedro: *pyctae* vero vocem recte reddidit Gruterus Martiali. XI. Epist. 85.

Haec quaecumque meo numerasti stigmata mento,
In vetuli pyctae qualia fronte sedent.

et ita codex Thuaneus, et alter Bibl. Leidensis, qui fuit olim Vossii, habet *Vetuli pyctae*: nam illa *frons picta*, vt vulgo legitur, nihil cum stigmatibus habet commune, sed pyctarum frontes, caestibus contusae, seruabant cicatrices, vt stigmata.

6 *Certo condixit pretio:*] Pithoeus et Rigaltius ediderant *conduxit*, et ita MS. Rhem. teste Gudio, quod amplexus etiam Rittershusius ex iure, in quo hoc verbum frequens, illustrauit: Meursius mutauit in *condixit* (quod et Scaliger volebat) addens, Simonides enim non *conduxit*, sed *conductus* erat. et hinc Cl. Bentlejus legit, *conductus pretio*. sed errauit Meursius, et ignorauit vim et vsum verbi *conducere*; nam et illi *conducere* dicuntur, qui certo pretio aliquid faciendum, aut praebendum in se receperunt, vt Festus in *Redemtores*, vbi et *condixerunt* alii legunt. sed male. sic apud Ciceron. II. de Diuin. 21. *Redemtor, qui columnam illam de Cotta et Torquato conduxerat faciendam.* id est, certo pretio faciendam susceperat. in iure nihil frequentius; vt in l. 58. §. vlt. l. 59. l. 62. ff. Locat. Conduct. et l. 25. §. 7. ff. eod. ex quibus apparet eleganter etiam dici *conducere* illum, qui mercedis et lucri gratia quid faciendum suscipit. Cicer. III. ad Q. Fr. I. *Tum is mihi respondit, se ipsum eius operis HS. XVI. conductorem fuisse.* et ita contra *locare* dicitur, qui quid faciendum certa mercede alii mandat. l. 5. §. 2. ff. de Praescr. Verb. et ita hic Scopas *locauit* carmen faciendum vel scribendum; Simonides *conduxit*. Et hoc apparet, quod mox dicatur Simonides *opus adprobasse*, quod conductores debebant facere, post perfectum opus, vt patet ex l. 24. et 36. et 58. §. 2. ff. Locat. nec cogebatur approbare, nisi conduxisset, et mercedem vellet petere. et hinc ex formula sollemni in locatione conductione saepe haec verba addebantur, *opus approbauit.* Lepide et salse vero hoc verbo vtitur Phaedrus, quo simul notet sordes Simonidis, qui mercenariam exercebat Poësin, vt supra fab. XXI. vidimus, et quod multi in Simonide notauerunt. Eodem modo *conducti testes* Ouid. I. Amor. X. 37. et apud Quinctil. Declam. XII. 13. *Classis nostra vecturam facit, et vicinorum ciuitatium copias mercede conducit.* ita enim scribendum putauimus pro ignoto verbo recen-

Exigua cum frenaret materia impetum,

Vſus

reconducit. illud *re* natum ex vltima ſyllaba *de*, *τῷ mercede.* Adde et quae olim ad Petron. cap. CI. notauimus. *Condixit* defendit Vir doctus, ſed nihil addens, quo adſtruat, niſi ex quotidiano vſu illud verbum conuenire, nec vero ſimile ex iuris formulis hic loqui Phaedrum. Quae duo ego ſaepe in idem conuenire credo. nam formulae iuris ſunt ex quotidiano vſu, et Phaedrus aliique toties iis vtuntur, vt mox *approbare*, et in lib. I. fab. XVI. *ſponſum vocare.* et tota fabula lib. III. X. et lib. IV. IV. et quot non loca ex iuris libris illuſtrata ſunt ab interpretibus? ita vt hoc frigidum, et pudendum ſit effugium; neque probet Vir doctus vllo idonei ſcriptoris loco ſuum *condixit.* Nam *condicere* eſt quidem conſtituere, paciſci, vt multis docuit Cl. Gronovius I. Obſerv. I. ſed plerumque vltro, ſponte in ſe ſuſcipere, vel alicui promittere notat, vt *coenam condicere*, *diem*, *operam* et ſimilia: vide Ritterſh. ad ſequentia vſ. 15. ad *coenam mihi promitte.* ſed *τῷ conducere* additur *pretio*: vt hic, ſic etiam in l. 35. §. I. ff. locati, *certo pretio conductus.* ſed nunquam *pretio* vel *mercede condicere* legi, nec puto ex genio L. L. id poſſe dici, nec locus Plinii, quem adducit Anonymus, huc facit; nam Plinius *condixit operam*, id eſt, ſuſcepit, promiſit libros ſuos de Mundo ſcribere, nondum conſtituens et cogitans de dedicatione Tito, quem poſtea elegit iudicem operis ſui, ſcribenda, vt ex ipſo Theſauro Stephani, vnde hoc exemplum aequo iure petitum eſt, atque *conductus pretio*, diſci ſatis poteſt. Et aliae ſunt *conductae operae*, ſine mercede conducti operarii, apud Ciceronem et Plaut. Aul. III. 3. *opera huc conducta eſt veſtra, non oratio.* Aliquando vero dubium eſſe fateor, vtrum verbum praeferendum: vt apud Minuc. Felic. cap. XXV. *a ſacerdotibus inter aras et delubra conducuntur ſtupra.* vbi alii *condicuntur.* recte ſi non ad pretium ſtupri, ſed ad locum tantum, quo conueniant, reſpicitur: ſed et *conducuntur* certo pretio et mercede meretrices: vnde *conductum torum* dixit Ouid. I. Amor. X. 44. Praeterea illis, qui *condixit* praeferunt, probandum eſſet, Latine dici, *condixit* certo pretio, *vt ſcriberet*: ſed *condicere* nomen habet fere adiunctum, non verbum, vt *coenam*, *diem*, *inducias*, etc. cum *conducere faciendum*, vel *vt fiat* aliquid, ſit obuium. Sic in l. 30. ff. Locati: *qui Inſulam triginta conduxerat, ſingula coenacula ita conduxit, vt quadraginta ex omnibus colligerentur.* vbi ſine dubio *conduxit* ſecundo loco pro locanit ſumitur, vt Contius, vel legendum eſt cum Haloandro *locauit.* ſed nunc de conſtructione tantum agimus. perperam vero Leoninus I. Emendat. 18. *condixerat* ibi legit, et firmare vult loco Ciceronis, vbi de *condita coena* agitur, quo nihil ineptius. ſeq. §. I. *balneas conduxerat vt gratis lauarentur.* et ita millies.

6 *Certo pretio*] Hinc afferi poteſt vulgata lectio apud Ouid. I. Amor. X. 21.

> *Stat meretrix certo cuiuis mercabilis aere.*

vbi vide notas. et in dicta l. 35. §. I. ff. Locat.

7 *Exigua materia*] Gallicus vertit, *la baſſeſſe d'un ſi petit ſubiect.* ſed credo Gallos voce *baſſeſſe* vti in opprobrio, de humili ſorte et

 genere,

Vſus poëtae, vt moris eſt, licentia,

Atque

genere, vel de ſtili humilitate; victorem vero in ludis ſacris eſſe glorioſiſſimum erat, et laudes ſtilo ſublimi ſatis, vt ex Pindaro patet, celebrari ſolebant: quare potius verterem, *la ſterilité du ſubject:* materiae non ſatis vberis exiguitas ſpiritum Poëtae reprimebat, quare excurrere in laudes Caſtoris et Pollucis inſtituebat, qui ſimili laude fuerant celebres, et quibus comparabat hunc Pyctam. potuiſſet videre hoc interpres ex fab. XXV. vbi *copiam materiae* recte vertit, *materie riche et abondante.* *Impetum* vero vocat Poëticum ſpiritum, calorem, et furorem; vt Ouid. VI. Faſt. 6.

Impetus hic ſacrae ſemina mentis habet.

IV. ex Pont. II. 26.

Impetus ille ſacer, qui vatum pectora nutrit.

et ita alibi ſaepe. quod noto, quia inepte etiam Gallicum interpretem video vertiſſe, *l'impetuoſité de ſon eſprit*, qua voce puro Gallos de vitio violentae mentis vti: prologo lib. V. dixit *continetur ſpiritus.*

8 *Vſus Poëtae, vt moris eſt, licentia.*] Conſtruunt, *vſus licentia Poëtae, vt moris eſt.* ſed tunc offendit ille ſingularis, cum *poëtarum* rectius dixiſſet exemplo Ciceronis, qui lib. III. de Orat. 38. de verbis priſcis, quae *ſunt Poëtarum licentia liberiora, quam noſtra:* ita *licentia vatum* Ouid. III. Amor. XII. 41. et ſic paſſim alii. Cl. Bentlejus, *vſus Poëta moris eſt licentia.* ſed *licentia moris* non placet Anonymo, vt nec Heinſiana emendatio, *Poëtici eſt moris licentia,* quia numeros inſuaues ſibi accidere teſtatur. quid faciemus tanto faſtidio et tam ſuperbo? ſed nec numeris ſuauitas conſtat, immo magis turbantur in Gudiana lectione, *poëtici moris eſt licentia.* Walchius etiam nobis prodit hanc coniecturam,

Vſu Poëtae, vt moris eſt, licentiae.

et explicat, quum poëtarum licentia, vt alias moris eſt, vteretur. videat lector eruditus, an intelligat Phaedri et interpretis ipſius verba, quae forte a librario vitiata ſunt. Ego, ſi ius dicendae ſententiae daretur, legerem et diſtinguerem,

Vſus, Poëtae vt moris eſt, licentia.

vt ſupra fab. XII. 1. h. l. et alibi *homini* pro hominibus, et ita in corrupto verſu illo Ouid. II. Triſt. 507.

Quoque minus prodeſt, ſcena eſt lucroſa poëtae.

poſitus ſingularis numerus pro plurali *Poëtis;* quia de certo genere Poëtarum ſcenicorum agitur, vt hic de Lyricis, ſiue Melicis, qui canebant laudes victorum. ſin hoc diſplicet, *poëta* debet intelligi ipſe Simonides, vt poëtae iſti, ſcil. Simonidi, mos fuit; et tunc legerem,

Vſus, Poëtae vt mos erat, licentia.

Sic de ſe ſaepius Ouidius: vt III. Faſt. 3. *quid ſit cum Matre Poëtae*, id eſt mihi. Remed. Amor. in fine

Poſtmodo reddetis ſacro pia vota Poëtae,

id eſt mihi, et ita paſſim. iam vero hunc, licet aliis etiam, vt Pindaro, non ſpretum, praecipuum fuiſſe morem Simonidi, diſcimus ex Schol. Pindari IV. Nem. 60. ſi nec hoc placet, Heinſium ſequerer.

Atque interposuit gemina Ledae sidera,
10 Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus adprobauit: sed mercedis tertiam
Accepit partem. Quum reliquum posceret,
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis duae;
Verum, vt ne irate dimissum te sentiam,

 Ad

9 *Atque interposuit*] Facile potest *est* subintelligi sub *visus*. alter cum Guyeto scriberem, *apte*. de *interponere* vid. ad Prolog. lib. II. 9. et prolog. lib. V. 1.

10 *Auctoritatem similis referens gloriae.*] Id est, illam gloriam, scilicet victorem esse in ludis sacris, insignem esse inde probans, quod Castores, in ludis similibus victores, egregie fuerint celebrati, vnde suae laudationi, et laudato Pyctae auctoritas accederet, nec pro leui re haberetur haec egressio in laudes Dioscurorum. Cl. Bentlejus eneruans egregium hunc versum, legit,

Auctoritatis illa referens gratia.

Sed recte haec refutauit Anonymus vir doctus. *Gloria* vero est proprie honor et laus illa, quae ex bellis et factis fortibus reportatur: vt vidimus lib. I. fab. II. sed non minor habebatur apud Graecos in ludis sacris victorem pronuntiari, quam hostium in acie: Ne ergo verbis gloriam hanc iactare vanis videretur Simonides, ostendit hac insignes fuisse etiam Iouis filios: et haec est *auctoritas*, siue exemplum, ex quo iudicari de gloria debet, et qua vritur, ad celebrandam gloriam Scopae. Haec probare nihil attinet, cum ipsa Lexica suppeditent satis auctoritatis, vnde hanc vocem de facto, quo exemplum praebetur aliis, sumi pateat.

11 *Opus adprobauit:*] Recte Schefferus; Simonides approbauit Scopae, non vt alii, et Gallicus interpres, *Scopas, temoigna estimer ces vers:* nam conductores *adprobabant*, locatores *probabant*. ita fere loqui veteres solent, licet aliquando haec verba commutentur. sic et in aliis rebus *approbare* alteri saepe vtitur Sueton, vid. in Aug. cap. 8. 12. 17. 46. et alibi. Tacit. Vit. Agric. 42. *operam suam in approbanda excusatione afferre*. Male ergo Guyetus haec verba ad Pyctam refert: ille enim *probat*. vt Liv. X. 4. *Censores* (qui scil. locaverant) *villam publicam in campo Martio probauerunt*. vid. Gruter. ad Senec. de Clement. I. 15. Gronov. ad eiusdem Quaest. Natur. VII. 16. Budaeum in Adnotat. Poster. in Pandect. ad l. VII. §. 2. ff. ad Leg. Iul. repetund. et nos ad Quinctil. Declam. VII. princ. Tot, spero, auctoritates omnes posthac conatus temerarios coërcebunt: sin minus, omnibus omnia in veteres licere patienter feremus.

13 *Quorum sunt laudis duae,*] Sic edideram, secutus veriorem lectionem. Cl. Bentl. edidit, *reddant, quorum sunt laudis duae*, at in notis, quasi meam secutus editionem, *quarum sunt partes duae*. nec monet, vnde petierit: *reddant* vero ex Schefferi notis natum. sed *reddent* rectius est, delegat enim ad debitores quasi Deos Simonidem; vnde sine dubio acceptorum reliquum, per sarcasmum, adfirmat.

14 *Verum, vt ne irate dimissum te sentiam,*] Ego *sentiam* probum esse

15 Ad coenam mihi promitte, cognatos volo
Hodie inuitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamuis, et dolens iniuria,
Ne male dimissus gratiam corrumperet,

Pro-

esse puto; et ita Vlitius ad Grat. 240. legebat, nam si non promitteret ad coenam, iratum inde colligeret Simonidem Scopas. posset et legi,

Verum vt ne ingrate te dimissum censeas.

et ita video etiam Heinsium in epistola VIII. ad Scheffer. censuisse, qui etiam alteram ipsi coniecturam excutiendam dat,

Verum vt ne iratum dimisisse censeas.

seruans vtrobique *vt ne*, quod est in MSS. et quod ademit Gronouius Liuio XLV. 23. nescio an iure. Senec. III. de Benef. 10. *an hoc indicamus, vt ne demus beneficia sine teste.* Sueton. Tiber. 49. *vt ne quo, nisi ipso, herede moreretur.* Gell. V. cap. 12. *quosdam deos vt prodessent celebrabant, quosdam vt ne obessent placabant.* Terent. Andr. V. III. 28. *obsecro vt ne credas a me allegatum hunc senem.* et ita saepe ille et alii. vid. Iac. Gron. ad Cicer. I. Epist. ad Q. Fr. I. §. 13. *Censeas* etiam ex Heinsiana correctione arripuit Cl. Bentlejus.

16 *Es in numero*] Nob. Heinsius orae codicis sui adscripserat posse legi, *quorum eris in numero mihi*, sed tunc mallem, eiecta praepositione, *quorum eris numero:* ita enim frequentius loquuntur. Liv. VII. 30. *conditorum, parentum, deorum numero nobis eritis.* Sueton. Caes. LXXV. *medios et neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiauit.* et ita ille saepius. Nepos Epam. VII. *erat enim ibi priuatus numero militum*, vbi elegantius habet Bibliothecae Academiae codex, *militis;* nam modo praecedit *militum*, et librarius repetiuit ex Datamis vita cap. 1. vbi alia res est. et ita apud Cicer. II. in Verr. 32. *pro iudicum in numero.* Cl. Graeuius reponit *iudicis numero.* dici vero vtrumque, *in numero*, et *numero* docebunt exempla a Cl. Gronouio lib. I. Obs. 6. producta.

18 *Ne male dimissam gratiam corrumperet,*] Varie tentatus locus, nec facile quis dixerit, quid *dimissa gratia* significet. Gudius *dimissus*, quod et Heinsius probabat, quos si sequimur, *gratiam corrumpere* explicandum esset pro amicitiam rumpere, fere vt Ouidius in Ibin. 39.

Quam mihi sit tecum, positis, quae sumsimus, armis,
Gratia, commissis, improbe, rupta tuis.

nam aliter *gratiam corrumpere* dicuntur, qui beneficia dant maligne, non cito, non ex animo etc. Senec. I. de Benefic. 1. *ita gratiam omnem corrumpimus, non tantum postquam dedimus beneficia, sed dum damus.* et ita haec verba non Simoniden, sed Pyctam spectarent. Gronouius legit, *male commissam gratiam*, male cohaerentem: pro qua coniectura facerent illa Petronii cap. CXIII. *veritus ne inter initia coëuntis gratiae recentem cicatricem rescinderet.* An et huc possit facere Ciceronis locus ex II. ad Fam. 16.? *aut vt me existimares tam inconstantem, vt collectam gratiam florentissimi hominis effunderem.* Sed vix puto; et haereo adhuc in hoc

Phaedri

Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
20 Splendebat hilare poculis conuiuium;

S 3 Magno

Phaedri loco. voluisse tamen iterum auaritiam Simonidis notare poëta videtur, qui licet fraudatus esset mercede, nolebat tamen hominis tam nobilis et potentis gratiam perdere, ne inde in ludibrium veniret aliorum, qui hoc exemplo inducti, postea similem illi fraudem facerent, quoties Deorum laudes immiscerct laudibus victorum in ludis sacris. Quare voluit interesse conuiuio et dissimulare iniuriam, ne si male dimissus, et ideo iratus abstinuisset, reliqui scirent ipsi mercedis pactae fuisse abnegatas duas partes, et forte idem deinde facturi essent. Veniebat et in mentem,

Ne male diuisam gratiam corrumperet.

id est ne gratia, quam solus debebat pyctes, et male nunc diuisa erat, et pars eius reddenda erat Castori et Polluci delegata, fere tota periret, et corrumperetur. ne praeterea Deos facto suo offenderet, quasi diffideret, illos posse duas partes reddere, noluit eorum quoque gratiam sibi minuere. nam *corrumpere* etiam deteriorem, minorem facere significat, vt nullus inde fructus ad nos redeat. Sic Ouid. II. Am. XIX. 58.

Corrumpis vitio gaudia nostra tuo.

et Propert. II. XII. 11.

Non iuuat in caeco Venerem corrumpere motu.

vbi vide Brouckhusii notas. *dimittere* vero et *diuidere* a librariis confundi videbis ex Ouid. III. Met. 381. sed sequamur potius Heinsii et Gudii correctionem. nam violentior est, quam facit Anonymus, medicina, qui ex vno hoc versu duos facit parum Phaedro dignos, et qui toties de corruptis numeris queritur, hic *se aegre id*, scabro admodum numero intrudit, et elisionibus, quibus tota vox intercipitur, eneruat versus: saltem dedisset, eiectis odiosis illis monosyllabis,

Ne male dimissus, aegre ferre ostenderet.

sed et *negando* et *initam* gratiam, omni lepore et elegantia destitutas voces, mutasset magis aptis: nam *inita* non poterat dici *gratia*, a Scopa, qui locauerat carmen scribendum, et statim vt vidit aegre tulerat duas partes laudis ad Dioscuros relatas esse: *inimus* enim *gratiam* facto aliquo grato et accepto. quare rectius de gratia, quam a Dioscuris inierat Simonides, capienda haec verba modo diximus: sed omnia haec noua et temere tentata facile quiuis videt. licet nos non intercedamus Palaemonibus, qui sibi veteres auctores refingendi et interpolandi ius esse credunt.

20 *Splendebat hilare poculis conuiuium;*] Proprie *splendere* de conuiuiis et eorum lauto apparatu poni docuit Cerda ad Virgil. I. Aeneid. 637. et ita capienda illa Horatii II. Od. 16.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

vbi prae reliquis interpretibus sapere sibi visus Dacierius, *splendet* exponit, *placet*, *iucundum est*. quasi nulla peculiaris vis in hoc verbo esset. minime vero ea mens Poëtae est, qui se non desiderare splendentem magno apparatu et poculis, vt hic, mensam dicit, satis sibi esse, si splendeat salinum, hoc est omnem mensae splendorem sola absol-

Magno apparatu laeta reſonabat domus;
Repente duo quum iuuenes, ſparſi puluere,
Sudore multo diffluentes, corpore

Huma-

abſoluat et faciat, et totum ſibi miniſterium in vno ſalino conſiſtat. Non *capit* Horatium *ſplendor argenti multi*, vt loquitur I. Sat. IV. 18. ſed ſolius ſalini ſplendore contentus eſt: ſic ad focum et mundam menſae ſupellectilem idem verbum retulit. I. Ep. V. 6.

Iam dudum ſplendet focus, et tibi munda ſupellex.

Et eodem ſenſu ſe *ſplendidiorem dominum neglectae rei*, id eſt vilis et a lautis contemtae dicit III. Od. 16.

21 *Laeta domus;*] Et hic *laete* quidam, vt vidimus in *larga* et *largo* lib. II. fab. 6. et ſaepe alibi. nihil mura: nam *laeta domus* victoriam domini, quae celebrabatur conuiuio hoc apparatiſſimo, dicitur ex ſollemni formula. Ouid. IV. Faſt. 543.

Tota domus laeta eſt, hoc eſt, materque paterque,
Nataque; tres illi tota fuere domus.
Mox epulas ponunt etc.

III. ex Pont. I. 135.

Cum domus Auguſti, Capitoli more colenda,
Laeta, quod eſt, et ſit, plenaque pacis erit.

XVI. Ep. 91.

Laeta domus, nato per tempora longa recepto,
Addit et ad feſtos hunc quoque Troja dies.

Heinſius *lauta* coniiciebat. vt ita et apud Silium X. 376. *lautas menſas* pro *laetis* reponebat. ſed vide Cl. Drakenborchii notas. *Late* Guyetus. ſed et hoc intempeſtiuum.

23 *Diffluentes corpora,*] Probo Schefferi lectionem et diſtinctionem, *ſudore multo diffluentes, corpore Humanam ſupra formam. forma* vero hic ſtaturam totius corporis notat: vide Salmaſii Exercitat. Plin. pag. 30. nam ita ſolent fingere maiores, et etiam pulchriores, apparere deos, et imagines etiam defunctorum, vt Ouid. II. Faſt. 503.

Pulcher et humano maior, trabeaque decorus
Romulus.

ſed haec notiſſima: vnde patet tamen quam male *formam* de ſolo vultu ſumſerit Gallicus interpres; *paroiſſant a leur viſage plus que des hommes*, debuiſſet, *a leur ſtature*, vel, *taille*; ne vero offendat quem *corpore*, de duobus dictum, pro *corporibus*, Poëtis hanc numerorum enallagen eſſe familiariſſimam ſciat. ſic Ouid. III. Triſt. III. 59.

Atque vtinam pereant animae cum corpore noſtrae.

pro *cum corporibus*. IV. Met. 412.

Conataeque queri minimam pro corpore vocem
Emittunt.

et paſſim. et ita etiam de vno homine *corpora* ſaepe dicunt. Ouid. I. Met. 527. de Daphne.

—— nudabant corpora venti,

VIII. 593.

—— —— —— inque profundum
Propulit e ſcopulo pariturae corpora natae.

et ſaepius alibi. vnde videmus quam non recte Tanaq. Faber, qui ex claſſe illa Criticorum fuit, qui omnia ferro et igne curant, apud Iuſtin.

Humanam ſupra formam, cuidam ſeruulo
25 Mandant, vt ad ſe prouocet Simonidem,
Illius intereſſe ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promorat vix pedem triclinio;
Ruina camarae ſubito oppreſſit ceteros;
30 Nec vlli iuuenes ſunt reperti ad ianuam.
Vt eſt vulgatus ordo narratae rei,
Omnes ſcierunt Numinum praeſentiam
Vati dediſſe vitam mercedis loco.

S 4 FAR.

Iuſtin. XII. 8. vbi, *alius oſtendere aetate conſumpta corpora*, corrigat *membra*, quia nemo plus vno corpore poteſt habere. cum, praeterquam, vt Cl. Graeuius oſtendit, quod *alius* non ibi dicatur de vno, ſed de pluribus, poſſet et Iuſtinus defendi aliis exemplis, qualia iam adduximus. Walchius improbat Schefferi lectionem, quia *corpus abluere* etiam dixit Curtius pro *ſe*. et ita *diffluentes corpora ſudore* recte dici contendit, nec hoc negatur. ſed et *diffluere ſudore* ſimpliciter ſine τῷ *corpora* vel *corpore* dici non inconcinne poteſt. et Graeciſmus ille non ſatis probatur eſſe admodum concinnus, et exempla deberent proferri, quae hoc euincerent. *ſic ſudore frigido miſer perfluo* Apulej. lib. I. Met. et lib. II. *frigido ſudore diffluens.* vt Heinſ. pro *defluens*, malebat.

25 *Pronocet*] Extra domum, foras vocet. Terent. Eunuch. III. 1. *Pamphilam cantatum prouocemus.* vbi Donatus *Eleganter, quia ille foris eſt, haec intus. illum intromittamus, hanc prouocemus. haec eſt in verbis Poëtae germana proprietas.* ſic *proviſere*, videre quid foris geratur, et ſimilia Terentio et aliis vſitata.

27 *Excitat*] Male Schefferus *extra vocat:* hoc enim eſt *prouocare:* ſed *excitare* eſt iubere ſurgere e toro, in quo recubabat, vt in ipſis a Schſſero adductis exemplis. Vide Petron. XCVI. et ibi notas. apud Quinctilianum vero in hac narratione eſt *exitus.* quod idem eſſe vidimus ad lib. II. VIII. 1.

28 *Promorat*] Terent Eun. V. 3. *moueo.* CH. *video; ſed nihil promoues. vnus pes* vero ex vulgi ſermone, pro non longe diſceſſerat: vt apud Quinctil. Decl. VI. 14. *neque pede, quod aiunt, vno a parente diſceſſi.* cui ſimilia illa Luciani in Scytha, de Anacharſi p. 344. Edit. Bourd. καὶ μηδὲ τὸν ἕτερον πόδα ἑκὼν εἶναι ἀπολειπόμενος. *nec a Solone pede vno diſcere volens.*

29 *Camarae*] *Camaram* ſemper eſſe ſcribendum docuimus ad Petron. cap. XXX. et ita *concamaratio* in lapide apud Reineſ. I. 105. vt *concaramatus* apud Sueton. Aug. 90. Gallus *le plancher* reddidit, cum debuiſſet *la voute:* ſed minima non curant maiorum gentium interpretes. ſed *camara,* quae firmior tabulatis eſſe ſolet, ruens, magis inopinatum caſum exprimit.

32 *Scierunt*] *Sciverunt* a *ſciſco* Heinſius hic, et in Epiſt. XCVIII. ad Schefferum: quod Bentlejus, nihil

FAB. XXV.

Poeta.

Superſunt mihi quae ſcribam, ſed parco ſciens,
Primum eſſe ne tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas;

Dein

nihil monito lectore, recepit in contextum. ſed perperam. *ſcio* enim ſaepiſſime in ſimilibus ponitur pro perſuaſum certo fuit. ita Iuſt. II. 11. *ita ſuos firmauerat, vt ire ſe parato ad moriendum animo, ſcirent.* vbi male Schefferus ex illo *ſcirent* contendit *formarent* legendum. nam *ſcirent* hic non eſt ſimpliciter ſcirent, noſcerent, ſed *perſuaſum eſſe ſibi vellent.* vt mox. ſequitur, *nihil erat difficile perſuadere perſuaſis mori.* eodem modo lib. XXII. 6. *naves conſentiente exercitu incendi iubet, vt omnes ſcirent auxilio fugae ademto, aut vincendum, aut moriendum eſſe.* et ita Ouid. II. Met. 592.

Tum ſciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruiſſe necem.

noſter Epilogo libri II.

Patere honoris ſcirent vt cunctis viam.

et ita in formulis illis exprobrandi et minandi, *iam ſcies, ſciant* etc. de quibus vid. ad Petron. cap. LVIII. et XCV. et ad Val. Flac. V. 517. *ſcire* vero plus eſſe quam *noſcere* docet Donatus ad Terent. Andr. I. I. 26. *ſcimus quod certum eſt, noſcimus quod incertum:* nullus ergo hic locus τῷ *ſciſcere*, hoc enim eſt iubere, decernere: nec legimus publico ſcito hoc fuiſſe Populo iniunctum, vt crederent deos praeſentes vitam dediſſe Simonidi, ſed ex ipſo facto vulgato hoc illis perſuaſum fuit.

FAB. XXV.

2 *Primum eſſe ne tibi videar moleſtior,*] Si ita conſtruatur verſus, nihil ſcabri, aut vitioſi video, nam vltima in *Tibi* in Phaedro, qui olim vt proſae ſcriptor habitus fuit et deſcriptus, produci et corripi poteſt. tranſpoſitiones autem omnes ſunt arbitrariae, ne cogunt nos has vel illas ſequi, niſi elegantia ſua aut neceſſitate ſe commendent. Nec hic, vt fulciatur verſus, opus eſt cum Gronouio legere, *immodeſtior*, cum ipſe fateatur *moleſtior* eſſe aeque opportunum, immo multo opportunius, quia praecedit, *ſuper eſſe adhuc quae ſcriberet. immodeſtus* poteſt eſſe aliquis in paucis, ſed *moleſtus* eſt, qui plura ſcribit, quam velit lector. *moleſtus* ergo eſſet Phaedrus, niſi breuis eſſet, cum *immodeſtus* eſſe poſſet in ipſa breuitate. vid. ad lib. III. XIX. 10. et IV. VI. 23. *immodeſtia* conſiſtit in procaciter petendo aliquid, vt II. 1. vbi *modeſti* opponuntur *cupidis.* vbi vide quae diximus: nihil vero hic petit Phaedrus, ſed breuitati ſuae vult gratias deberi. de voce *moleſtus* vid. ad lib. III. fab. XIX. 10. et V. V. 47. *videar ego moleſtior* Anonymus mallet; neſcio qua elegantia aut neceſſitate.

3 *Deſtringit*] *Diſtringit* recte Schefferus, Heinſius et alii. vid. ad lib. I. fab. 29. et IV. 6. Gallicus interpres neutrius verbi vim cepiſſe videtur. nam dedit, *la multitude*

Deiu si quis eadem forte conari velit,
5 Habere vt possit aliquid operis residui.
Quamuis materiae tanta abundet copia,
Labori faber vt desit, non fabro labor.

S 5 Breui-

titude d'affaires qui vous lient, et qui vous environnent de toutes parts: hoc nec *destringere*, nec *distringere* notat; quod est *distinere*, *distrahere*, Gallice *distraire*. sed *lient* est, impeditum et occupatum tenent, qui non *vacat a negotiis*, vt prolog. lib. II.

5 *Aliquid operis residui*] Si scripsisset Phaedrus *aliquid residui*, nulla certe controuersia moueri posset. vide ad prolog. lib. II. 9. Sed doctissimus Anonymus mauult, *residuum*, quia Latine dici non putat *aliquid operis relicti*, sed *relictum*. atqui sub illis adiectiuis semper substantiuum aliquod debet subintelligi, quod etiam, credo, exprimere plena locutione licet. sic Ouid VII. Met. 455. *Sollicitique aliquid laetis interuenit.* vbi *solliciti negotii* est plena locutio, quod aperte doceri possimus ex Terentio, qui cum Phorm. III. I. 11. dixisset, *nihil fecit noui*. et Adelph. V. 4. 2. *quin aetas vsus semper aliquid adportet noui*; idem plene dixit Phorm. IV. 4. 29. *Haruspex vetuit aliquid noui negotii incipere*. et idem dixit etiam, *nihil accidet nouum* Phor. II. I. 20. Plaut. Epid. II. II. 71. *Reperiamus aliquid calidi, conducibilis consilii*. Ruden. II. VII. 16. *da mihi vestimenti aliquid aridi*. Dicer. II. de Orat. 9. *in qua, quia vis magna est in ingeniis hominum, eo multi etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium consequuntur*. Sed litem conficiet credo simillimus fere Suetonii locus in Tiberio. cap. LXII. *classiariorum manu elidente cadauera, ne cui residui spiritus quidquam inesset*. et ita in aliis locutionibus, huic similibus, semper statuenda ellipsis, vt apud Quinctil. VII. de Inst. Orat. I. *iam multum acti est*. et Ouid. II. Trist. V. 21.

Detrahat vt multum, multum restabit acerbi.

Heinsius etiam apud Ouid. II. Met. 287. malebat

Multum coeli post terga relicti.

quia in codice reperit *relinqui*. et II. Fast. 579. *vini quodcumque relicti*. et verosimile est, librarios saepius hoc loquendi genus corrupisse, quibus, vt hic viro docto, ad Grammaticos canonas omnia exigentibus, videbatur insolentior locutio. Nos, vbi illa reperimus non mutamus, et si elegantior et rarior locutio occurrit, non statim ad plebis sermonem illam reducimus, et omnia in vnam formulam cogimus.

6 *Materiae*] MS. habet *naturae*: quam veram esse putat Gudius lectionem, et idem esse quod *copiosa rerum varietas* lib. V. 5. eodem modo apud Quinctil. II. 8. *cum alterum alterius natura miscendum arbitraretur*: alii codices magno numero habent *materia*: rectius, vt puto: nam ibi de Ephori et Theopompi indole et ingenio agit, quae arbitrabatur alterum alterius *materia*, id est indole, misceri: vide ad Ouid. IV. Epist. 86. hic quoque *materiae* praeferre auderem, quia auctor ea voce saepe ita vtitur, vt lib. I. Prol. et lib. V. Prol. 2. deinde *natura* recte *artifex faecunda omnis bonae malaeque materiae* dicitur Valerio Max. I. VIII.

Breuitati nostrae praemium vt reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem,
10 Nam vita morti propior est quotidie.
Et hoc minus perueniet ad me muneris,

Quo

VIII. Ext. 18. non ipsa materies. *materiae* vero hic exigunt sequentia, *labori faber vt desit.* qui *materiarius* inde etiam dictus: Reines. I. clas. ins. 2. et *materiam* proprie de illo ligno, in quo fabri laborant, dici notum est. vid. Tennul. ad Frontin. I. V. 1. et a *ligno* differre etiam Salmas. ad Volcat. Cas. 4. et Ryck. ad Tacit. I. Ann. 35. ostenderunt. quare apud Plinium quoque lib. XIV. 1. *nec est vlli ligno aeternior materia*, vt MS. habet, non *natura* legendum censeo. id est trabes, columnae, stipites, et quidquid e ligno Fabri efficiunt.

8 *Praemium*] *Nimium* habet Cod. Rhem. vnde Gronov. *mutuum*, et ad Eutychum (quod Guyetus iam docuerat) sermonem esse putat, a quo pro fabulis petit manumissionem. sed vnde probaret Eutychi seruum fuisse Phaedrum? certe ex toto Prologo lib. III. apparet non eum alloqui, vt patronum, sed vt hominem, se quidem beatiorem, et destrictum negotiis; sed minime vt Patronum, a quo manumissus. Queritur vero se calumniis a Sejano oppressum, quem credo parum de seruo fuisse sollicitum. Quare iam manumissum fuisse Phaedrum, cuiuscumque fuerit seruus, credibile est. praecipue cum iam ad senectutem inclinaret aetas vers. 15. et toto hoc capite; praeterea vers. 16. *auxilio locus est* dixit, quae non de manumissione, sed de pecunia intelligo, cuius praesidio senectutem subleuaret. vt Virgil. I. Aeneid. 358. *Auxilium viae* vocat *Thesauros* et *argenti pondus* et *auri;* et noster IV. 24. *subsidium vitae.* licet ex vers. 22. posset etiam colligi, Phaedrum petere, vt auxilio sit reo periclitanti, vel iam per calumniam damnato. vt ita centies *auxilio* esse dicuntur patroni, et qui deprecantur pro aliquo, vel etiam ipsi iudices, vt ex vers. 26. desumi posset. Anonymus Particuloni haec scripta credit, et versum, qui nomen eius exprimebat, excidisse; sed et hoc est hariolari, licet maiori cum specie propter prologum sequentis libri. *Praemia reddere*, licet alio sensu, dixit et Virgil. II. Aeneid. 537. forte adhuc vera lectio latet sub illo *nimium.* Salmasii *nimirum* vix potest ferri, nam languidam facit orationem, nec quam hic vim habeat video. abstineamus ergo ab hoc vlcere vnguem.

9 *Pollicitus:*] Rittershusius metri caussa *policitus* legendum esse censet. quod non capio. si enim prima syllaba vnica consona scripta, natura sua breui, esset producenda, potuisset duplicata consona rescribere, vt fere hodie solent, *pollicitus;* sed longa est prima, et dactylum facit, nec opus inde tribrachyn facere.

9 *Exhibe vocis fidem,*] Paullo alio modo Ouid. VII. Met. 323. *Promissaque postquam Exhibuere fidem.*

10 *Vita*] Scilicet Phaedri: non enim est γνώμη.

11 *Perueniet*] *Veniet* est in MS. *perueniet* Vrsinus, Schefferus et Heinsius. Sed Guyetus, Buchnerus et Anonymus *deueniet.* sed vsitatius

Quo plus consumet temporis dilatio :
Si cito rem perages, vsus fiet longior.
Fruar diutius, si celerius coepero.
15 Languentis aeui dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,
Quum iam desierit esse beneficium vtile,
Et mors vicina flagitabit debitum.
20 Stultum admouere tibi preces existimo,

Pro-

tatius puto *perueniet;* vt Ouid. I. ex Pont. III. 93.

— munus tua grande voluntas
Ad me peruenit.

et ita ille saepius de aliis rebus. vt et apud Iurisconsultos, pecunia hereditas et similia millies *peruenire* ad aliquem dicuntur, rarius *deuenire.* Gudius *minus vsu veniet;* sed vellem hoc Latine dici ostendisset, pro, hoc minus vtendi muneris erit facultas, quo magis differatur. si quis *veniet* retinendum contendit, poterit legere, *Et hoc minus tui ad me veniet muneris.*

14 *Diutius,*] Guyetus, qui credebat secundam in *diutius* producendam, pro *celerius* rescribit *citius,* vt versus staret. sed secunda in *diutius* breuis, facit tribrachyn. vid. I. fab. 2.

14 *Coepero.*] Subintelligit *frui* Schefferus. dubito, et an non cum Rittershusio rectius legeretur *cepero* a *capio;* et *munus* intelligatur. vt ita Ouid. II. Met. 694. *Nitidam cape praemia vaccam.* et alibi saepius.

19 *Flagitabit*] *Flagitarit* Cl. Bentlejus, perperam. nam vt doctus vir animaduertit, non est eadem ratio in *desierit,* quod futurum est, vt loquuntur Grammatici, exactum, id est, perfecto coalitum, et in *flagitabit,* quod est futurum simplex. si ergo *flagitarit* legatur, sensus esset, cum iam mortuus fuero. quod refellit epitheton *vicina.* senectus facit beneficium inutile, quia senex, licet accipiat, non potest diu vti, sed mors instans et vicina non relinquet beneficio locum. Ad haec deberent Critici saepe attendere, antequam corrigant. praeterea illa variatio modorum et temporum saepe studio et elegantiae caussa adhibetur, licet immites saepe commentatores loca illa vexent, vt exempla dedimus ad Val. Flacc. VI. 16. praesertim, vt hic, vbi diuersitatem temporum exigunt ipsae res. apud Terent. Andr. IV. I. 26. *nescis quantis in malis verser miser, quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines meus carnifex.* an ibi quoque Criticus aliquis *confecerit.* quia praecessit *verser?* aut quia Donatus notat alios legere *conflavit.* legeret, *conflarit?* alia exempla, quae infinita sunt, non addo.

20 *Stultum admouere tibi preces existima,*] Celeb. Bentlejus, *existimo* me emendasse credens, fallitur. nomen Schefferi interpositum eius et meis notis fugit properanres forte alio eius oculos. Et cum ille legat, *est, Eutyche,* sine vlla specie veri, vt quae supra diximus ostendunt, hinc iam sequi videtur versu proximo *sis misericordiae* scribendum. sed in MSS tantum vltimae vocis duae

priores

Procliuis vltro quum sit misericordia.
Saepe impetrauit veniam confessus reus,
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae prius sunt partes, aliorum dein:

Simili-

priores syllabae exstant, *Exes* vel *Exis*, vnde Gudius *sexcenties* fecit, acuta et blandiente coniectura, sed dubia et fallaci, quare ego non autus fui recipere in contextum, vt fecerunt Walchius, Richrerus et Hoogstratanus. offendunt praeterea aures, iunctae voces *preces sexcenties* syllabis asperis, et tot *e* et *s* contragosis. nec tamen vulgatum probare possum, nam *existima* quo referam nescio, et corruptam esse vocem credo. quare Schefferianae, quam in minore editione iam exhibui, adhaerebo sententiae, donec alia in mentem venerint. *sit* vero non opus mutare in *fis*. cum Phaedrus more suo, *misericordiam procliuem* dixit pro viro procliui per misericordiam in benignitatem. vt modo, *bonitas nitetur tua*, et sexcentis aliis locis. Iohnsonius eiecit *fis* vel *fit*. sed videat qui versus sine eo stare possit.

22 *Confessus reus.*] Recte hic Schefferus: sic se Ouidius *confessum reum* vocat. lib. II. ex Pont. II. 56. et VI. 8. non quod in iudicio confessus esset culpam; sed quod manifestus reus erat, sibi delicti conscius, et ab omnibus pro reo conuicto habitus: numquam enim accusatus fuit. sed ab Augusto relegatus sine accusatione et iudicio. sic *confessus amor* apud Petron. CXXVII. pro legitimo et manifesto, quem dissimulare, vt furta sua, nolebat Iupiter.

—— cum se confesso iunxit amori Jupiter.

id est, cum coit cum Iunone sua. et hinc forte apud Albinouanum ad Liuiam vers. 305. legi potest,

Tu confessus amor, tu solus et vltimus illi.

pro *concessus amor*. nam eodem modo et apud Virgil. in Ceiri vers. 244.

Sin confessus amor noto te macerat igni.

vbi et *concessus* in recentioribus legitur, cum priscae, testante et approbante Scaligero, habeant *confessus*. Quinctil. I. de Inst. Orat. cap. 5. *confessis quoque Graecis vtimur verbis:* id est, recepris in vsum, quae originem Graecam manifeste produnt. male et ibi *concessis* malebat Francius, ita et *propositio confessa* apud eumdem Fabium lib. V. cap. 15. non opus habet probatione. *confessus hostis*, Claudiano VI. Consul. Honor. 249. quod idem notat atque *professus hostis*, de quo vide ad h. l. fab. 6. et vnde cum Passeratio *confessum* pro *confosso* apud Ouidium II. Amor. IX. 8. legi posse credebamus. vid. et ad Petron. cap. XCI.

24 *Tuae sunt partes,*] Ex codicis vestigiis, quae Gudius exhibet, ego vellem, fere vt Cl. Bentlejus, et Anonymus,

Tuae nunc partes, fuerunt aliorum prius,
Dein simili gyro venient aliorum vices.

cetera recte illustrata sunt a Viris doctis, nec quia bis *aliorum* occurrit, prius in *illorum* debet mutari. non magis quam apud Terent. Heaut. III. I. 50. vbi recte Cl. Bentlej. *aliud* pro *illud* tuetur: nam *illorum* certos homines, quorum mentio iam facta erat, respiceret,

25 Similique gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac iudicio tuo.

Exce-

ceret, quae hic nulla est; *aliorum* vero est indefinite; quorumcumque, diuersorum a prius memoratis. exempla producere vbi bis terve *alius* de diuersis repetitur, putidum esset: sunt enim infinita, sed si quis quater velit iteratum videre, legat Iustin. XII. 8. Sallustius etiam passim geminare solet. Agi vero hic de Iudicibus recte suspicatum puto virum eruditissimum. Metuebat enim Phaedrus, ne premeretur iterum insolentiis noxiorum, et postea saepius iudicium subire cogeretur. sed vellem explicuisset, quomodo vices illae iudicum *gyro* venirent, et an non inde colligeretur, saepius fuisse accusatum Phaedrum, vel certe metuere, ne coram diuersis iudicibus, et magistratibus, qui annui erant, aut qui aliquando vacabant, et deinde iterum fungebantur magistratu, caussam dicere cogeretur. certe hic aliquid latet, quod exquirendum relinquo me doctioribus et sagacioribus. Ego vero nec Eutychum, nec Particulonem iudiciis praefuisse puto, quia libertorum nomina gerunt. et ideo fortasse nomen reticuisse eius, ad quem scribit Phaedrus hunc libri quarti epilogum, qui fortasse munus insigne Romae, sed annuum obibat; vnde quasi in orbem ad alios quotannis deuoluebatur. potuit etiam nomini eius parcere, ne in inuidiam adduceret supplex Phaedrus, qui fabulis suis tot potentes laeserat et offenderat. *Partes* explicuimus supra III. 18.

26 *Quod patitur fides,*] Nec hoc placet Bentlejo, qui mauult, *poscit fides.* sed hoc *immodesti*, non *molesti* esset. vt recte ostendit Vir doctus. tantum enim modo petit, quantum patitur fides, non rigorem illum religionis et iurisiurandi, quo Iudex nihil fauori aut odio debet dare, sed si possit fauere Phaedro, aut velit, id faciat, qua sinit ire fides et religio. sic Ouid. I. Am. X. 12.

Haec te non patitur caussa placere mihi.

Cicer. IX. ad Att. 15. *quod scribis asperius me, quam mei patiuntur mores, de Dionysio scripsisse.* II. de Orat. 1. *Quantum ineuntis aetatis meae patiebatur pudor.* et ita ille saepe: vix haec opus esset adnotare, sed eo nos descendere cogit immodestia criticorum: *fides* vero, *religio*, et deinde *decerne* ostendunt ad iudicem esse sermonem, qui *decernere* centies apud ICtos dicitur. et illi respondet mox, *iudicio tuo.*

27 *Et gratulari me fac iudicio tuo.*] Schefferus dictum notat, pro *de iudicio tuo*, vt Cicero *gratulari affinitati alicuius:* sed in Epistola Caelii ad Ciceronem VIII. 13. hoc non legitur, *sed gratulor tibi affinitate.* Lambinus vero legit, *gratulor tibi affinitatem*, quod rectum puto, nam si *tibi* addatur, non credo locum esse posse ablatiuo. eodem modo in lib. V. ad Att. 20. *mihi gratulatus es istius diei celebritatem*, ex MSS. legunt viri docti, non *celebritate.* vide notas Malaspinae et aliorum. sed si *gratulor* absolute sine casu personae ponatur, notat gaudere, laetum esse re aliqua: vt ita Seruius ad Virg. III. Georg. 309. dixit, *Cerui congregatione gratulantur.* Veget. de Art. Veterin. I. 56. *Neque serui de damno domini cogitant, quod eidem contingere gratulantur.* vid. et infr. lib. V. fab. VII.

Excedit animus, quem propoſuit, terminum,
Sed difficulter continetur ſpiritus,
30 Integritatis qui ſincerae conſcius,
A noxiorum premitur inſolentiis.
Qui ſint, requires. adparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer ſententiam,
Palam mutire plebeio piaculum eſt,
35 Dum ſanitas conſtabit, pulcre meminero.

PHAE-

VII. vſ. 28. hic autem *iudicio tuo* poteſt eſſe ablatiui caſu, quia non additur *mihi* vel *tibi*, vt contra ſaepe ſimpliciter dicunt *gratulari alicui*, non addito accuſatiuo rei vt Iuſtin. XXVIII. 4. *Patribus in acie caeſis filii gratulabantur.* ſed ibi ſignificat, eos felices praedicabant. et lib. XLIII. 5. *Gratulatus Maſſilienſibus* etc. et ita Ouid. III. Art. 121.

Ego me nunc denique natum
Gratulor.

id eſt, felicem iudico: vid. Vallae Eleg. V. 42. apud eumdem Ouidium Ep. VI. 3. dubie eſt ſcriptum, *Gratulor incolumi*, vbi ſubaudiri poteſt *reditum*, vel legi poteſt *incolumem*, ſcilicet, *rediiſſe*: ſenſus ergo erit, fac me gratulari, id eſt, laetum eſſe, quod non gratiae et fauori, ſed innocentiae meae iudicium dederis.

27 *Fac*] *Fatere* eſſe in codice Pithoei notat Heinſius, *tatare* Gudius, niſi forte male deſcripta haec ſint ex ſchedis Gudii, admodum perturbatis et mutilatis. ille vero faciebat inde *patere*, vt et Heinſius, licet diuerſo emendent modo: ille *gratari me patere*, hic *me gratulari patere*, ego nihil hinc extrico, ſed aliquid latere putem. nam *patitur* modo praecedit, forte, *me da iudicio tuo.* vt Valer. Flac. I. 604. *da mergere Graios.* vide ad lib. II. vſ. 324.

30 *Integritatis ſincerae*] Scheferus, *ſincere.* Heinſius. *ſibi verae*, Epitheton viſum fuit viris doctis nihil addere nomini: ſed ſi talia deberent mutari quantus non licentiae campus aperiretur? ſic non ferent in Ouidio et aliis *pauidum timorem* et *metum*, *pauidam formidinem*, *maeſtum dolorem*, *taciturna* et *muta ſilentia. dementem furorem* apud Propertium, *ſonitum ſonantem* apud Lucret. I. 816. vbi vide Lambin. nec apud poëtas ſolum, ſed apud Iuſtinum quis ferat *mitem clemensiam* XXXVIII. 9. et non *miram* cum Scheffero reſcribat? Immo quis in ipſo Phaedro non culpet *Fictas fabulas* lib. I. prol. *diligentem induſtriam* prolog. lib. II. et talia infinita. Quare hoc iudicio Phaedri ſcriptum amplectimur, nec vtimur recentiorum faſtidio. In qua re vero integritatem ſuam iactet, quis expediet?

32 *Tempore.*] Pro *in tempore*, vt plena locutione dixit Terent. Heaut. II. 2. *in tempore ad eam veni.* et ſaepe alibi. Flor. III. 3. *Marius in tempore aggreſſus eſt.* Ouid. vt noſter. IV. Epiſt. 109. *tempore abeſt.* vbi vide Heinſ. et Victor. Var. Lect. XXXVII. 16.

34 *Palam mutire*] Ita contra *clam muſſare* dixit Liv XXXIII. 31. Perſ. I. Sat. 119.

Men' mutire nefas? nec clam, nec cum ſcrobe.

34 *Piaculum eſt,*] Alii *periculum:* quod

PHAEDRI
FABVLARVM
LIBER QVINTVS.

POETA.

Quum destinassem operis habere terminum
In

quod Phaedro quidam memoriae vitio ita citanti, alii librario tribuunt, quibus accedo. quia alias saepe itidem aberrarunt eorum manus, et pro *piaculo*, *periculum* notiorem vocem nobis obtruserunt. vid. Heins. ad Ouid. XV. Met. 155. et quae nos diximus ad II. Metam. 565.

LIB. V. PROLOGVS.

1 *Cum destinassem operis habere terminum*] Codices nihil variant. sed Salmasius, *terminum operi tradere*, alii, *terminum operi huic addere*, vt Rittersh. et Barth. sed Gudius et Gronouius, *operi statuere*, coniecerunt, quod etiam prodidit Cl. Bentleius: probat inter alios Walchius, qui *habere terminum* hoc sensu non dici pronuntiat: et Iohnsonius etiam in textum recepit, qui in vulgata dicit metrum claudicare, quod vellem monstrasset, in illa lectione, quam nos prodidimus et Faber, Schefferus et alii. Miror vero cum quaesiuerint tot diuersa verba, quae *termino* addi solent, neminem reperisse, *terminum operi ponere*, quod obuium. Senec. Nat. Quaest. I. princ. *rebus terminos ponere.* sed saepe fallaces sunt coniecturae istae, quae vulgatam magis pro minus vsitata voce reponunt, vt iam saepe monuimus. nam ratio certe, nulla aduersatur, quae non patiatur dicere *habere terminum.* Certe *finem habere* idem significat. Valer. Max. V. VI. ext. 4. de Philaenis fratribus. *Placuit locum, in quem ii conuenissent, finem ambobus haberi populis:* et eodem modo saepe locutus Ouidius, et quidem eadem in re, qua noster, lib. I. Fast. vs. vlt.

Cumque suo finem mense volumen habet.

quem versum fere iisdem verbis repetit II. Trist. 550 II. Fast. I. *Ianus habet finem.* III. Art. Am. in fine. *Lusus habet finem.* in alia re V. Fast. 602.

Et tepidi finem tempora veris habent.

et ita saepius ille et alii: vt Liuius XXXVI. 35. *bellum hunc finem habuit. terminos* vel *terminum habere* non admittit ratio versuum heroicorum et elegiacorum; ideoque in illis *finem habere* frequens. huc etiam illa Ciceronis ex II. de Orat. 2. possent facere, *bene dicere non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis septa teneatur.* Iam vero
nemo

In hoc, vt aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnaui *meum.*
Nam si quis talis etiam est tituli *artifex,*

Quo

nemo negabit *finem* et *terminum* idem notare. Certe *terminum vitae* passim vocant, et inter alios Cicero pro Rabir. Perd. reo cap. vlt. et Valer. Max. VII. I. 2. Et eo sensu *finem* etiam dicunt alii, adiuncto verbo *habere*. Vellej. Paterc. II. 27. *Si eumdem vincendi et viuendi finem habuisset.* Ouidius Ib. 314.

Quem finem vitae Sardanapallus habet:

sed ecce ipsam locutionem *terminum habere* apud Pacatum in Paneg. 7. de imperio longo imperatoris Theodosii. *parum interest quando coeperit, quod terminum non habebit.* Sed et *habere modum* eodem sensu fere obuium est, et multis illustrauit Brouckh. ad Propert. III. IX. 6. Quae ergo libido, mutare sana, quia rarius in vsu esse nobis falso persuademus? certe qui culpat quasdam locutiones sibi visas rariores, et alias supponit, debet etiam illas in clara luce ponere. vnde vero Barthius euinceret, *addere terminum operi* eleganter dici? *Ant. Aemilius* in ora codicis notauerat, *cum destinassem habere hunc operis terminum.*

2 *In hoc,*] Saepe ita veteres locuti pro ideo, hoc fine. Hygin. fab. 40. *in hoc Daedalus exsul cum venisset.* vbi vide Munckeri notas. Vellej. Paterculus II. cap. 41. *in hoc scilicet, ne suspectus his foret.* Quinctil. IX. de Inst. Orat. 2. pag. 785. *in hoc valet.* vid. ad Ouid. VIII. Met. vers. 77. sic et *per hoc* pro idcirco, de quo vide Pricae. ad Apulej. III. Met. 137.

3 *Damnaui meum.*] *Meum* deest in codice, sed Salmasius lacunam ea voce suppleuit. ego, antequam Gronouii notas viderum, conieceram aptius posse adiici *prius*, vt idem dicat Phaedrus, quod Terentius *repudio quod consilium primum intenderam:* nam a Gronouio adductum exemplum ex Phaedri III. X. 5. huc non facit; cum in ipso *prius* fungatur aduerbii vice Cl. Bentlej. supposuit *statim*, quod non verosimile, nec probari potest, non intercessisse internallum aliquod, antequam mutaret sententiam, melius postquam iam destinasset, mutasse deberet credi. sic Ouid. IV. Fast. 596.,

—— *emendet facta priora nouis.*

4 *Nam si quis talis est tituli artifex,*] Et hic in MSS. vltima vox deerat, et hinc variae coniecturae natae, quae omnes possent defendi, sed quarum nulla a Phaedro profectam esse vocem, quam adiiciunt Viri docti, confirmare pro certo potest. mihi placuit semper prae aliis Freinshemii coniectura, si modo transponatur *est,* hoc modo

Nam si quis talis etiam tituli est appetens.

vt et Ant. Aemilius in ora codicis sui castigauit. vel,

Nam si quis tales etiam titulos appetit,

nam sic et ex Liuio IV. 14. ipsa Lexica adducunt, *vanum victoriae titulum appetere.* et Ouid. I. Art. Am. 692.

Tu titulos alia Palladis arte petes.]

et ita centies Poëtae et alii, metaphora, vt recte I. F. Gronouius et Schef-

5 Quo pacto diuinabit, quidnam omiserim,

Vt

ferus, desumpta a statuarum titulis, quorum magnam fuisse cupiditatem docet Florus IV. 10. de Anton. qui *titulorum cupidine, dum Araxem et Euphratem sub imaginibus suis legi concupiscit*, bellum temere Parthis intulit: vnde aeque facile atque *auidus est*, posset legi, *cupidus est*, et maiori specie. vide plura apud Barth. ad Claudian. Bell. Get. Praef. vers. 9. et Steph. Ioh. Steph. ad Saxon. Grammat. praefat. pag. 2. Casaub. ad Sueton. Aug. XXXI. verum quidem est *titulos* de omnibus artificibus dici, qui operibus suis eos inscribunt, sed tamen ille in statuis et supellectile pretiosa et artificiosa proprie solius nominis indicio absoluebatur. vt *Praxiteles fecit* etc. vnde Senec. Cons. ad Helv. XI. *antiquis nominibus artificum argentum nobile:* quare a nobilioribus titulis Phaedrus, Aesopo, cui statuam posuerant Attici, aemulus repetisse hanc vocem credibile est, vt primus apud Romanos Fabularum scriptor legi et hoc titulo insigniri posset. quod vero Meursius fecit. *tituli diligens*, vellem probasset eleganter dici. nam suppetunt quidem exempla, quibus *diligens artis*, et similium dicatur, quae quotidie quis diligenter exercet. vt *diligens compositionis* Quinct. IX. de Instit. Orat. 4. *diligens antiquitatis* Senec. VI. Nat. Quaest. 12. sed quomodo potest quis titulum diligenter exercere aut versare? et hoc induxit, credo, Gudium, vt corrigeret *studii diligens.* sed forte *tituli diligens* debeat sumi pro *diligens titulum*, vt *metuens deorum*, *praemetuens doli* lib. I. fab. 16. et similia. Pacat. Paneg. XVII. *amicorum quam sui diligentiores.* sed *studii diligens*, quod Gudius per longas ambages circumducta coniectura, et contra codicis auctoritatem, reponit, mihi languidius et minus elegans videtur. Nec credo, si *studii* scripsisset Phaedrus, facile librario in mentem venisse, *tituli* supponere, aut Glossatori ita explicare: Et certe, si probabile ipsi Gudio fuisset, *studii* scripsisse Phaedrum, non tam operosa oratione id persuadere conatus esset, cum verae coniecturae se statim commendent. Walchius, vt et noui quid proferret, legit, *Nam si quis talis etiam esset stili diligens*, vocem *tituli*, quae in MS. est, reiiciens, et *diligens* ab aliis diu excogitatum arripiens. Iohnsonius etiam *Nam si quis talis etiam studioli est amans.* qui vellem nos docuisset, vnde vocem hanc Latio incognitam depromsisset. certe qui *studioli amans* est, meretur vt non docti et studiosi, sed doctuli et studiosuli titulo ornetur, cuius si est diligens criticus ille, voti se compotem facere potest.

5 *Quo pacto diuinabit, quidnam omiserim,*] Huius etiam versus mihi obscurior videtur sententia, et Heinsii correctionem vix capio; nec, manum eius nunc propius inspiciens, scio, an *omiserim*, an *omiserit* scripserit: in ora enim libri extrema scripta vox vltimas literas aegre expressas habet. quare haesi diu in hoc loco: nam responderi poterit, si tu editis quibusdam fabulis, Phaedre, cessas dehinc a scribendo, facile diuinare poterit alius, quid tu omiseris, vacuam enim tradis prouinciam sequentibus, ex qua possunt arripere quod placet. sed puto hoc Phaedrum velle, se plurimas iam fabulas, et vt credo, maximam partem, in hoc composuisse, vt sui temporis homines, sub bestiarum personis, describeret intelligentibus: non tamen

men exhausisse materiem, cuius magnam copiam dabat malignitas et diritas temporum: et hinc, si alius vellet relictas a se partes suscipere, ille quidem Aesopeas quasdam fabulas, sed quae non certos homines et eorum mores exprimerent, sed in genere tantum vitia quaedam hominum notarent, vt moris erat in noua comoedia, daret: sed sub quibus non lateret ille aculeus; quia forte non idem sentiret de seculo suo, aut de Romanae reipb. administratione, et potentibus in ea viris; ideoque non possit ille diuinare, an hoc vel illud vitium, in hoc vel illo homine, omiserit Phaedrus, quia nec ipsas iam editas Phaedri fabulas intelliget: et hinc forte vel idem famae traderet, omissum credens, vel non eo colore scribendi, nec ea animi affectione, qua vsus erat Phaedrus, fabulas proderet. Et si ita capiamus, fateor, magna species adderetur Cl. Bentleji emendationibus, quibus sequentes versus ita constitui iubet,

Sua cuique cum sit animi conscientia,
Dolorque proprius.

Quia iniuria, qua Phaedrus se affectum saepe indicat, non ita penetrat animum alieni hominis, vt ille in fabellas affectus illos transferre possit. Aliter animatus scriberet Phaedrus, eumdem hominem sub larua fabulae traducturus, aliter otiosus spectator, sed nihil passus. sed *animi cogitatio* tamen retineri, hoc etiam sensu, potest, cum idem fere exprimat quod *conscientia.* nihil enim nisi animus noster cogitat, et simul conscius est cogitationis. Senec. Cons. ad Helv. cap. vlt. *animus omnis cogitationis expers.* et de Vita Beat. 16. *Animus cogitationes ad futura praemittit.* Cicer. I. de Orat. 50. *Multa vidisse, animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse.* I. de Off. 23. *totum est positum in animi cura et cogitatione.* Et quum centies *secum, cum animo, in animo cogitare* apud Terentium et alios occurrat, nescio cur non possit dici *animi cogitatio:* quae proprie notat inuentionem, quum homo de nouo aliquo scripto producendo secum cogitat. eodem fere modo, vt passim dicitur apud Ciceronem et alios *animi iudicium* dixit et Valer. Max. I. I. 10. et IV. II. 1. et hoc etiam cuique proprium de aliqua re iudicium notat. *Color* vero *proprius* (vel, in quod a Fabro excogitatum magis inclinarem, *priuus*, de quo pluribus ad Ouid. IX. Met. 20.) non tam scribendi rationem, indolem et ingenium, (quamquam et hoc notare possit. vide ad Petron. cap. II.) significat, quam dexteritatem, sollertiam, qua res sub fictis fabulis veras exprimit, et colore quodam sibi proprio quasi tegit. Vt fere *colores* apud Rhetores dicuntur, et vt vnicuique pictori fere suus color est, aliis magis naturalis et vero, aliis fuco similior et blandiens. Phaedro autem persuasum erat, se vero colore pingere fabulas suas, et esse illas *nitidas suo colore:* vt Quinctil. II. de Inst. Orat. 5. vult esse *sermonem rectum, et secundum naturam enunciatum.* vel etiam *color* hic *proprius* Phaedro fuit, quod verecunde etiam et non ita aperte sub fictis fabulis luderet, vt vnusquisque posset designatum esse certum hominem statim deprehendere, sed ille, quem tangebat, tamen possit facile ad se rapere illud, quod dixerat Phaedrus, vt commune omnium, quia, vt praetendit, *mens ipsi non erat singulos notare, verum ipsam vitam et mores hominum ostendere*, id est, generatim seculum suum, et hominum viuentium mores: cum tamen sibi quisque conscii ad se raperent. alter vero tituli eiusdem appetens, vel stulte et impudenter laceraret, sub non satis

apte

Vt illud ipſum cupiat famae tradere:
Sua cuique quum ſit animi cogitatio,
Colorque proprius? Ergo non leuitas mihi,
Sed certa ratio, cauſſam ſcribendi dedit.
10 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Aeſopeas, non Aeſopi nomino;
Quaſi paucas oſtenderit, ego plures diſſero,

T 2 Vſus

apte et ingenioſe beſtiarum inductis perſonis, homines notos, et quos omiſiſſe Phaedrum ſtulte conriceret. nam ita apud Rhetores *color* dicitur, vt Quinctil. lib. IV. cap. II. p. 341. ait, *pertinere ad ſolam verecundiam*, quia res turpis vt honeſta monſtratur, et ipſum ſaepe mendacium ad colorandum factum aliquando affertur. et ita fictae arte fabulae ſunt color ille, quo exprimuntur res et facta hominum. haec mihi de obſcuris his verbis ſententia, parato ſtatim cedere meliora docenti. Ant. Aemilius in ora codicis ſui legebat.

Quo pacto damnabit, quod quicquam omiſerim,
Quod illum cupiam famae tradere.

vel, *ſi quicquam omiſerim.* porro, *quod alterum me cupiam famae tradere.* deinde, *colorque potior.* omnia fruſtra.

6 *Vt illud ipſum*] In Codice erat, *illum ipſum.* Vir doctus ſe vero propius, quam *illud*, inde formare iactat, *ille id.* quod non intelligo: nam mihi propius ad *illum* videtur accedere *illud*, vbi vnica tantum litera *m*, in *d* mutatur, quam *ille id.* vbi duae literae *um*, mutantur in tres *eid:* quare nos ſequimur priores, et *illud ipſum* capimus de eo, quod omiſerit Phaedrus: nam ineptum eſt *illum ipſum* legere, et per *illum*, maſc. genere artificem, per *ipſum* vero quod Phaedrus omiſerit intelligere: cum millies *ille* vel *is ipſe*, *illud ipſum*, *illa ipſa* etc. de eodem occurrant. quod exemplis firmare putidum foret.

8 *Leuitas*] Hic eſt vanitas, quaſi eſſem tituli et gloriae appetens, vt mox fab. 7. *vanus animus*, et *ſtulta leuitas* iunguntur, de glorioſo tibicine. et ita *leues* vaniloquos et mendaces dici docuit Brouckhuſ. ad Tibul. I. VII. 62. quare Gallicus interpres et hic et infra male vertit *legereté*, cum debuiſſet *vanité* reddere.

12 *Quaſi paucas*] Veroſimillima Gudii coniectura, importunam hanc voculam *quaſi* repetitam a librariis ex praecedentis verſus initio, atque ideo, in multis obſecutus huic aut illi ex commentatoribus, integrum locum ſic exhibeo,

Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
(Quas Aeſopeas, non Aeſopi nomino,
Qui paucas oſtendit, ego plures diſſero,
Vſus vetuſto genere, ſed rebus nouis)
Harum libellum dein vaciue perlege.

Qui pro *quaſi* poſui, vel *quia* ab aliis repoſitum. *diſſero* vero minime mutandum in *ſero*, vt Cl. Bentlej. nam ita loquebantur veteres, *rem, vitam* etc. *diſſerere.* Salluſtius Catil. V. *inſtituta maiorum diſſerere.* vbi plura exempla addidit nuperus eius

Vſus vetuſto genere, ſed rebus nouis,
Quarum libellum dum vacue perleges,
15 Hunc obtrectare ſi volet malignitas,

Imitari

eius editor, diligentiſſimus Cortius. ita ſaepe Tacitus; lib. I. Ann. 4. *pauci bona libertatis incaſſum diſſerere.* XII. 48. *plures tuta differunt.* Valer. Max. VI. IX. Ext. 1. *omiſſa re, quam differebat.* et ibi alia adducunt exempla interpretes. Auſon. Moſell. verſ. 84.

Differe caeruleo fluitantes amne cateruas.

miror admodum ſummum *Gronouium* verba Livii Lib. XXII. 54. *quae differendo minora vero fecero,* vix excuſari poſſe a ſoloeciſmo, pronuntiare, et ideo *ediſſertando* reponi iuſſiſſe. cum tot exempla conſtructionem verbi *differere* cum accuſatiuo adferant. *Oſtendere* vero etiam docere, aliis proponere, narrare notat, et praecipue vbi agitur de auctore celebri, qui primus quaſi aperit et exponit publico, vt in noto Horatii loco I. Ep. 19. qui primum ſe *Latio Iambos oſtendiſſe Parios* dicit. vid. ad Valer. Flac. VII. verſ. 269. ita *oſtendere nouitatem* inf. V. 5. et Prolog. lib. III. 50. *oſtendere vitam et mores hominum* ita et *monſtrare* noſter et alii vtuntur. Anton. Aemilius emendabat

Quaſi pauca oſtenderit, ego plura diſſero.

et mox, *dum tu varie. Vetuſto genere* eſt Aeſopi genere, vt vocauit Prol. lib. II. *rebus nouis*, id eſt, argumentis nouis, ex ipſis factis memoria mea petitis. *vacue* autem ſine dubio legendum, nam illud *varie* eſt ex compendio, vel mala ſcriptura natum. et vellem oſtendiſſent Viri docti *varie perlegere* Latine dici, et ſenſum aptum habere. ſi vero tam faſtidioſus ſit Cl. Bentlejus (qui *vacuus* reiicere non poteſt, nam ad Terent. Heaut. I. I. 38. *vacuum tempus* adſeruit) vt hic *vacue* nolit admittere, neſcio quid huic loco poſſit remedii adhiberi: nam non minus auctoritate muniri deberet illud, *valide perlegere*, quod Vir doctus reponit, quam *varie*. quis enim ita vmquam locutus eſt? *valide* flagitandi ius eſt; ſed ne valide moleſtus lectoribus ſim, quo ſenſu dicatur, et quam eleganter *valide perlegere* ignoro: niſi pro *valde*, vt ſaepe alibi, capiamus. ſed ne ſic quidem placet. cur non *tu naue*, quod tolerabilius eſt, excogitauit? vel potius, *libellum nauiter dum perleges.* Richterus in ſpecimine ſuo critico p. 67. legit

Paruum, dum feriae, libellum perleges,

vel *Quarum, dum feriae, l.* ſed ſi ita licet coniicere, nulla nos vmquam morabitur difficultas. ſed reiecta emendatione illa, in praefatione Phaedri ſui redit ad bonam mentem Richterus. Nec Gronouio multum negotii exhibent hae ſalebrae, qui legit,

Quartum libellum ductum varie perleges.

ſed an quartus libellus magis varie ductus eſt reliquis? aut an aures capere poſſint tres voces in literam mugientem inſuaui ſono exeuntes, *quartum libellum ductum?* praeterea an, vt *ducere* varias materias, *ceram, lutum* etc. immo *carmen, formam, notam*, obuium eſt apud ſcriptores veteres, ita *ducere libellum* occurrit alicubi? an libellus eſt ipſa materia, quae ducitur? vid. ad Ouid. V. Triſt. XII. verſ. 63. VI. Faſt. 649. IV. ex Pont. X. 39. cur *dein* legerim mox aperiam.

Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
Vestras in chartas verba transfertis mea,

 Di-

16 *Imitari dum non possit,*] Hoc respicit ea, quae supra dixit, *suam cuique esse animi cogitationem*, et *suum colorem.* ideoque neminem posse haec imitari, quia ex animi sententia vnusquisque scribere solet.

18 *Verba in chartas transfertis mea,*] Haec omnes interpretes praeterierunt, et certe quod ad verba attinet, clarissima sunt. sed quia magnam lucem praebent praecedentibus, accuratius excutienda sunt. Gallicus interpres cepit, ac si Particulo ipsa Phaedri verba saepe in sua scripta transtulerit *de vous servir de quelques unes de mes paroles dans vos escrits.* sed tam doctum fuisse Particulonem et eius similes quis probet? Forte aliquis crederet, ipsos fabulas Phaedri sibi ad vsum descripsisse in chartas aut membranas, vt quotidie legere possent. sed quis etiam credat Particulonem aut similes eius, libellos Phaedri transcripsisse sua manu, cum, si editi forent, librariorum opera possent eos consequi. quare hanc praefationem non, vt Cl. Bentleius, licet primo loco positam, vltimam tamen scriptam esse, vt fere hodie absolutis libris solemus, fingere nobis debemus. sed credo Phaedrum singulas, vt ipsi nascebantur, fabulas recitasse inter amicos, super coenam, in circulis aut aliis in conuentibus, quas illi, quia breues erant, et tangebant eius temporis mores et homines, in codicillos suos et pugillares libellos transcribebant: et hinc iam ratio emendationis meae apparet, cur vers. 14. *dein* vel *deinde* scripserim; nimirum tum vacive perleges, cum omnes illae fabellae in vnum libellum fuerint coniectae. nunc interim sibi gratulatur, quod ex recitantis ore exciperent quasdam, et iudicarent dignas, quae seruarentur, et deinde in librum colligerentur, ad posterorum etiam vsum. vid. et infra post fabul. V. in Poëtae verbis ad Particulonem, vbi verbo *loqui*, vt et lib. IV. I 8. vtitur. Eodem fato nata fuerunt Martialis, parasiti foedissimi, multa epigrammata, quae ille ex tempore fundebat: nam illa singula fuisse a Poëta effusa, et per manus saepe tradita, antequam in libellos ea colligeret, apparet manifeste ex lib. IV. Ep. 82. vbi Fabullam legisse epigrammata Poëtae, antequam collecta in librum simul erant edita, apparet. nam id innuit Ep. 71. eiusdem libri: praeterea et epigrammata sua exscripta in pugillaribus dicit II. Ep. 6.

Haec sunt, quae relegente me solebas
Rapta exscribere, sed Vitellianis.

Vide et lib. IX. 90. Et centies Martialis profitetur, se libros suos ideo scripsisse, vt super mensam legerentur, et gloriatur etiam a Domitiano lectos. vide V. 10. VI. 50. et IX. 83. X. et praecipue lib. IV. 7.

Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Chartae vero sunt codicilli pugillares, et quibus epistolas inscribebant, quas *minores* vocat Martial. XIV. 10. et I. Epig. 45. et saepe epigrammata sua in chartas et breues chartas coniecta memorat: vt II. Ep. 1. et alibi: et hinc inter munera Saturnalitia memorantur *chartae* ab eodem lib. V. Ep. 18.

Dignumque longa iudicatis memoria.
20 Inliteratum plausum nec desidero.

IDEM POETA.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem, quidquid debui,
Aucto-

20 *Inliteratum plausum nec desidero.*] Haec lectio a Scioppio profluxit, et Fabri, Schefferi et Heinsii suffragia tulit, nisi quod Heinsius malit, *desiderem.* Gudii lectio nec versui nec sensui satisfacit. Vt versui consulatur, coactus est *ire* vltima producta, propter literas *pl* sequentes, pronuntiare, quod remedium et Ant. Aemilius adhibuerat, de quo egimus supra Prolog. lib. III. 20. sensus vero, si non diuersus, certe admodum ambiguus exit. nam *ire in plausum*, est idem quod plaudere vel plausum incipere: sic ergo Phaedrus diceret, se sibi nolle applaudere: vt *ire in lacrimas*, et similia ἰέναι κλαυθμός. et ipsum a Gudio adlatum ex nostro exemplum, *consurgere in plausum* hoc firmat: *ire* vero *in secula* longe diuersa ratione dicitur: vid. Barth. V. Adv. 12. reliqua etiam a Gudio adducta exempla alio spectant, et nihil huc faciunt. Iohnsonius edidit, *inliteratum plausum ne desidero*, quasi *ne* esset, *ne quidem.* sed cur talia non firmantur auctoritate? *Illiteratus* vero *plausus* recte exponitur a Viris doctis sed male Lexica et commentatores ita explicant Plinii lib. I. Ep. 10. *illiteratas literas*, per inelegantes, indoctas. quasi Plinius in ipso tribunali epistolas scriberet. sed intelligit notas, quarum compendio vtebatur, sedens in tribunali, vt recte accepit vir, et honoribus olim et literis illustris, Elbert. Leoninus lib. IV. Emendat. cap. 13.

1 *Aesopi nomen sicubi interposuero,*] Sensus est, etsi vbique Phaedrus fere glorietur se fabulas de rebus nobis finxisse ad exemplum Aesopi, et ideo Aesopeas, non Aesopi fabulas scripsisse, quia tamen magna est eius nominis auctoritas, hic et illic eius nomine se vti. vt I. 2. et 6. III. 3. et 14. et alibi. nihil hoc tamen, dicit, impedire, quo minus integer liber sit Phaedri: et licet Aesopi nomen hic et illic legatur, profectas tamen et inuentas a se esse indicat fabulas multas, etiam in quibus Aesopi nomen occurrit. ita *interponere* hic est inserere, ad fucum faciendum lectori, vt praefat. lib. II. *si libuerit aliquid interponere.* et IV. XXIV. 14. et non absimili modo dicuntur *interpositae rationes*, apud Ciceron. III. Verr. 75. quibus interiecta et intermixta sunt nomina, quae fraudis caussa, et vt rationes possint solidari, confecta iam ratione, interiiciuntur. et ei respondere videntur illa, *reddidi quod debui.* id est, multas eius fabulas Latine verti, et praestiti quod initio operis promisi, Graecas Latino cultu poliui, et quod in praefat. lib. I. dixit.

Aesopus auctor quam materiem reperit,
Hanc ego poliui versibus senariis.

quae in genere dicta, nunc restringit aliquantulum, et non omnes esse Aesopi, vbi nomen interponitur, sed esse hoc factum auctoritatis

Auctoritatis esse scito gratia:
Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
5 Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo.
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
* Trito Myronem argento. Fabulae exaudiant
Adeo fugatae. Plus vetustis nam fauet

 Inuidia

tatis gratia, et vt magis placerent. sed credo simul, vt melius lateret Phaedri propositum, qui sub antiquis illis, vt videbatur, fabulis res sua memoria gestas volebat adumbrare.

5 *Nouo Si marmori etc.*] Nullus in toto Phaedro locus est, in quo magis impune licuit hariolari: cum enim nemo adhuc sit repertus, qui satisfecerit iudicio criticorum, novissimus quisque commentator aliam coniecturam profert. Legi priorum ausa possunt in editione priore, et quae Schefferus ad Heinsium Epist. XV. et XXV. scripserit. Ego etiam, cum in his tenebris vellem diuinare, coniiciebam olim,

Praxitelen, suo
Myronem argento. Fabulae sic exeant
A me fucatae

vel quia *detrito* est in codice,

Trito Myronem argento. Fabulae et audiant
A me fucatae.

tritum argentum opponitur *aspero: audiant* vero est dicantur, fama dicat eas antiquas Aesopi, licet a me sint ornatae et compositae, nomine Aesopi interposito. sed reliqui deinde desperatum locum. Et in *Myrone* haerebat quoque Heinsius. qui etiam duriter hoc vlcus tractaverat, et dubitauerat, an non *Myos* mentio deberetur fieri, quia inter argenti caelandi artifices non *Myron*, sed *Mys* a Plinio recensetur lib. XXXIII. cap. 12. et Pausan. lib. I. cap. 28. sed duobus his exemplis non contenti Viri docti, Phaedrum ineptiorem fecerunt, dum elegantiorem student exhibere. hinc Cl. Bentlejus, qui, neglectis ductibus literarum, sententiam auctoris versauit, et excussis omnibus artificibus Graeciae veteris, ex biga artificum quadrigam nobis fabricauit, et tandem relapsus ad verborum perditorum vestigia (vt certe vtrumque Criticus verus diligenter meditari debet) inuenit ad τὸ *suo* nullius Artificis nomen propius accedere, quam *Scopan.* et cum pro *fabulae* facile incidisset, potuisse *tabulae* esse scriptum, ad Pictores reuolutus, invenit in *exaudiant* posse latere *Zeuxidem.* Non potuit non mirari sagacitatem Cl. Bentleji eius Aemulus, quin ipsi spem faciebat maioris acuminis ostendendi: quare malebat pro *adeo fucatae* legere, *Aut Phidiam ebori*, licet Phidias, si non magis, certe aeque aere fuerit celebris, quod aperte indicat Seneca LXXXV. *Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra, faciebat ex aere.* vbi intelligendum *etiam*, vt sit *faciebat etiam.* de quo ad lib. I. Prolog. sed idem Vir doctus postea positos a Phaedro terminos excedere se non audere professus, et I. Gronouio male videns cessisse, *tuto Boëthum*, ignorabilem fere ex Africa artificem, metro, etiam violato, et Heinsii suspicionem non vanam

Inuidia mordax, quam bonis praesentibus.
10 Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

nam censens, *Myrone* depulso, dedit nobis,

— — — *Myos*
Nomen detrito argento: tabulaeque hoc iuuant
Pacto fucatae.

sed cum ille in Bentlejo *fucatam vetustatem* non ferat, vellem nobis *tabulas fucatas* in lumine collocasset bono: nam si *vetustas fucata* Latine dici possit, certe, contrarium notaret, ac Phaedrus vult dicere. nam nouae hic sunt tabulae, quae pro vetustis obtruduntur, quia nomen veteris artificis cum prae se ferunt vetustae, si tucarentur, pro nouis vellent haberi. eodem modo *tabulae fucatae*, scilicet nouae, quae Zeuxidis nomen mentirentur, essent ita fucatae, vt antiquae viderentur. hoc vero vsui et rationi aduersatur, quia fucus adhibetur veteribus, non nouis, ad muniendam aetatem, et temporis iacturam resarciendam: *Fabulae* vero *fucatae* a Phaedro ridiculi caussa dicuntur, quasi per ὀξύμωρον, quia Aesopi veteres videbat recenti semper laude virescere, hinc suas, vt gratiam illam haberent, ita fucare voluit. sed facile est singulos refellere, quia omnes in tenebris circumcurrunt: ipse, contentus me intelligere, quae sit mens Phaedri, in vno alteroue vocabulo deprauato tempus inutiliter terere nolo. clarum autem est, Phaedrum imitari velle illos artifices, qui vt statuas et signa noua, quae ipsi faciunt ad exempla antiquorum, persuadent emptoribus esse archetypa et antiqui operis, adscribunt nomen veteris et celebris artificis alicuius: vide de his titulis, qui operibus inscribebantur, Scriuer. ad Martial. Xenia Ep. 93. et praeter illos, quos Gudius hic profert, alios et simul Gudianos castigatos apud Gronov. Praefat. tom. IX. Thes. Graec. Antiq. Ad has fraudes respicit Statius lib. IV. Silv. VI. 24.

Et non inscriptis auctorem reddere signis,

quae Geuartius lib. IV. Papin. Lect. cap. IX. illustrauit. Apud Martialem multis locis diuites illi et beati Trimalchiones inducuntur, se Mentoris, Myos, Myronis et aliorum manu caelata pocula habere, iactantes, et non falsa, sed vera, quae Archetypa vocabant, possidere. vid. IV. 39. VIII. 34. 51. XIV. 93. 94. et alibi, et Petron. cap. LII.

10 *Talis exempli*] *Qualis* rogat Iohnsonius, quia non conuenit de Menandro fabula sequens. sed excidit finis fabulae sequentis, non vero versus multi inter hoc prooemium et fabulam; quare nihil certi hic diiudicare licet. et an non finis fabulae docuerit, quosdam hanc fraudem fecisse, dubitare licet, et versus suos edidisse pro Menandri, aut alterius prioris aeui Poëtae.

FAB.

(82) FAB. I.

Demetrius et Menander.

Demetrius, Phalereus qui dictus est,
Athenas occupauit imperio improbo.
Vt mos est vulgi, passim et certatim ruunt:

FAB. I.

1 *Phalereus,*] Vltimae proxima syllaba producenda videtur. quare *Phalerius* Heinsius mallet Epistol. LXXXI. ad Schefferum, quod videtur probare Hoogstratanus in notis, licet in editione seruauerit vulgatam, cuius flexionis an exemplum suppetat nescio. Apud Ciceronem lib. I. de Offic. 1. Coockmannus testatur in codicibus, quos adhibuit, esse *Phalerius*, vt etiam duo codices alii P. et G. sed cum Stephanus de vrbibus deducat inde φαληρεύς et φαληραῖος, commodius videtur, quantacumque sit penultima, legi metricae satisfacere transpositio,

Demetrius, Phalereus qui dictus est.

Danetus insignem rei metricae scientiam ostendit, dum edit *Phaleraeus*, spondeum in vltima sede ponens, forte auctoritatem Schefferi secutus. vid. eum ad lib. II. V. 16. et III. VIII. 15.

2 *Occupauit*] Cum locus hic deesset intrudendi *vt*, Cl. Bentlejus *cum* eius vices obire iubet. sed miror aures tam eruditas, quae toties aspernatae sunt insuaues numeros, admittere potuisse duram et ferream elisionem, *cum occupauit.* praeterea rectius fuisset, *cum occupasset.*

3 *Vt mos est vulgi,*] Cl. Bentlej. quia *ruit* est in MSS. legit,

Vt mos est, vulgus passim et certatim ruit,
Feliciter subclamat.

sed ita fere perit illa quasi gradatio, et αὔξησις, *vulgus*, immo *ipsi Principes:* nam mos ille vulgo proprius est: cum Principes diutius cunctari soleant, et in factiones diuisi, postquam omnem spem vident sublatam libertatis, lente demum et inuiti adrepant, non ruere soleant. praeterea MS. licet *ruit* habeat, exhibet tamen *succlamant.* Qui magis ergo liceat reponere *succlamat*, quam *ruunt. ruunt* vero licet recte, *vulgus* subintellecto, possit dici, vt millenis aliquot exemplis firmari potest, rectius Hoogstratanus supplet per *homines.* vide ad lib. II. Epilog. vers. 3. quare in primis verbis de tota ciuitate agit, deinde, per species, praecipuos populi Atheniensis enumerat, qui ad exemplum vulgi etiam ad Tyrannum se conferunt. Sed permittamus Cl. Viro indulgere genio, et *ruit* praeferre. quam facile vero fuisset tunc, vt verba tenore aequo fluerent, legere etiam *succlamans:* potuisset etiam firmare simili loco Ouid. XV. Met. 729.

Huc omnes populi passim, matrumque patrumque
Obuia turba ruit.

quamquam ibi Heinsius etiam mallet *ruunt.* sed nos, vt saepe diximus, non vbique et semper ad eamdem formulas cogimus scriptores. *passim* vero hic, et in Ouidii loco, ele-

Feliciter fubclamant. Ipfi principes
5 Illam ofculantur, qua funt oppreffi, manum,
Tacite gementes triftem fortunae vicem.
Quin etiam refides et fequentes otium,
Ne defuiffe noceat, repunt vltimi:
In quis Menander, nobilis comoediis,
10 Quas, ipfum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri:

Vnguen-

elegantér τῷ *ruunt* additur. vtrumque enim vocabulum fine ordine et lege praecipiti curfu ferri indicat. ita Quinctil. Declam. IV. 13. *ifta credis paffim fortuitoque difpofita:* vbi *paffim* effe fine ordine, et opponi τῷ *ordinatim* docuimus in notis. De *ruere* vide Donat. ad Terent. Adel. III. II. 21. et IV. II. 11. vbi docet proprie de fuibus dici. vt vtitur Virgil. III. Georg. 255.

Ipfe ruit, dentesque Sabellicus exacuit fus.

et Ouid. VIII. 343.

Ille ruit, fpargitque canes, vt quisque ruenti Obftat.

4 *Subclamant*] Hic recte diftinxit Ritterfhufius, approbantibus Heinfio et aliis. nam gradatio eft. *Vulgus* ruit, et clamoribus fauftis teftatur gaudium. *Principes* graviter incedentes, et gementes tacite, Tyranno gratulantur imperium, *vltimi*, fequentes otium, repunt.

7 *Sequentes otium,*] Philofophos intelligit Schefferus, nec admodum repugno. fed omnis difciplinae doctos, et in primis Poëtas, quia Menander praecipue memoratur, intelligendos puto. Ouidium centies Poëtas otio natos et dicatos, et quos lectus et vmbra tenere folet, dicere nemo nefcit, vid. I. Amor. IX. 41. et feq. III. Trift. II. 9. IV. Trift. VIII. 7. et X. 39. et paffim. et in genere *otium fequi* dici de iis, qui bona fide funt inertes, et defidem vitam fequuntur, docet Gronov. ad Senec. Oedip. 683. multi faepe, vt Philofophi, loquuntur otium, fed pauci fequuntur. praeterea *otium fequi* dicuntur, qui publicis muneribus fe abftinent, aut vitam a negotiis vacuam eligunt. Nepos Pelopid. 2. *non quo otium fequerentur.* Terent. Adel. I. 1. *ego hanc clementem vitam vrbanam, atque otium fecutus fum.* et ita alii.

8 *Repunt vltimi:*] Poteft languidus ille ingreffus notare luxuria et libidine folutum corpus, vt habitus etiam Menandri oftendebat. vide virum fummum Gronov. ad Senec. de vita Beat. cap. XII. non pugnabo tamen, fi quis lentos illos, quia inuiti et grauantes tyrannidem accedebant ad Demetrium, magis adreptaffe, quam veniffe velit intelligere, et etiam, quia otium fequebantur, tardo et fegni inceffu ipfam viuendi fectam oftendiffe. an vero *repunt* aut *reptant* legatur, ciccum non interduim. fed male Menagius fibi, vel Ioanni Tarino hanc emendationem adfcribit, cum Ritterfhufio debeatur. neque video quomodo faluo verfu *adreptant* vel *adrepunt* poffet reponi, de quo Schefferus et Heinfius in Epift. VII. et VIII. agunt; nifi tranfpofitis verbis, legeremus

Ne noceat defuiffe, adrepunt vltimi.

Vnguento delibutus, vestitu adfluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc vbi tyrannus vidit extremo agmine:
15 Quinam cinaedus ille in conspectu meo
Audet

12 *Vnguento delibutus,*] Hinc *mundum* Menandrum dici a Propertio lib. IV. El. V. vers. 43. notat Broukhusius noster. quamuis ego ad elegantiam sermonis referre illud epitheton malim. vt *munda verba* Ouid. III. Art. Am. 473. et passim.

13 *Veniebat gressu delicato*] Eodem modo Senec. de Prouident. 5. *malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere.* et talem incessum describit eleganter Petron. cap. CXXVI. *quo incessus tute compositus, et ne vestigia quidem extra mensuram aberrantia?* et in specimine Belli Ciuilis

Fractique eneruі corpore gressus.

Catul. Carm. XLI. *mimice incedere,* vbi vide Scalig. sed huc maxime faciunt verba Bruti, quae refert ex Cicerone Fabius lib. VI. de Inst. Orat. cap. 3. *Nae illi sunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti molles:* vbi malim *ingrediendi: Molles* enim dicuntur etiam propter delicias ingrediendi, quia delicato gressu solebant ire: ita *molliter incedit* Ouid. II. Amor. IV. 23. est *delicatus* ergo *gressus*, lentus et adfectatus, non, vt solent incedere homines industrii et strenui. Ita *delicatis* opponit *industrios* Senec. Ep. LXXI. *Pigro supplicii loco labor est, delicatus miseretur industrii, desidioso studere torqueri est.*

15 *Quinam*] Nihil hic mutandum, nec reponendum *Quidnam?* nec *quid? Nam* etc. centies Terentius ita, cum subito quis in conspectum venit, vt Eun. III. 4. 7. *Quisnam hic exit a Thaide.* Heaut. II. IV. 23. *Quisnam hic adolescens.* et passim. *Quisnam* vero, an *quinam* dicatur parum interest. Plaut. Aulul. IV. IX. 17.

Quinam homo hic ante aedes nostras eiulans conqueritur.

et in talibus saepius manum librarii, quam auctoris habemus. Danetus autem ridicula religione, ne scilicet *cinaedum* monachi legerent casti, ita exhibet versum. *Effeminatus quid hic in conspectu meo.* et tamen, vt notauit Hoogstratanus, in interpretatione sua posuit vocem *cinaedi.* o ridiculum caput! sed hoc a Gallico interprete mutuatus est, qui reddiderat, *cet homme lâche & effeminé.* sed, scilicet, Phaedrum ipsum edidit in vsum pudicorum, notae patent etiam illis, qui initiati his propudiosis sacris viuunt.

15 *In conspectu meo Audet venire?*] Addicti hodie canonibus Grammaticorum, non satis semper eos exigunt ad loquendi vsum veterum, et Romanos semper eodem modo locutos esse contendunt; cum tamen locutiones variasse infinita loca ostendant: nec temere hoc fecisse credibile est, licet nobis non semper tam explorata sit ratio: quare nollem Virum doctissimum non modo hic contra fidem codicum emendare, *in conspectus meos*, ne vnico quidem, in tanta huius locutionis copia, exemplo producto, vnde plurali numero delectatos veteres constet; sed etiam loca, quae adducuntur similis locutionis, omnia suspecta facere. Contra tales non pondere
solum,

Audet venire? Reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor. Mutatus ſtatim

FAB.

ſolum, ſed numero etiam pugnandum eſt. praeter enim adducta a Scheffero, ita Hirt. lib. VIII. de Bell. Gall. 8. vt in antiquis ſcriptis et editis eſſe Cl. Danielius teſtatur, *in conſpectu hoſtium exercitum adducit.* et cap. 23. *ſtatuiſſe Comium dicebatur, numquam in conſpectu cuiusquam Romani venire.* cap 27. *etſi nondum in conſpectu venerat hoſtibus.* Frontin. I. XI. 18. *nudatum in conſpectu ſuorum produxit.* Valer. Max. I. VII. Ext. 2. *poſtquam in conſpectu veniſſet.* ita codices et editi olim nonnulli. et II. VII. ext. 2. *vt viui cum armis in conſpectu eorum venirent*, ita in tribus MSS. reperit Torrenius. lib. VIII. VII. ext. 15. *priusquam in conſpectu veniret.* ita editi olim et ſcripti: Septimius de Bell. Troj. I. 10. *quae in conſpectu popularium venerat.* ita in Argentor. codice inuenit et probat Obrechtus. omnibus his hodie *m* adfingere, eſt veteres librarios doctiores fingere, quam erant. illi enim deuoti Grammaticis ſatis legibus erant, ne violarent eas, at non ſatis eruditi, vt *in conſpectu* Latine poſſe dici crederent, et maiori iure ſuſpicari licet illos, vbi *in conſpectu* reperiebant, formaſſe *conſpectum*, vt in Argum, lib. III. fab. 7. Met. Ouid. *vt in conſpectu ſuo Liberum vinctum attraherent*, veroſimilius eſt fuiſſe ſcriptum, ne quatuor voces in *um* exirent, quam *in conſpectum ſuum*, et Munckerus quoque ad Arg. lib. V. fab. 10. in MS. et Veneta edit. fuiſſe teſtatur, *ne in cupientis conſpectu poſſet venire*, vbi hunc Phaedri locum producit. In multis apud Curtium locis idem obſeruatur. lib. III. II. 2. *vniuerſas vires in conſpectu dedit.* Ita MSS. Voſſ. et Palat. lib. V. I. 2. *quas vniuerſas in conſpectu dari.* X. VI. 4. *regia ſella in conſpectu data.* contra Modius ex MSS. contendit lib. VI. V. 26. legendum, *vt primum Rex in conſpectum fuit.* et apud Suet. Aug. 16. *in conſpectum fuiſſe* Casaubonus tuetur. plura proferrem, niſi crederem faſtidio occurrendum. et ſine dubio conſuetudini illi conſtitit ſua ratio, quae licet nobis non ſatis liquide appareat, ius tamen non facit omnia loca veterum ad loquendi hodiernam normam emendandi. ratio eſſe potuit, quia *in conſpectu* eſt idem quod coram, qui iam conſpicitur, et ita iam quaſi praeſens eſt ille, qui venit. Voſſius de conſt. cap. LXV. producit *in ſenatu venire* ex Cicerone, *in regione venire* ex Manilio V. 385. et ſimilia, et enim ſecuti Bangius et Vrſinus, ſed auctoritatibus contenti, rationes non addiderunt, quas fortaſſe nobiſcum ignorarunt. Sic mox fab. 5. *in theatro prolatum foret*, quia, cum ludi vel hiſtriones exhibentur, iam ſunt in theatro, qui ibi conſiſtentes genus ſpectaculi nouum proferunt, in Ouidio quoties non ambiguus haeſi, vbi *in vulnera*, et *in vulnere fundere*; *in guttura* et *gutture conicere*, *in pectore* et *pectora condere*, et ſimilia varie exhibentur? quare tutius eſt in his ſequi codices,

17 *Hic eſt*] Vide ad Vellej. Paterc. I. XI. 3.

17 *Scriptor.*] Verum quidem eſt, omnibus, qui memoriae aliquid produnt, hunc titulum dari, ſed hic pro *Poëta* ponitur, et qui carminibus editis nobilis eſt. Exempla non congeram, obuia ſunt.

Reli-

(83) FAB. II.

Viatores et Latro.

Et vindicauit ſeſe forti dextera.
Latrone occiſo, timidus adcurrit comes,

Strin-

Reliqua, quae huic fabulae deſunt, ſuppleri vix poſſe puto, ſed ſi prologo praecedenti reſpondebunt, aliquid in colloquio hoc accidiſſe debuit, quo obtrectator aliquis Menandro, illum longe ab Ariſtophanis, Eupolis vel alius veteris Poëtae laude abeſſe, obiecerit; et forte carmini a ſe facto titulum antiqui Poëtae inſcripſerit. certe ſimile aliquid requirit Phaedri propoſitum. At Capitalis ille Hauptius in Miſcell. Lipſ. t. I. p. 260. ſe non incommode tribus his verſibus iacturam reſarciiſſe ſibi blanditur, et nihil poſt *mutatus ſtatim* deeſſe, niſi Epimythium, quam Theologica elegantia vocat *applicationem*, perſuaſus, hos ſacro ex pectore euoluit verſus,

> *Nempe aeſtimari a Regibus docti ſolent*
> *Viri, polus meliore quos finxit luto.*
> *Hinc mancipet bonus ſe quique literis.*

Quos verſus ſi alibi offendiſſem, iuraſſem talem ſcriptorem a *Polo* de meliore luto non fuiſſe fictum, aut vnquam Phaedrum, vel vllum melioris aeui Poëtam legiſſe,

> *Boeotico ſed de luto fictum ſuem*
> *Et inquinatum puluere obſcurae ſcholae,*
> *Tractaſſe praeter ſtercoris ſordes nihil.*

FAB. II.

Huius fabulae initium ita nobis eadem Vena Hauptii (otium ſuum ſanctum Poëticis deliciis fallentis, et taedia Scholaſticae triſtitiae ſuauitate Muſica detergentis; hoc vno nomine tamen celebrandi, quod nugis non ſit valide moleſtus, ſed breuitate nauſeam oborientem ciro inhibeat) effundit.

> *Inuaſit improbus viatores Latro*
> *Duos, ſed alter fugit, alter conſtitit.*

Vide, lector, num fauentiore Apolline nos iacturam hanc ſuppleuerimus.

> *Iter per ſiluas forte cum facerent duo.*
> *Quid? ſi latrones, inquit vnus, aduolent,*
> *Et nos infeſto imbelles ferro inuaderent?*
> *Ne timeas, inquit alter, hac ego manu,*
> *Latrones toties qua feroces repuli,*
> *Iter ſecurum ſolus praeſtarem tibi,*
> *Et tu virtutis eſſes ſpectator meae.*
> *Dum pergunt, ſubitus ex inſidiis exſilit*
> *Mucrone ſtricto latro. Qui iactauerat*
> *Verbis virtutem, ſocium deſerens fugit,*
> *Et pugnae euentum ſpectans reſtitit procul.*
> *Alter ruentis in ſe ſuſtinet impetum,*
> *Et vindicauit, etc.*

De ſuo etiam, vt credo, Hoogſtratanus ſupplere conatus eſt, ſecurus vt videtur interpretem Gallicum; in cuius verſibus nihil eſt quod culpem, niſi quod alterum illum, quem manu promptum

prius

Stringitque gladium, dein, reiecta penula,
Cedo, inquit, illum, iam curabo sentiat,
5 Quos adtentarit. Tunc qui depugnauerat:
Vellem istis verbis saltem adiuuisses modo,
Constantior fuissem, vera existimans:
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem,
Vt possis alios ignorantes fallere.
10 Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quod virtuti non sit credendum tuae.
Illi adsignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

prius dixerat, mox *audacem* vocet, quod magis conuenit Latroni, quam qui magno animo et viribus repellit latronem, qui melius *audens* et *fortis* dici meruerat. vid. ad Ouid. I. Art. 608. deinde nihil de timido, fortia verba edente, et ad conspectum Latronis fugiente addit, quod tamen reliqua nobis ex fabula, et in primis epimythion postulare videntur.

3 *Reiecta penula,*] Id est in tergum reiecta. vide quae nos ad Ouid. II. Met. 582. adnotauimus: nec hoc intellexit Gallus, nec eius censor, qui, *jettant son monteau par* (vel *a*) *terre.* sed hoc est *deiecta.* parantes enim se ad pugnam *reiiciebant* vestes, non *deiiciebant.*

4 *Iam curabo sentiat,*] Vis est in illa particula *iam*, qualem notauit in Liuio IX. 41. magnus Gronovius. Petron. cap. LVIII. *Curabo iam tibi Iouis iratus sit.* et ibidem, *tam scies patrem tuum mercedes perdidisse.* vbi vide quae noto. et mox; *iam scies hoc ferrum fidem habere.*

5 *Qui depugnauerat:*] Id est, qui non tantum fortiter pugnauerat, sed ex pugna victor exstiterat. Liv. VII. cap. 29. *depugnatumque haudquaquam ambiguo certamine cum Gallis est.* De Gladiatoribus, qui desperati pugnant, et aut vincere aut mori debent, hoc verbo frequenter vtuntur: vt Cicer. X. ad Fam. 32. Quinct. VIII. 5. Suet. Caes. XXXIX. et alii. eadem fere vis τῷ *decertare*, lib. I. fab. 30.

6 *Modo,*] Vid. ad lib. II. VIII. 8.

9 *Alios ignorantes*] Si interponendi voculas vbique libido me ageret, hic libenter legerem, *alios te ignorantes fallere.* vt supr. fab. I. *ipsum ignorans;* sed facile intelligitur *te* subesse.

11 *Scio, quod*] Vide Celeb. Virum, Iac. Perizonium ad Sanctii Minerv. lib. III. cap. XIV. n. 16. de hoc loquendi genere. mihi tamen valde blanditur Gronovii *quam*, vt ita apud Ouid. IV. Fast. 529.

Dux comiti narrat, quam sit sibi filius aeger,

vbi etiam *quod* vulgo legitur.

FAB.

(84) FAB. III.

Caluus et Musca.

Calui momordit musca nudatum caput,
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit grauem;
Tunc illa irridens: punctum volucris paruulae
Voluisti morte vlcisci: quid facies tibi,
5 Iniuriae qui addideris contumeliam?

Respon-

FAB. III.

2 *Captans,*] Vid. ad lib. IV. fab. 4.

2 *Alapam*] Vide de hac voce Vauassor. de vi et vsu verbor. quorumd. p. 93. qui male verti Gallice *soufflet* docet, cum debeat reddi *un coup.* et quis vmquam, *donner un soufflet pour l'ecraser*, dixit, et se eleganter loqui aliis persuasit?

3 *Tunc illa irridens:*] Anonymus Nielantii *ridens*, et ita in priori editione Schefferus coniecerat legendum. et credo rectius. sed mutatum a sciolo, qui risum proprium homini esse credebat, nec decore muscae dari. sed hominum actiones bestiis attribui in fabulis saepe diximus. praeterea huc referri posset adagium, *habet et musca splenem.* splen enim risus sedes habetur.

5 *Iniuriae addideris contumeliam?*] Ineptit hic strenue Scioppius, modo *contumeliam iniuriae* explicans pro *contumelia iniuriosa*, modo refingens *iniuria eam*, tandem, *iniuriam contumeliam dederis.* sed *iniuria* et *contumelia* sunt diuersa. *contumelia* erat, quod caput verberauerat, alapa enim contumeliosa habebatur, *iniuria*, quod non iure muscam voluerat occidere, et leuem punctum morte vlcisci. vt vers. 10. *optem necare vel maiore incommodo*, vbi duo haec coniungit, sed leuiori verbo *contumeliam* vocat *incommodum.* vide Gudium. Non vero semper verum est, quod tradunt Seneca de Const. Sapient. et ICti, *iniuriam* esse leuiorem, *contumeliam* grauiorem: pro re nata enim, et haec grauior illa, et illa hac esse potest: sunt enim multae species vtriusque; et ipse Senec. ibid. cap. 4. dicit, quosdam esse, qui *aequius iniurias, quam contumelias possunt ferre et concoquere.* ergo illa grauior: et exemplum eius effati prodit Val. Max. II. II. 5. de Legatis Tarentum missis, *quos grauissimas ibi iniurias accepisse, vnum etiam vrina respersum* narrat. et deinde *dolorem, qui ex contumelia grauissimus nascitur et sentitur, conuelli non potuisse.* Senec. de Ira. III. 8. *offendet te diues contumelia, petulans iniuria*, vide Freinsh ad Flor. IV. XII. 30. et illustre illud diuinae postea doctrinae sidus, Io. Caluinum ad Senec. de Clement. cap. X. qui adolescens specimen egregium dedit, quantus in humaniori disciplina vir euadere potuisset, nisi maioribus rebus eum Deus adhibuisset. Vtinam tanti viri vestigiis insisterent hodie sacrarum literarum studiosi, vt quem sapientia et sanctitate superare contendunt, etiam scribendi et dicendi laude et munditia possint

Respondit; Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem laedendi scio.
Sed te, contemti generis animal improbum,
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
10 Optem necare vel maiore incommodo.
Hoc argumentum veniam mage dari docet,

Qui

sent aequare. Non tot sordidis et faeridis inuolucris obscurari et premi diuinae hodie mentis oracula gemeremus.

7 *Quia non*] Cl. Bentlejus *cui*. sed cui bono? ratio, cur secum in gratiam facile redeat, redditur hac particula *quia* aeque apte, ac si ea omissa per se et suam, quam sustinet, personam argumentaretur. si *cui* in MSS. forte exstitisset, mutasset alius in *quia*; sed ego tunc retinuissem eam quoque voculam. Et hinc puto similes variationes in codices MSS. irrepsisse, quia semper fuere rerum nouarum in repb. literaria cupidi, et quisque pro suo iudicio has vel illas voces mutare non dubitauit: ita *qui* et *quia* centies permutata in MSS. vidimus. vt apud Ouid. I. Trist. V. 41. V. X. 37. I. Art. Amat. 725. et saepe alibi. Quinctil. III. de Inst. Orat. VI. p. 245. *An Thrasybulo triginta praemia debeantur*, *qui* (vel *quia*) *tot Tyrannos sustulerit?* hoc modo semel vbi admittere decreuimus, ad sexcenta veterum loca nascitur facultas Criticam, magna ex parte inanem et incertam, exercendi.

11 *Hoc argumentum veniam mage dari docet,*
Qui casu peccat, quam etc.] Sine dubio ex hac lectione sensus tolerabilis satis existit; sed quia tertius versus adiectus vel supervacuus est, vel, si *quamuis* legatur, ineptus et absurdus est, de renouanda tota sententia cogitarunt Viri docti. Gudius, vt seruaret *argumento*, et in vltimo versu *quamvis*, ita constituit,

Hoc argumento veniam tam dari docet,
Qui casu peccat, quam qui etc. sed perperam:

primo enim sententia in genere posita falsa est, et a nullo mortalium vnquam adfirmata, aeque veniam dandam iis, qui sine culpa peccant, atque illis, qui studio et consilio peccant. hoc ergo videntes alii, Phaedrum faciunt inepte timentem censuram tam stulti dicti, et vt eam euaderet, hac sibi exceptione cauentem, *Quamuis* ego illum iudico dignum poena; vbi etiam contra morem loquendi vsitatum *illum* dicitur de vltimo, cum debeat de primo intelligi, quod quidem fieri concedemus, vbi *hic* et *ille* occurrit, sed exemplum adhuc quaero (licet forte hic vel illic lateat) vbi τὸ *ille*, solum positum, ita possit capi. Sed alterum superest, quod minime admittendam hanc correctionem suadeat. quod epimythium ita non respondeat fabulae: nam cum vellet caluus muscam pungentem necare, incongruum est subiicere tam illi, qui casu peccat, veniam dandam, quam illi, qui consilio? Volebat enim caluus muscam occidere. nec ex verbis muscae, irridentis vanos ictus calui, repetenda sententia, sed ex iudicio et proposito calui, qui si potuisset muscam opprimere, sine dubio morte multasset. quare etiam recte Rittershusius

hufius fanae mentis iudicium fenectus, qui casu peccat, venia dignum, fed qui confilio, *quauis poena*, id eft, fumma, vltima, et etiam mortis pro rei et facti merito, dignum pronuntiantem Phaedrum fecit. fed quia manet et in eius lectione, difficultas illa circa τὸ *illum*, Heinfius pro *quam*, *nam* coniecit. horum ego veftigiis infiftens legebam olim,

Hoc argumentum veniam modo docet dari
Qui casu peccat: nam qui confilio peccat,
Illum esse quauis poena dignum indico.

τὸ *mage*, quod non effe in MS. conftat, fed a Pithoeo intrufum, omnes has nubes obiecit oculis eruditorum. iam vero quae facilior et mollior poteft verfui laboranti fieri medicina, quam fi inter *veniam* et *docet* interponatur *modo*, quod periit inter *m* literam vltimam τοῦ *veniam*, et *do* fyllabam primam τοῦ *docet*? qualia millia et millia ab omnibus Criticis funt adhibita fulcra locis adfectis. et ita II. 8. *vos modo parcite.* deinde *veniam dari qui casu peccat*, dictum, pro *ei qui peccat*, ellipfi quidem ordinaria, fed quae faepe non animaduerfa, in ridiculos errores impulit interpretes. Si vnquam mihi placuerim, certe in hoc loco emendato mihi fatisfaciebam. Sed miratus fui maxime et ab Hoogftratano et a Iac. Gronouio receptam Gudii emendationem, licet neuter eius rationem reddiderit. Nunc etiam Cl. Bentlejum video voluiffe eam, fed non fine fua interpolatione, tradere lectori: nam receptis reliquis, tantum *dare* mutat in *dandum illi.* ita ellipfim illam elegantem (de qua egi faepius. vid. III. II. 17. et quam mox ad fab. IV. 10. Anonymus agnofcit.) exterens, et minori fpecie, et longius abiens a MSS. mutans *dare* in *dandam illi*, quam ego, interponens inter *m* et *do*, *modo*, et vnam literulam modo de meo donans Phaedro. Sed praeterea, an ignorabat Vir doctus *dari* minime debere moueri? mores enim et ipfam vitam hominum aeque, atque officium, et quid facere deceat, fabulae docent, id eft, tam quid fiat, quam quid fieri debeat. et fic multae fabulae in Phaedro funt, ex quibus patet illum tantum voluiffe docere, quid faciant homines, quibusdam autem praecipere etiam, quid fieri oporteat. et vt Seneca Ep. XCVI. *alter praecepta virtutis dat*, *alter exemplar*, de diverfis Philofophorum inftitutis air, ita et nofter Poëta vtrasque partes fuftinet. Haec vero fabula tantum docet hoc fieri et folere fieri, fcilicet, *dari veniam illi etc.* fic lib. I. fab. 10. *fabula atteftatur*, *amittere fidem*; qui femel mendacio eft nobilitatus. cur non dixit, docet, teftatur, non effe habendam ei fidem? fab. V. teftatur fabella, non effe *fidelem cum potente focietatem.* cur non docet, non effe ineundam focietatem? lib. II. fab. 2. ex fabulis difcimus, *viros fpoliari a foeminis.* id eft, hoc folere fieri. fab. 8. fabula fignificat, *dominum videre plurimum in rebus fuis.* non docet, domino videndum effe plus. fab. X. docet fabula, *periculofum effe credere et non credere*, non vero monet, credendum effe, et non credendum. vide fab. XV. XVIII. XX. et ne omnes recenfeam, plurimas per fe videbit lector alias. Si iam, cum Cl. Bentlejo faciens, contenderet quis hic, quia *docet* occurrit, ideo praeceptum contineri, nihil tamen mutandum effe, facile euincerem: Non vrgebo, *docere* non femper effe Magiftri, Philofophi, fed millies idem eft, quod indicare, fignificare, prodere et fimiliter. fed contendam *docet dari*, aeque Latinum effe, et eodem fenfu, ac *docet dandam effe*, accipiendum:

Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens.
Illum esse quauis poena dignum iudico.

FAB.

piendum: gerundiorum enim vicem obire infinitiua docuimus satis ad lib. I. fab. 15. sic quomodo explicabit, quaeso, illa lib. III. fab. 17.

Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

quos vero agere admonet fabella? an homines? atqui falsissimum, illos nihil agere quod non prosit. an Deos? atqui sola Pallas hanc in illa fabula laudem refert. an ergo Pallada? durum, hanc subintelligere. quare necessario *nil agere* ibi est, pro *nil agendum esse*. et miror Cl. Bentlejum non correxisse. certe magis ibi offendere debuisset, quam hic *docet dari*. Vir doctus sine nomine, amplectitur Gudii *decet*, et quia videt sententiam et versum laborare, vt huic succurrat, infarcit *ei*, hoc quoque Rigaltio debens, pro ellipsi (quam mox fab. IV. 10. agnoscit) eleganti et grata, insuavem ecthlipsim, *am* et *ei* coalescentibus, auribus nostris obtrudens. vt vero illi opem ferat, arripit ab aliis excogitatum recte, *nam*. deinde alteram proponit coniecturam. *hoc argumento venia debet huic dari.* vbi apparet, illud *huic*, admodum ineleganter, fulciendo versui intrudi. loca vero, quae adducit, nihil huc faciunt: ibi enim non praecedit *hoc argumento*, vel aliquid isti simile: praeterea vellem animaduertisset non admodum eleganter dici, *hoc argumento decet* (vel *debet*) *dari*, pro hoc argumento docemur decere vel debere dari. an alibi Phaedrus dixit, *hac fabula, hac re, hoc argumento decet, oportet, debet fieri?* vellem hoc doceri. vnicus est locus, qui speciem praebere posset, lib. II. 7.

Hoc argumento tuta est hominum tenuitas.

sed ibi sensus est, in hac fabula, in argumento huius fabulae hoc inest, tenuitatem esse tutam; ibi non dicitur, *hoc argumento decet, oportet* esse tutam tenuitatem. in lib. IV. 6.

Hoc argumento se describi sentiat.

plana est sententia: sed desinamus tandem.

12 *Consilio*] Recte Schefferus exposuit: plura vide apud Heins. ad Ouid. V. Trist. V. 33. vnicum adducam ex Valerio Max. I. I. exr. 4. locum, quem vix capio. *In quam* (vindictam scil. diuinam) *ne incideret Timasitheus, consilio sibi pariter atque vniuersae patriae, vtili prouidit exemplo.* in quibus verbis intricatus sensus, et vel *consilio*, vel *exemplo* sufficere videri possit. nec apparet, an *sibi vtili*, an *sibi praevidit* voluerit, nec an *vtili*, ad *consilio*, an ad *exemplo* pertineat, cum ad vtrumque referri possit. Malim ergo, *consilio, pariter sibi atque vniuersae patriae vtile prodidit exemplum*: vt *consilio* absolute ponatur, pro consulto, deliberato. vt lib. I. VI. 8. *tristis exitus et prodigio denuntiatus, nec exitatus consilio.* Iust. XXXI. 6. *nihil consilio vel ratione agebatur.* et ita passim alii: *vtilissimum exemplum* dixit et lib. II. VII. 14. et noster Phaedrus de fabula sua lib. I. 3. *exemplum prodere* dixit, et Curt. VIII. V. 12. vel potest etiam legi, *consilio vtili*.

13 *Quauis*] Gudius *quamuis* ex MS. Rhemensi: quia iniquum credit, ob punctum volucris paruulae, necem inferri, sed hoc conuenit praecedentibus, vbi *necare* se optare dicit

(85) FAB. IV.

Homo et Asinus.

Quidam immolasset verrem quum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello iussit reliquias poni hordei.
Quas adspernatus ille, sic locutus est:
5 Tuum libenter prorsus adpeterem cibum,
Nisi, qui nutritus illo est, iugulatus foret.
Huius respectu fabulae deterritus,
Periculosum semper vitaui lucrum.

dicit caluus improbum animal, quod sanguinem humanum biberit. et sine dubio hic sub musca latet parasiti improbi persona, vt vidimus lib. IV. 23. qui contemti generis et improbum animal, vt placeret regibus suis, venerandos viros, vel forte ipsum Phaedrum senem, lacessebat.

FAB. IV.

1 *Sancto*] Non debet in *Sanco* mutari, quod nimis affectatum videri posset: et praeterea, epitheton *Sancti* notum est, praeter ceteros, saepe Herculi dari. vide Illustr. Cuperi Monum. Antiq. p. 228. et Tristan. Comment. Histor. t. III. p. 368. Propert. IV. Eleg. 9. 73.

Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic sanctum Tatii composuere Cures.

vbi etiam alii *Sancum*. sed vide ibi Passeratium. Cicer. pro Sextio cap. LXVIII. *Neque hanc opinionem si in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus etc.* De Sanco vide plurima apud commentatores ad Ouid. VI. Fast. 214.

5 *Tuum libenter*] In codice est, *libenter tuum.* sed transpositae millies sunt voces, quia olim, more soluti sermonis, scriptae fuere hae fabulae. quare religiose nimis ordinem seruare, si legem metricam soluit, stultum est. Cl. Bentlejus, qui centies turbauit ordinem vulgatum, hic eam religionem praeferens, inde facit *libenter istum.* quam belle autem dicatur, *istum* adpeterem, sequente mox, nisi qui nutritus *illo*, relinquo ipsius Bentleji iudicio. sed *tuum* est, quem tu mihi nunc subita largitate (quam suspectam alibi docet esse Phaedrus) obiicis: solebat enim carduis et vilissimis vepribus pasci Asinus, nunc melior ipsi suspectus est cibus. Posset, si nouandi libido tanta esset, *nonum libenter* refingi, quia *tuus, meus, suus* et *nonus* alibi permutata esse vidi apud Ouidium, sed nihil moueo.

7 *Respectu fabulae*] Latine satis dictum hoc docet Liuius, qui saepe ea voce vtitur, et de cuius propria significatione et vsu vide Gronov. ad Liv. XXI. cap. 44.

8 *Reputaui*] Ita Codex Pithoei. *vitaui* credo fuisse glossema, quod miror viros doctos non vidisse natum ex interpretatione verae lectionis, quam puto esse, *recusaui*, vt

Sed dicis, qui rapuere diuitias, habent.

Nume-

ante *aspernatus*. Senec. Ep. c. *debilitatem non recusat*. Noster lib. III. 2. *damnum haud recusant*. sed nihil vulgatius hoc verbo. vt metro vero satisfiat, legendum vel, *periclosum*, vel, *saepe recusant*.

9 *Sed dices.*] *Dicis* est in antiquis editionibus. parum interest. est enim obiectio, quae hoc modo millies concipitur. *dicis* vero posset praeferri, si Phaedrum ad conuiuas aut amicos, quibus hanc narrabat fabulam, sermonem instituere fingamus. Nescio vero, cur haec per interrogationem capere velit Walchius, pro *num autem dicas?* quo commento nihil elegantiae aut vigoris accedit orationi: et alterum obuium et vulgatum est. vt prolog. lib. III. 8. *fortasse dices:* Senec. Nat. quaest. I. 1. *dices mihi, ergo tu in tantis erroribus etc.* cap. 6. *dices fortasse, vnde fit ille color varius.* et ita ille passim, et alii centies. miserum est, talibus tempus impendere coactos, molestiam sibi et lectoribus exhibere.

9 *Qui rapuere habent.*] Cl. Bentlejus, cum nulli vmquam antea scrupulus fuisset natus ex hoc loco, quia *deprensi* sequitur, hic requiri censet *latuere*, vt *latentes deprensis* opponantur, et ita reponi iubet. sed recte Anonymus vidit, hic aliud verbum requiri, quod diuites crimine factos notet. nam *latent* etiam, et maxime quidem, pauperes. Rectius procederet sententia, si dixisset Phaedrus, *qui diuitias habuerunt latent*, id est, non omnes protrahi ad poenas, qui lucrum periculosum fecerunt, sed multos occultas opes possedisse; et ita, quasi inter modicos haberentur, effugisse manus principum, qui saepe nummatos puniunt, vt eorum diuitiis potiantur. *Agedum*, inquit Phaedrus, numerum ineamus, plures fuisse deprehensos et punitos reperies. sed an non eadem fere sententia exsurgit ex vulgata, *qui rapuere diuitias, habent.* id est, possidere sine periculo pergunt, vide de hoc verbo *habere*, ad prolog. lib. III. vers. 21. numeremus iam eos, qui se huic incerto et fluctuoso mari commiserint, et quam pauci ex naufragio enatarint: quam multos reperiamus deprehensos, id est, obrutos, mersos. nam metaphora est a nauigantibus, qui tempestate subita opprimuntur. vide Serv. ad illa Virgilii IV. Georg. 421.

Deprensis statio tutissima nautis.

et ad V. Aeneid. 52.

Argolicone mari deprensus.

Ouid. XI. Met. 669.

Nubilus Aegeo deprendit in aequore nauim
Auster

vide Douz. Praecid. ad Catul. cap. VI. et Freinsh. Indic. in Florum. hoc vero verbum hic eo est accommodatius, quia raptores et fures saepe ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenduntur, vt notum est: notandum praeterea, vnumquemque pro arbitrio posse distinguere, *qui rapuere diuitias, habent*, vel, *qui rapuere, diuitias habent:* nam noster et *habere* simpliciter, vt modo dixi, et *habere diuitias* lib. IV. 21. dicit. Sui vero temporis conditionem spectat hac fabula Phaedrus, quo multi per vim et rapinam locupletati in periculum incidebant, et cum vita opes perdebant. Verres saginatus imago est ministrorum regiae superbiae, qui cum iniuria et rapinis diuitias congesserunt, deinde occiduntur propter opes: quibus

10 Numeremus, agedum, qui deprensi perierint:
Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

(86) FAB. V.

Scurra et Rusticus.

Prauo fauore labi mortales solent,
Et, pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad poenitendum rebus manifestis agi.

quibus pro spongiis vtuntur principes, vt Vespasianus dicebat apud Suet. cap. XVI. Ex damnatorum vero bonis pars saepe dabatur delatoribus et aliis. recusat autem asellus, id est, simplex et vilis quidam ciuis, qui tamen periculum ex opibus satis prospiciebat, quae ipsi quasi obiiciebantur. vt experientur exploratores aulici, an eas inuaderet et appeteret auide, vt deinde calumniis eum opprimerent. tale quid latere puto sub hac fabula.

FAB. V.

1 *Fauore labi*] Recte Schefferus, pro per prauum fauorem. ita Fabio X. Inst. cap. 1. reddidimus, *nisi labor eius amore.* et ita *errore, imprudentia* etc. *labi* passim occurrit. *fauorem* vero hic debemus capere, quo sibi quisque placet et applaudit. vt hic populus errore suo sibi fauebat, donec rebus postea conuictus ad poenitentiam actus est, vt *sibi fauere* dici solet. Cicer. III. Fam. Ep. 6. *mihi faueo;* sic *suo dolori fauere* Ouid. II. Amor. V. 11. et III. Met. 388. et *verbis fauet ipsa suis. fauere morbo* Tibul. I. V. 110. licet et de fauore scenico, quo student spectatores histrionibus, si quis capere velit, facile patiar. sed tamen de turba sibi placente rectius capi videtur; quia sequentia id exigunt, *pro iudicio erroris sui stant.* qui error est, quod faueant sibi. nihil hic intellexit Gallicus interpres.

2 *Dum stant*] Id est pertinaciter pugnant, vt stantes in acie milites, vel in foro aduocati. Ouid. I. Art. 200.

Stabunt pro signis iusque piumque tuis.

vide supra lib. III. fab. 10. vs. 37. *iudicium erroris* singularis etiam locutio, vel notat, errans iudicium, falsum, nota figura: vel posset esse pro *errore indicii*, vt Ouid. III. ex Pont. IX. 11.

Iudicium tamen hic nostrum non decipit error.

3 *Rebus manifestis*] Schefferus pro *in rebus*, cum res sunt factae manifestae. non commode satis. sed melius puto ita explicari: licet verbis propugnent errorem suum, non tamen tam verbis reuinci debent, quam manifestis rebus, id est, factis, ipso opere et euentu, vt postea dicit, *aperto pignore*, id est argumento, cui contradici non potest, *errorem probans.* sic Cicer. X. ad Famil. 11. *me, quem esse voluisti; eum exitu rebusque cognosces*, vbi vide Cl. Graeuium, et ad IV. Paradox. 1. et Gronov. III. Observ. cap.

Facturus ludos quidam diues nobiles,
5 Proposito cunctos inuitauit praemio,
Quam quisque posset, vt nouitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina.
Quos inter scurra, notus vrbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
10 Quod in theatro numquam prolatum foret.

Disper-

cap. 6. et Heins. ad Ouid. XIII. Met. 383. Ouidius centies. Epist. XVI. 257 *sed tibi et hoc suadet rebus, non voce, maritus.* III. Art. Amat. 757.

— nudis mihi rebus agendum est.

sic populo, qui fauebat Scurrae, et ideo praeiudicata de eius arte opinione occupatas mentes habebat, non poterat hic vllo modo persuaderi, rusticum melius mimo edere vocem porci, nisi, postquam viuo porco prolato, rebus manifestis erroris sui conuictus esset. et ideo non *induci*, sed *agi* dicitur, quasi vi quadam compelli ad errorem agnoscendum, et poenitendum. quae vis verbi satis nota. ita ad *perniciem agi* lib. IV. 12. et similia obuia.

4 *Diues nobilis,*] Schefferus recte, *nobiles:* verosimile mihi apparet, hanc emendationem profectam ab Heinsio, (cui plurima Schefferus debet) ille enim et hic, et fab. VII. codici suo ita legendum adscripsit. et ita apud Petron. XLV. barbarus ille conuiua, *habituri sumus munus excellente.* et frustra digladiatur pro τῷ *nobilis* Walchius, cum et libertini et plebeji diuites hoc tempore magis insanirent in ludis edendis, quam summo genere nati, qui sub republ. fauorem vulgi quaerebant ludis, nunc vno dominante ludos fugiebant graues arcae suae. vid. ad Petron. cap. XLV.

5 *Proposito*] Vid. ad lib. I. fab. XIV.

9 *Habere*] Recte Praschius hoc dici de re inuenta: et ita *habere* saepius pro inuenire ponitur. vt Donatus ad Terent. Eun. III. 11. *numquid habes.* explicat. *inuenisti.* vid. supr. ad prolog. lib. IV. 2.

10 *Prolatum foret.*] Insolentem de re praeterita vocis *foret* vsum pronuntiat Iohnsonius: sed sine dubio non in mentem venit viro docto, saepius ita veteres vsos hoc verbi, multis partibus defecti, tempore. Ouid. VI. Epist. 144.

Hiscere nempe tibi terra roganda foret.

vbi pro *fuisset.* Virgil. X. 327.

— — miserande iaceres,
Ni fratrum stipata cohors foret obuia.

et ita etiam de praeterito capitur lib. III. 10.

Qui cum de puero multa mentitus foret.

id est fuisset. et praefat. lib. III.

Ad regem quum Dardaniae perductus foret.

vt recte obseruat Cl. Perizon. ad Sanct. Miner. lib. I. cap. XIV. p. 108. vide et ad Albinov. Epiced ad Liv. 417. et Vorst. ad Valer. Max. VII. IV. 5.

Diſperſus rumor ciuitatem concitat:
Paullo ante vacua turbam deficiunt loca;
In ſcena vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine adparatu, nullis adiutoribus,
15 Silentium ipſa fecit exſpectatio.
Ille in ſinum repente demiſit caput,
Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſua,
Verum vt ſubeſſe pallio contenderent,
Et excuti iuberent. Quo facto, ſimul

11 *Concitat:*] Recte Schefferus, conuocat in locum vnum. creber eius verbi vſus de ſubitis motibus, quum clamore, rumore et ſimilibus homines tumultuantes loca implent. Ouid. Ep. XVI. 340.

Nec tu rapta time, ne nos fera bella ſequantur,
Concitet aut vires Graecia tota ſuas.

III. Faſt. 764.

Femineos thyrſo concitat ille choros.

ita vt hic ciuitatem, ita *nemus concitare* I. Faſt. 456. et ita ille ſaepius. *concire* eodem ſenſu ſaepe occurrit. vt Val. Flac. VI. 35. *concire Scythiam.*

12 *Turbam deficiunt loca;*] De hoc loquendi genere, quod etiam optimis et florentiſſimis Romanae reipublicae temporibus obtinebat, praeter alios egit Nic. Heinſ. ad Ouid. I. Amor. VIII. 93. et II. Met. 382.

14 *Adiutoribus,*] Translata vox ex negotiis grauibus et publicis, vbi *adiutores* dicebantur magiſtratuum, et deinde Principum, inter amicos praecipui, qui opera et conſilio illis aderant, vt Legati apud Linium ſaepius: lib. VI. 22. XXVI. 9. et alibi. ſic Auguſtus ſibi *adiutores* adſciuit. Suet. cap. XXXIX. hinc etiam in ſcena dicti, qui mimos et hiſtriones in partibus agendis adiuuabant, vt hic Schefferus et Faber recte docuerunt. Quinct. II. 5. *Nunc vero ſcio id fieri apud Graecos, ſed magis per adiutores.* vide plura apud I. Druſium in Miſcell. Centur. II. cap. 28. diſtincti vero erant a *monitoribus*, qui verba ſubiiciebant, ne errarent hiſtriones. Terent. Heaut. V. I. *adiutor meus et monitor.* qui et *ſecundarii* dicebantur, et Graecis ὑπεβολεῖς, vt Gloſſ. *monitor*, ὑποβολεύς.

18 *Verum*] Nil mutem. et ſubintellige *porcellum:* vt reuera poſtea ruſticus attulit infr. vſ. 32. vide ad Ouid. I. Art. Amat. 62.

19 *Contenderent.*] Poteſt capi, vt inter ſe ſponſionibus certarent, quemadmodum moris in ludis.

19 *Excuti*] Et hoc proprium verbum de veſtibus, vt aut puluis inde eiiciatur, aut videatur, numquid lateat. vid. ad Petron. cap. CXXVIII. et Quinct. VII. de Inſt. Orat. 1.

19 *Quo facto,*] Pro ſimul ac factum hoc eſſet, quod loquendi genus frequentiſſimum Poëtis illuſtrauit Heinſ. ad Ouid. I. Faſt. 567. et ad Valer. Flac. IV. 88. et apud alios etiam occurrere docuit I. F. Gronov. ad Liv. I. 41.

20 Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.
Hoc vidit fieri ruſticus. Non mehercule
Me vincet, inquit: et ſtatim profeſſus eſt,
Idem facturum melius ſe poſtridie.
25 Fit turba maior. Iam fauor mentes tenet,
Et deriſuri, non ſpectaturi, ſedent.

Vter-

20 *Onerant laudibus.*] *Lancibus* Gudius et Heinſius, quia nouitate ſua placebat, arripuerunt ex codice Pithoeano. fateor, inter dona *lances* ſaepe reperiri et pateras et ſimilia. ſed ſi bona fide et non ſtudio nouitatis oſtendendae vel captandae famae, per emendationes auctorum paradoxas, literas noſtras tractare velint viri egregii, dicant, quaeſo, an ita in ſcena paratas habuiſſe ſpectatores credant lances, quas congererent in Scurram, quibus ſi oneraretur, iuſto metu poterat inſtare periculum ſibi credere, ne Tarpeiae virginis, clypeis obrutae, modo, ſub congeſtis lancibus exſpiraret. Praeterea munera et praemia Hiſtrionibus non a populo, qui gratis ſpectare maxime amabat, et ſine tali apparatu ad ludos ruebat, ſed ab editoribus et iudicibus ſolebant dari. Neque loca, quae producunt, aliter intelligenda eſſe patet; vel illa agunt de donis alia occaſione miſſis, vt Saturnaliorum tempore etc. Populus plauſu, acclamationibus, iactatione togae, oſculis iactis etc. teſtabatur ſtudium, et ita *laudibus*, quae non magno conſtabant, onerabant, quia ad *laudis certamina* veniebant Hiſtriones et Scurrae: et hoc docent ſequentia, *plauſu proſequuntur*, et *mouet plauſus.* Denique obuia et elegans locutio *onerare laudibus* locum ſuum facile tuetur. Liuius IV. 13. *Laudibus immodicis onerare.* et X. 14. *iuuenes pari comitate vtrumque, nunc laudibus, nunc promiſſis onerant.* et eleganter optimorum ſcriptorum, quantum tempora ſinebant, imitator egregius Guntherus in Ligurin. III. 647.

Nec multis opibus, ſed laude venimus onuſti.

et V. 3.

Faſcibus et ſummae cognomine laudis onuſtus.

ita *honoribus onerare* Iuſt. V. 4. et talia plurima ſunt obuia. nihil ergo hic captandi [illegible] noui. Cl. Wolfius in praefatione ſua Cl. Graeuium ad Cicer. III. ad Att. 18. et Cl. Drakenb. ad Sil. Ital. III. 15. hanc quoque probare lectionem adnotauit.

22 *Vidit fieri ruſticus.*] Iterum hic Heinſ. et Cl. Bentlejus, *videt et fieri.* ſed ſatis iam de eo actum lib. I. VI. 1. et alibi ad faſtidium vſque.

25 *Mentes tenet,*] ſcilicet praeiudicata opinione, nihil Ruſticum ad Scurram fore. Fauor erga Scurram eos adeo toties occupauerat, vt non poſſent vere iudicare. ita II. 12. *quae vos Iones dementia tenet?* Suet. Aug. cap. 6. *tenet vicinitatem opinio.* Ouid. I. Art. 441.

Spes tenet in longum, ſemel eſt ſi credita, tempus.

vt hic fauor, vbi ſemel occupauit mentes, non patitur ſibi contrarium perſuaderi.

26 *Et deriſuri, non ſpectaturi, ſedent*]

Vterque prodit. Scurra degrunnit prior,
Mouetque plausus, et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis rusticus
30 Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet,

sedent.] In Cod. Pith. *derisuros non spectaturos sitis:* pro *sitis* erat *sit et* in Rhemensi codice. vnde Heinsius faciebat, *vt derisuros, non spectaturos scias.* verum est quidem, simili formula vti saepe scriptores, vt et *scires.* vid. ad Petron. cap. XCI. et supra IV. XXIV. 32. Hoogstratanus fecit ex deprauata illa codicis scriptura,

Et derisores, non spectatores sedent.

quod tamen durius mihi ad aures accidit: nam certe debet subintelligi *futuri derisores;* at illa vis est in *derisuri*, et *spectaturi*. Quare ad vestigia codicis propius multo accedere me crederem, si legendum esse contenderem,

Et derisuros, non spectaturos putes.

nam hoc verbo aeque, vt *scias, scires, credas, crederes* etc. centies ita vtuntur indefinite, id est, vt omnes, ex studio erga Scurram, iam colligerent, spectatores derisuros rusticum. vide ad Petron. cap. VII. et ita *putent* saepe Ouidius et alii, de quo Heins. ad Ouid. I. Art. Amat. 730. nec minus frequenter *putes*, vt vidimus lib. III. fab. XVII. 12. Iohnsonius se minus abire a MSS. credit, si legat, *et derisuros non spectaturos citat.* id est *conuocat.* sed praeterquam quod insolentissima sit locutio, *fauor citat derisuros*, nulla hic opus citatione, aut conuocatione, cum pridie Rusticus promisisset se adfore, et de Scurra victoriam reportaturum. et hinc sine vllo praecone, aut simili citatione *fit turba maior* sponte ruentium ad ludos, qui, iam antequam spectarent, fauore erga Scurram erant occupati, et sedilia omnia tenebant; non eo animo vt spectarent, sed vt Rusticum illum stultum deriderent, et exploderent. Quare cum omnia, quae nouatores producunt, sint partim dubia, partim inepta, valeant, et tueatur locum suum, quod olim vulgatum fuit.

27 *Degrunnit*] Alii malunt, *digrunnit.* sed credo vtriusque compositi nos defici exemplis: ratio docet *degrunnit* esse praeferendum, non quia, vt *caput demisit* in sinum, ita *degrunnit* in sinum. sed quod *de* augeat, et notet omni nisu, conatu et viribus imitatur grunnitum porci. vt in *depugnare* vidimus fab. II. h. l. et *decertare* lib. I. 30. quod multis aliis exemplis probari posset.

30 *Quod faciebat* etc.] Haec vsque ad *latens* parenthesi recte inclusit Cl. Bentlejus, ex Freinshemii sententia, quod ego perperam neglexeram: nam debent coniungi, *simulans porcellum obtegere, peruellit aurem vero, quem celauerat.* quae ita capio. Scurrae, et qui prodigia populo sunt exhibituri, antequam illud, quod ostendere praecipue populo cupiunt, solent proludere aliquantulum, et saepe, vt adhuc hodie solent, multos et ridiculos gestus effingunt, et vestimentis, sudariis et similibus, quae manu versant et iactant, ludicri caussa saepe formant speciem et effigiem bestiae alicuius, cuius vocem vel incessum, vel simile quid exprimere conantur; eamdem disciplina

Sed, in priore quia nil compererant, latens)
Peruellit aurem vero, quem celauerat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Adclamat populus, Scurram multo similius
35 Imitatum, et cogit rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans;
En, hic declarat, quales sitis iudices.

sciplinam imitans hic Rusticus, vestimento se simulat obtegere porcellum talem fictitium; qualem simili in spectaculo Scurrae per ludum et iocum se formare iactabant. ille vero bona fide habebat sub veste porcum verum; sed quia populus in priore Scurra similes gesticulationes viderat, et nihil, eum excutiens, compererat subesse, sed illas gesticulationes fieri credebat lusus et delectationis gratia, ideo latebat etiam hic Rusticus, nec excutiebatur. ille autem callidus ita decepto populo, et vere tegens porcellum, quod alii simulabant, peruellit autem vero porcello. *Latens* vero debet coniungi cum *faciebat*, *quod faciebat*, *sed latens*, id est latenter, eos fallens, ita vt non deprehenderetur: quia in priore cum nihil compererant, non iusserant eum excuti, nihil de vero porcello suspicantes. vide supra de particula *sed* ad lib. IV. fab. 17. *Scilicet* vero hic non ironiae inseruit, sed confirmat: *faciebat scilicet*, id est reuera, non vt illi credebant per lusum et iocum. Terent. Heaut. II. III. 117. *scilicet factum me esse*. vide Manut. ad Cicer. I. ad Famil. Epist. 6. et Gronov. III. Obs. 9. Vrsinus et Heinsius totum versum 31. eiiciunt, sed ego non tam prodigus sum: Hauptius ille, qui Phaedrum etiam suis opibus ex sanctissima arca sacerdotalis ingenii ditare maluit, quam ipsi detrahere, supplet nouo versu lacunam, quam asterisci inter vers. 32. et 33. positi in veteribus editionibus exhiberi indicabant, hoc modo.

Etiam huius esse nil sub pallio putant.

sed nobis sine his mangoniis omnia satis placent, vt dixi.

37 *Aperto pignore*] Non damno hanc lectionem. nescio tamen exemplum similis locutionis. quare forte potuit scribere *certo pignore*, quod Ouidio aliquoties vsitatum est. vide Heins. ad Ouid. III. Fast. 741. quod eo magis posset credi, quia et alibi librarii has voces confuderunt: vt apud eundem Ouid. I. Met. 222. *discrimine certo*, inuenit in duobus optimae notae codicibus Heinsius, pro vulgato, *aperto*. quia tamen *apertum pignus* non absurde dictum est, relinquamus Phaedro sua verba, donec per codices, si quos fortuna offert, aliter constet.

POETA.

POETA.

Adhuc superſunt multa, quae poſſim loqui,
40 Et copioſa abundat rerum varietas;

Sed

39 *Loqui,*] *Eloqui* Heinſius, et Bentlejus. neſcio quare. an, ſi *dicere* Phaedrus maluiſſet, diſplicuiſſet? atqui *loqui* et *dicere* idem ſaepe notat. vt Terent. Andr. I. II. 30. *aperte rem ipſam locutus es.* et idem *aperte dicere.* Adelph. IV. V. 30. ſic *loqui recte* noſter IV. 12. *dicere recte* Terent. IV. 3. et centum talia. Iam vero Poëtae, licet ſcribant, *loqui* et *dicere* paſſim dicuntur. vide Voſſ. de Rhet. Natur. I. Barth. Aduerſ. IX. 7. et alios. Si iam Phaedro placuerit *loqui*, quod grauius videtur *τὸ dicere*, et de rebus magnis, ques iactabundi proferimus, ſaepe vſurpatur, vid. ad Petron. CXVII. et Ouid. XVII. Epiſt. 251. Quid praecipui, quaeſo, habebit *τὸ eloqui?* nam et hoc de fabellis ſcripto prodendis deberet ex communi ſententia intelligi. Sed graue nimis hoc pro fabellis, quae narrantur leui ſtilo, verbum mihi videtur. Non enim Phaedrus, vt orator eloquio potens, aut vt ſeuerus index, aut vt Iuno Horat. III. Od. 3. *eloqui*, ſe iactare credendus eſt. *loqui* pro ſcribere hic capit Iohnſonius, et ita vero ſimile eſt omnes intellexiſſe. ſed non videntur adhuc veram rationem vidiſſe, cur hic *loqui*, et ſupra lib. IV. 25. *ſcribere* dixerit. agit enim hic Phaedrus de narrandis fabulis, ſuper coenam aut in amicorum conuentu, de quo egimus in fine prologi huius libri. Supererant ergo multa quae poterat *loqui.* ſed quia Poëtae ſunt *valide moleſti*, vt in fine dicit, breuitate faſtidium tollere volebat. Quando autem, quaeſo, ſunt Poëtae moleſti? raro in ſcriptis. haec enim abiicere poteſt vnusquiſque, quamprimum diſplicere incipiunt, quamquam et ſcribendo moleſti eſſe poſſunt Poëtae, ſi quaſi dedicantes, obtrudunt ſaepe poëmata et ſcripta ſua diuiribus, vt hoc deprecatur etiam noſter in fine libri IV. ſed valide moleſti ſunt cum incipiunt in circulis et conuiuiis cantare et recitare ſua carmina, vt Encolpius ille Petronianus, et alii, qui congerronibus et conuiuis ſunt *valide*, vel *valde moleſti.* vide de his Freinshemium ad verſ. vltimum: et quo ſpectat praeceptum Ouidii II. Art. 508.

Nec ſua non ſanus ſcripta poëta legat.

vbi vide quae diximus, et de voce *moleſtus* ſup. ad lib. IV. fab. 25. et III. XIX. 10 Hos verſus ergo Phaedrus in quodam conuiuio, forte a Particulone praebito, poſt vnam vel alteram iam narratam fabulam pronuntiauit, et ne Particuloni et reliquis moleſtus eſſet, ſubiicit aliam, ſed breuiſſimam: licet vero mihi de fabulis huius libri quinti id manifeſtum videatur, ſuſpicor tamen etiam priores fabulas, certe magnam partem Phaedrum amicis ſuis recitaſſe, antequam in libros collectas ederet. ita certe illam lib. III. 6. capio, vbi

Quam dulcis ſit libertas breuiter proloquar.

niſi quis ibi *locutum* vel *prolocutum* velit capere de fabula, quam ſcripto conſignauit, ſed ego proprie ſumi malo.

Sed temperatae ſuaues ſunt argutiae:
Immodicae offendunt. Quare, vir ſanctiſſime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
45 Si non ingenium, certe breuitatem adproba,
Quae commendari tanto debet iuſtius,
Quanto Poëtae ſunt moleſti validius.

41 *Suaues ſunt argutiae:*] Hic iterum obtrudit Cl. Bentlejus *ſuaue.* cuius Graeciſmi an ſtudioſus fuerit Phaedrus neſcio. certe nullum extat veſtigium niſi hic, et lib. III. 7 ſed vtrumque a Cl. Bentleji manu impreſſum; vellem vero exemplum ſimul Vir egregius protuliſſet, vbi plurali additur. Illud neutrum ſingulare *triſte lupus* vulgo adduci ſolet. ſed an *triſte lupi ſtabulis* etiam dicere liceat dubitabo, donec auctoritates videam. certe Voſſius de Conſtr. cap. V. quae producit, omnia ſingulare habent ſubſtantiuum. vt nec apud Vrſin. Sect. VIII. cap. 2. pag. 14. exemplum extat pluralis ſubſtantiui nominis. doceri hoc equidem cupio. *ſuaues* vero dixit, non *gratae*, quia illud proprium conuiuiis, vbi cibi, vinum, ſermones, conuiuae, omnia debent eſſe ſuauia. Petron. LXI. *ſolebat eſſe ſuauis in conuictu.* et *ſuauiter eſſe* cap. LX. *ſuaue vinum* XXXIX. vbi vide notas. *ne ſileret ſine fabulis hilaritas* eodem auctore CX. *Argutias* vero eſſe ipſas fabellas, et ſermones illos ſuper coenam, quibus ſe placere conuiuis, et ingenio alios vincere contendebant. idem Petronius in coena Trimalchionis vbertim docet, ſuper quam omnis generis fabulae vibrabant: in qua illa huc maxime faciunt, cap. LVII. *nec mu nec ma argutas.* et cap. XLV. *quid moleſtus ille argutat? quia tu non potes loquere, non loquis.* qui locus noſtrum Poëtam, qui *loquendo* et *argutando* nolebat eſſe moleſtus, illuſtrat egregie, et de voce, in hac ipſa re, vide ad cap. XLIII. Vides ergo recte τὸ *loqui* hic Phaedrum praetuliſſe aliis verbis. et non vſum τοῦ *ſcribere*, vt fecerat in fine lib. IV.

Superſunt multa quae ſcribam, ſed parco ſciens,
Primum eſſe ne tibi videar moleſtior.

ſic *argutos libellos* ſuos vocat Ouid. V. Triſt. IX. 23. et Martialis I. Ep. 1. ſic ſeruus in culina, apud Plautum facetus et vrbanus, *inter patinas exhibebat argutias*, Moſtell. I. I. 2. ſed haec ſufficiant, vt *loquor* tueatur locum ſuum, et Phaedri mens illuſtretur, ex mea quidem ſententia, a qua facile, meliora doctus non per audaces emendationes, ſed rationes ex ipſis literis interioribus petitas inductus, diſcedam.

45 *Adproba,*] Non moueo litem huic lectioni, ſed nihil impedit, quo minus et hic *adprobo* legamus, ſcilicet tibi, vt ſupra lib. IV. verſ. 24. hoc verbum explicuimus. Gallicus interpres, qui non vidit hic agi de narratione fabularum, de ſuo adiecit, *en liſant: je vos ſupplie, en liſant ces livres d'honorer de voſtre approbation.* et tamen in fine dicit poëtas eſſe moleſtos, *par leur long diſcours*, hoc recte; ſi de ſermone, non ſcripto caperetur. ſed ita non cepiſſe videtur, nec priora ad poſteriora exegiſſe.

FAB.

(87) FAB. VI.

Duo Calui.

Inuenit caluus forte in triuio pectinem,
Accessit alter, aeque defectus pilis:
Eia, inquit, in commune, quodcumque est lucri.
Ostendit ille praedam, et adiecit simul:
5 Superum voluntas fauit; sed, fato inuido,
Carbonem, vt aiunt, pro thesauro inuenimus.
Quem spes delusit, huic querela conuenit.

(88) FAB. VII.

Princeps Tibicen.

Vbi vanus animus, aura captus friuola,
Adripuit insolentem sibi fiduciam,

Facile

FAB. VI.

1 *In triuio*] In quo solebant iacere res viles et abjectae. vid. supr. lib. I. fab. 27.

2 *Defectus pilis:*] Vide ad lib. I. fab. 21. huc facit Epigramma Martialis lib. XIV. 25. cuius lemma, *pecten ad caluum:*

Quid faciet, nullos hic inuentura capillos,
Multifido buxus, quae tibi dente datur?

3 *In commune,*] De hac formula quaedam habet Vavass. de vi et vsu quorumdam Verbor. pag. 73. Sic dicitur Ἑρμῆς κοινὸς, *Mercurius communis* (de quo Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Dianam vers. 70.) cui res inuentae et fortuito oblatae debebant consecrari. vide Stanl. ad Aeschyl. Sept. contr. Thebas. vers. 514.

7 *Huic querela conuenit.*] More suo Cl. Bentlejus *querela haec conuenit.* quanto suauius et commodius potuisset eiecto *huic*, quod facile subintelligi iam toties vidimus, dari cum Rittershusio, vnde illud *haec* arreptum est; *Quem spes delusit, haec querela conuenit.* sed tutius nihil nouare, quia Phaedrus saepe relatiuum praeponit. vid. IV. III. 1.

FAB. VII.

2 *Arripuit fiduciam,*] Magnum illud aeui nostri cymbalum *Joh. Clericus* in Biblioth. Antiq. et Noua tom. 5. p. 178. se hoc Phaedri loco tuetur, contra Iesuitam Gallum, censoria ipsi acerbitate litem de Latinitate mouentem, quod scripsisset *sumere fiduciam:* quod Loiolita vt parum Latine dictum traduxerat. Non vidi, quibus armis eum oppugnet aduersarius, sed et me patrono, si tali auxilio et defensore vti dignetur, se Clericus tueri poterit; si de se et confiden-

tia

Facile ad derisum stulta leuitas ducitur,
Princeps tibicen notior paullo fuit,
5 Operam Bathyllo solitus in scena dare.

Is

tia sua, qua notus et nobilis est, vsus fuerit hac phrasi. nam vanus eius animus, et longo iam tempore aura captus friuola, recte et Latinissime dici potest, *sumsisse fiduciam, confidentiam, insolentiam, iram, spiritus, superbiam et arrogantiam:* (hunc enim locutionum cumulum ex Thesauro Stephani, vnico sibi praesidio, coaceruat, quibus ex Instin. XXVII. 2. *audaciam* potest addere) his enim phrasibus egregie exprimere potest ingenium et mores suos. neque quemquam noui, nisi qui eum ignorat, qui hac de re ipsi controuersiam faciet: immo modestiam in eo ostendit, quod tantum *sumere* dixerit *fiduciam*, non ad Phaedri exemplum *arripere:* hoc enim verbum maiorem arrogantiae gradum notat, et qui plus sibi sumit, quam debet. vt Ouid. IV. Met. 224.

—— —— —— *Neue*
Arripite arbitrium matri secreta loquenti.

Cicero de Senect. XVIII. *non cani, non rugae repente auctaritatem arripere possunt. Capere audaciam praesentem* dixit Apulej. II. Metam. in fine.

3 *Leuitas*] Vid. h. l. prolog. vers. 8.

4 *Notior paullo*] Quo vero Phaedre? cur non explicas: et cur tacent interpretes? solus Iohnsonius supplet *aliis*, qui solebant Bathyllo operam dare. Ignorarunt scilicet omnes adhuc, te has fabulas Particulonis, aut alterius diuitis patroni, in mensa narrasse et recitasse: cum enim primam illam de Scurra et Rustico recitasses breuiorem, et deinde conticuisses, Particulo vero et conuiuae delectati eius fabulae suauitate, plures quaererent, tu timens ne hac longiore offenderes et ideo cessasses, et vrgentibus amicis, et plures poscentibus fabulas, praefatus esses, his versibus

Supersunt multa, quae possim loqui etc.

deinde hac praefatione viam ad longiorem hanc muniuisses, nunc narrare incipis de Principe, Tibicine paullo notiore, illo nimirum Scurra, qui porci vocem effinxerat. Sic tibi egregie constabit sensus, et omnia nouam lucem in hoc libro V. accipient. An vero illam de caluis duobus interieceris in coena, an postea interposueris, cum in libellum omnes vnum conieceris, nescio. si prius, forte tetigisti quosdam conuiuas, quibus, vtpote illiteratis et stupidis, non magis fabulae a te recitatae prodesse poterant, quam caluis illis pecten: vel forte debet haec fabula adhaerere praecedentibus Poëtae verbis, vt fabula II. libri 2. adhaeret prologo et libri III. fab. I. finminus; haec de Principe deberet illi praeponi. sed hoc nihil est, et librariorum hic aliqua culpa esse potest. Miratus certe fui neminem hic haesisse, et illud *notior* non explicuisse, vt saepe comparatiui solent sumi, pro maxime notus, vt Gallus interpres, *estant assez conn.* aut emendasse pro *paula, populo*, aut aliquid aliud tentasse, quod ne postea fiat (nam omnia hodie tuta timemus) praemunienda sunt auctoris fere singula verba.

5 *Operam*] Idem est quod adiuvare,

Is forte ludis (non ſatis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit caſu graui
Necopinans, et ſiniſtram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluiſſet perdere.
10 Inter manus ſublatus, et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menſes tranſeunt,
Ad ſanitatem dum venit curatio.
Vt ſpectatorum mos eſt, et lepidum genus,

Deſide-

vare, vt fab. V. *ſine adiutoribus.* ſaltanti enim Bathyllo tibicen modos praebebat. aliter alicui *operam dare* dicitur, qui diſcit ab aliquo, vt ita Bathyllus diſcipulos multos, qui ipſi operam dabant, habuit. ſed hic eſt *adiuuare*. et haec locutio varie ſaepe ſumitur, pro materia. Gallus vaga nimis verſione dedit, *dont Batylle comoedien* (nec hoc recte exprimit mimum vel pantomimum) *avoit accouſtumé de ſe ſervir*. id eſt, quo utebatur. ſed multis aliis vtebatur ad varia ſcenae miniſteria; hoc tantum ad modos praebendos. quod apertius exprimendum erat.

7 *Pegma*] De hac machina et voce vide Seruium ad Virgil. III. Georg. 24. Claudian. Conſ. Mallii verſ. 324.

> *Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis.*

Senec. Ep. LXXXVIII. *His annumeres licet machinatores, qui pegmata per ſe ſurgentia excogitant.* etc.

8 *Necopinans*,] Neueletus et Bentlejus *necopinus*. non inuideo laudi; mihi peraeque vtrumque arridet, ſed alterutrum tamen tantum placuit Phaedro, cuius manes excitare, vt nos manum ſuam doceat, in re tam leui operae pretium non exiſtimo. vide lib. I. fab. 9. codices tamen qui habent, *opiaſed*, magis fauent τῷ *opinans etc.* litera enim *n*, centies omiſſa, vel virgula ſuperducta notata.

10 *Inter manus*] Sic Florus III. 19. et 21. et alii ſaepe loquuntur. vid. ſup. II. 7.

12 *Ad ſanitatem*] *Ad ſalutem* dixit Terent. Andr. III. II. 2. et Adelph. IV. 103.

13 *Vt ſpectatorum mos eſt, et lepidum genus,*] Heinſius *et cupidum genus*, ſed hoc non ſatis exprimit, cuius rei cupidum ſit: nam durum eſſet, ſubintelligere, *cupidum videndi Principem.* I. F. Gronouius malebat, *ad lepidum genus*, id eſt, vt ſolent eſſe adfecti erga illud ſuaue genus tibicinum. vellem pro copia ſua et eruditione illuſtraſſet genus illud loquendi, *eſſe ad aliquem*, cuius, ſi non addatur adiectiuum aliquod, exemplum ignoro. Video eundem Gronouium Statii locum lib. VI. 161. eodem modo, et mutato in *ad*, ita emendaſſe,

> —— —— *At quin et blandus ad illam,*
> *Nate, magis ſolam noſſe atque audire vocantem.*

ſed ibi eſt *blandus ad illam*, quod fere eſt vt illud Terentianum Eunuch. III. 2. *coepit ad id alludere.* et Iuſtini I. 4. *veluti ad notam alluſit.*

Desiderari coepit, cuius flatibus
15 Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobiles;
Et incipiebat Princeps ingredier. Eum
Adducit pretio, precibus, vt tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
20 Qui simul aduenit, rumor de tibicine

Fre-

sit. In inscriptione apud Sponium in Miscel. Erud. Ant. pag. 36. *Egregia ad omnes homines mansuetudo et munificentia*. simile fere illud Livii XXXVI. 8. *nullam gratiam ad Macedonas, odium ingens ad Philippum monit*. Sed haec nondum efficiunt, vt credam mutandum aliquid: sed *lepidum* spectatorum *genus* forte dixit, quia in desiderio suo testando et postulando Principe, iocis vel dictis quibusdam fuerant vsi, exempla sunt apud Suetonium Claud. cap. XXI. Tit. cap. VIII. et alibi.

17 *Et incipiebat*] Haec varie tentantur. Cl. Bentlej.

Et vt incipiebat posse princeps ingredi,
Inducit pretio, precibus

in quibus me offendunt illa *et vt;* et deinde *posse ingredi*, quod nihil plus significat, quam *ingredi*. In MSS. non reperitur *posse;* licet non negem probabiliter posse defendi loco illo Ciceronis a Gudio adducto. sed miror virum fastidiosum, qui libr. I. fab. 27. *conueniens esse potest*, quod est in scriptis, concoquere non potuit, hic contra auctoritatem scriptorum recipere auide illud *posse ingredi*. sed licere vtroque modo loqui, et *posse* addere, vel omittere, sine sententiae damno, patet ex Suet. Vesp. 7. de Basilide liberto, *quem iampridem propter neruorum valitudinem vix ingredi, longeque abesse constabat*. et ibi *vix ingredi posse* intelligitur, sed *τὸ posse* non exprimitur. Quid? si legamus continuatis verbis,

Erat facturus ludos quidam nobiles,
Vt incipiebat Princeps ingredi.

id est, eo tempore ludos erat facturus, quo incipiebat iterum ingredi. in reliquis, quae in codice exhibentur, *a se abduci*, et glossa Gudii, latet aliquid, quo Principem sine adminiculo iam ingressum significatur. *a se ingredi* vero vix Latinum puteın; sed cum *ingredier* fuisse in MSS. potuit, hinc in vltimis illis *er*, et etiam in *reum* vestigia verae lectionis, et praepositionis *per* absorptae latere possunt, et forte ita posset constitui locus totus,

Erat facturus ludos quidam nobiles,
Vt incipiebat per se Princeps ingredi.
Adducit pretio etc.

per se enim obuium est, pro solus, sine adiutoribus. vt lib. III. 10. 58. *per te cognoueris*. vbi vide Schefferum, et ad Ouid. Medicam. 27. et Suet. Caes. 56. verba autem transposita fuisse ex antiquis editionibus satis patet.

20 *Qui simul aduenit,*] Hic iterum ridicule errauit interpres Gallicus. *qui* enim credens ad *Principem* referri, vertit ita *luy donc s'y estant rendu*. atqui mox sequitur demum

Fremit in theatro: quidam adfirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulaeo misso, deuolutis tonitrubus,
Di sunt locuti more translatitio.
25 Chorus reducto tunc, et notum canticum

Impo-

demum rumorem fuisse, illum *proditurum*. tu ita cape, lector: *qui*, scilicet *dies* ludorum, cum aduenerat, rumor fremit per vrbem. ita lib. I. fab. 16. *cum dies aduenerit*. Virgil. lib. VII. 144.

Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,
Aduenisse diem, quo debita moenia condant.

XI. Aeneid. 687.

Aduenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret.

et lib. X. 11.

Adueniet iustum pugnae (ne arcessite) tempus.

Quis autem talia vmquam verba notis illustranda crederet? sed ignorantia et temeritas interpretum vernaculorum cogit ad talia nos descendere. verba sequentia *de Tibicine* potuissent docere, *qui* ad eum non posse referri.

23 *Aulaeo misso*, etc. *more translatitio.*] Recte hunc locum explicuisse Schefferum puto. et firmat eius interpretationem Apulej. I. Met. *Oro te, inquam, aulaeum tragicum dimoueto, et siparium scenicum complicato, et cedo verbis communibus*. Auctor vero de Tragoedia docet olim *aulaeis*, postea *sipariis* vsos. Macrob. II. 9. ex Sallustio, *exornatis aedibus per aulaea insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis* etc. et mox, *praeterea cum sedenti in transenna demissum victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat*. qui locus haec Phaedri vnice illustrat. *more* vero, vt in alia re Ouidius II. ex Pont. V. 54.

Hoc superos iures more solere loqui.

vbi non opus est *ore* legere. *tralatitium* satis explicuerunt Viri docti. vid. ad Petron. cap. CX. et Suet. Aug. X.

25 *Chorus reducto*] Et hic varia tentata sunt, quae omnia violentiorem medicinam referunt. Cl. Bentleji conatus non placuerunt Anonymo, et certe *more docto* quid velit, non explicat satis plane Vir Clarissimus: nec nouum illud canticum fuisse constat ex illis, quae Viri docti adduxerunt ad illud illustrandum. *Chorus insonat canticum* immerito culpatur, hoc enim satis defendi posset, sed nihil huc facit. quod vero Anonymus tentat,

Tunc Chorus: ignotum modo reducto canticum
Imposuit.

obscurissimam sententiam facit. si enim post *tunc Chorus* distinguendum, deberent etiam statim sequi verba, quae chorus pronuntiauit, vt solent Virgilius et Ouidius et alii, quando *Tunc ego, Tunc Deus:* et similia in mutuis sermonibus aut narrationibus nobis exhibent. nec opus tunc addere, *cuius haec sententia:* saltem omnia deberent post *Chorus*, ad *laetare* includi parenthesi, cum omnia sint clara in vulgata hodie lectione, in qua etiam

X scripti

Impoſuit, cuius haec fuit ſententia;
Laetare incolumis, Roma, ſaluo Principe.
In plauſus conſurrectum eſt. Iactant baſia.
Tibicen gratulari fautores putat;
30 Equeſter ordo ſtultum errorem intelligit:
Magnoque riſu canticum repeti iubet.

Itera-

ſcripti codicis veſtigia ſatis ſunt expreſſa, quae vt magis ſeruentur, hoc ordine poſſent verba diſponi,

Tunc Chorus; et notum mox (vel *modo*) *redacto canticum*
Impoſuit.

hoc ſenſu: Chorus et notum canticum, (quod chorus canebat ex more, vel per *ἓν διὰ δυοῖν canticum chori,*) Principem reductum in theatrum, fefellit, qui errore vocis *Principe* deluſus, credebat ſibi chorum gratulari ſanitatem redditam, cum Imperatoris honori canebatur. *Notum* vero ſine dubio tenendum eſt: fuit enim vſitatiſſimum, vt hac, vel ſimili formula gaudium ſuum Populus teſtaretur, vt vel ſolus Suetonii locus in Galba cap. XIII. docuit, vbi *notiſſimum canticum* a populo Galbae accommodatur. vide, praeter adductos ab aliis, Bernard. Ferrar. de Acclamat. lib. I. cap. 14. et Lindenbr. ad Amm. Marcell. XIV. cap. 5. *Imponere* vero decipere eſſe, vnde *impoſtor*, nemo ignorat. vid. Petron. cap. LXXXI. CII. et paſſim. nihil vidit Gallicus interpres, quem recte arguit eius cenſor.

28 *Iactant*] Nec hoc monendum: vidimus iam bis terue in ſimilibus ſubintelligi debere *homines*, vt hic debent *ſpectatores*. Potuit Princeps aliis geſtibus et etiam voce, quae in tanto fremitu a populo non exaudiebatur, ſed ab equitibus, qui in quatuordecim propius ſcenam ſedebant, intelligebatur, errorem ſuum prodere. ſi *iactaſſet* baſia Princeps, vidiſſet etiam Populus. nec ſine copula *putat* ſubiunxiſſet Phaedrus, quam miror Cl. Bentleium, qui nuſquam fere talia in Phaedro ſine copula tolerat, non intruſiſſe, vel *iactans baſia putat* legere nos iuſſiſſe. quare Anonymus cautius fecit legens, *iactat baſia putans.* quod iam Walchius occupauerat. non tamen aliquid produxit, vnde Hiſtriones aut Tibicines iactaſſe baſia colligitur. ſed frequens oris et manus mentio in populi acclamationibus et applauſu: vt hic, *voce manuque* populus fauebat Choro; quemadmodum et apud Mart. VIII. 65.

Roma ſalutauit voce manuque ducem.

et ſaepe Sueton. Claud. XII. Tit. VIII. et hoc Cicero indicat per *ſignificationes et voces* lib. I. ad Q. Fr. Ep. I. §. 14. eodem modo, vt apud Horatium de Maecenate, manifeſto periculo morbi erepto, lib. II. Od. 12.

—— —— cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit ſonum.

Baſia vero iactata a fautoribus docuit Scriuerius ad Martial. I. 3. vid. et eumd. lib. II. 34.

29 *Gratulari*] Vide ad IV. 25.

31 *Repeti iubet.*] Vt ſaepe fiebat, vbi ab hiſtrionibus aliquid pronuntiaretur, quod ſpectatoribus placeret, et illi in alium ſenſum detorqueri poſſe gauderent. vid. Ciceron. II. ad Att. 19. Mox Cl. Bentl. diſtinguit poſt *Iteratur* : *Illic*

homo :

Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Totum prosternit: plaudit inludens eques;
Rogare populus hunc coronam existimat.
35 Vt vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps ligato crure niuea fascia,
Niueisque tunicis, niueis etiam calceis,
Superbiens honore diuinae domus,
Ab vniuersis capite est protrusus foras.

X 2 FAB.

homo: quia, *hic* et *illic* eleganter pro *tunc* sumi solet. quod debuisset probare Vir doctus de *τῷ illic.* sed producit exemplum, vt sunt ad manum plurima certe, de *τῷ hic*, de quo hic non agitur. quo modo si liceat emendare, nihil vmquam nos morabitur. multo verosimilius Heinsius *illico;* sed seruemus *illud*, scilicet canticum.

32 *Homo meus*] Eleganter. Petron. cap. XLI. *durant rogare interpretem meum.* cap. LXXII. *Homo meus coepit ad stellas facere.* Quinctil. Decl. XII. 18. *At legatus meus ad emendum modo proficiscitur.* vbi vide. in quibus omnibus iudicii nostri de talis hominis ingenio vel moribus nota quaedam subest. et hoc Franci sua lingua, *mon homme* dicentes, obseruant.

36 *Niuea fascia* etc.] Haec non debent coniungi cum *superbiens*, sed cum *Princeps*. hoc modo, Princeps ligato crure, Princeps niueis tunicis et calceis: vt supra lib. II. 5. *tunica, cirris dependentibus.* et mox fab. seq. *occasio, comosa fronte:* subintelligi potest *in* vel *cum*, vt dicimus *in hasta, in telo, in veste.* vel *cum veste* etc. vel potest iungi *τῷ ligato*, vt sit *crure ligato niuea fascia*, vt ita caput Lysimachi vulnerati diademate fuit ligatum, apud Iust XV. 3. sed propter sequentia praefero prius. erat vero hic habitus femineus, vt *niuei calcei*, de quibus vid. ad Ouid. III. Art. 271. et ita Citharoedi et tibicines, molles plerumque viri, delicato et fere muliebri cultu vtebantur. nihil ergo hic deest, nec opus cum Hauptio, homine meo, Misc. Lips. t. I. p. 260. intrudere versum inficetum.

Et id genus, quae corpus ornant, pluribus.

quae quidem *citra scandalum* pueri legere possunt, sed propter *eximiam vtilitatem*, vt potius Phaedri stilo adsuescant, procul abiici merentur. Crediderunt vero quidam, sensum deficere, quia illos ablatiuos nescirent quo referrent interpretes; nam cum *superbiens* non poterant coniungi, quia haec non esse ornamenta peculiaria diuinae domus sciebant: nec per appositionem cum *τῷ honore* iungi; sed superbiebat Princeps tibicen honore diuinae domus, id est, canticum huius honori a lactante choro datum, suam in honorem credebat cantari et repeti. De *diuina domo* multa mentio in inscriptionibus, vide Indicem Gruteri et Inret. ad Symmach. pag. 166.

39 *Capite est protrusus foras.*] Locutio haec frequens est de illis, qui vt ex loco quodam extruduntur, quia plerumque cadunt vi impellentium in caput, vel proni certe capite protento fugere coguntur. ita de Phaëthonte expulso curru

(89) FAB. VIII.

Occasio depicta.

Cursu volucri, pendens in nouacula,
Caluus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas: elapsum semel

Non

curru Ouidius II. Met. 320. *Voluitur in praeceps.* quod recte Regius explicat, *in caput cadit.* vt I. Art. Am. 547.

In caput aurito cecidit delapsus asello.

et ita saepe *praecipitem cadere, decidere, volui, mittere* idem Ouidius. An vero his illustrari possint illa Herodoti I. cap. 156. κὰι ἐγὼ κεφαλῇ ἀναμάξας φέρω, acutioribus relinquo excutiendum. similius puto esse illud Luciani in Timone p. 128. Edit. Graev. κὰι ἐπὶ κεφαλὴν ἐξωθεὶς τῆς οἰκίας. et pag. 139. ὠθεῖν κὰι τοῦτον ἐπὶ κεφαλὴν βαττίζοντα, quod recte ab interpretibus, praecipites prono capite protrusi sint, est acceptum. sic et illa ex Liuio adducuntur lib. XLIV. 35. *itaque cum alii praecipites sine responso agendos castris* etc. et illa Martialis Spectac. Ep. XI.

Praeceps sanguinea dum se rotat vrsus arena.

recte explicant Ramiresius et Marcilius. et ita passim loquuntur veteres.

FAB. VIII.

1 *Cursu volucri*] Olim editum *cur sit*, vnde Rittersh. *vir sit*, scilicet pictus sit, sed omnes deinde *cursu* prodiderunt. hic iterum liberalis praeter necessitatem donat vocula superuacanea Phaedrum Cl. Bentleius, *cursu ille volucri*, et cum alias saepe secundo loco iambum amet, hic tribrachyn vel anapaestum dat, quid vero concinnius sit nescio. Quidam hic imaginem temporis putant exprimi, quod tenebat nouaculam manu, ex Epigrammate Posidippi in Anthol. lib. IV. cap. XIV. pag. 486. sed respicitur ad prouerbium Graecum ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, de quo Erasmus in Prouerbiis titulo discriminis pag. 260. cui adde aliud epigramma ex lib. III. cap. V. p. 291.

Ακμᾶς ἑστηκυῖαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν

Ταῖς ἡμῶν ψυχαῖς κείμεθα ῥυσάμενοι.

neque hic de volante imagine, aut cum alis, agitur, sed quae suspensis pedibus stat in acie nouaculae, et iamiam auolatura videtur. vt recte Cl Perizonius ad Aelian. XII. Var. cap. 58. *Pendere* quidem saepe de volantibus, qui in aëre, leni volatu se mouentes quasi pendent, vt et Schefferus ex Ouid. IV. Met. 517.

Cumque super Libycas victor penderet arenas,

docet. et ita alii: At hic capiendum de tali statu corporis, quo ostenditur inclinatio in celerem et volucrem cursum. vt apud Virgil. V. Aeneid. 147. de aurigis, *pronique in verbera pendent.* nec hic, *in nouacula* est, vt fab. praecedenti diximus, *in fascia, hasta, in armis*, quae Schefferi est explicatio. sed reuera pendens in nouacula, pedibus tantum non ei inhaerentibus. *Cursus volucer* vt de volatu, ita et de celeri

Non ipse possit Iupiter reprehendere;
5 Occasionem rerum significat breuem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem temporis.

(90) FAB. IX.

Taurus et Vitulus.

Angusto in aditu taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad praesepia,
Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret.

X 3 Tace,

celeri ingressu per terram potest intelligi. vt sit *Caluus cursu volucri*, pro velox. ita apud Claudian. III. de laud. Stilich. 321.

—— —— *Non volucri fugiunt pernicia cursu.*

et de nauigatione Ouid. I. Trist. X. 5.

Nec comites volucri contenta est vincere cursu.

Posset et aliquis hic reponere, *cursu volucris, pendens in nouacula*, vt *cursu celer* et similia occurrunt: quia variare voluisse videtur noster occasionis siue temporis dotes. sed seruo vulgatam, et distinguo cum aliis post *volucri.* ita mox, *comosa fronte, nudo corpore.* Et praeterea huc credo respexisse Senecam VI. Nat. Quaest. cap. vlt. *in puncto fugientis temporis pendeo.* An credas haec intellexisse interpretem Gallicum, qui reddit, *un homme ayant des aisles et qui court si vite, qu'il pourroit marcher sur le trenchent d'un rasoir sans se blesser.* Saepe legimus de celeribus et velocibus, super fluctus, arenas, aristas et similia cucurrisse. vid. ad Val. Flac. III. 527. et comment. ad Virgil. VII. Aeneid. 808. sed numquam super acumina nouaculae.

4 *Reprehendere;*] Eleganter pro retrahere. vide Bernec. et Vorst. ad Iustin. XXXVIII. 9.

FAB. IX.

1 *Taurus luctans*] Miror et hic silere viros doctos, et patienter hanc constructionem ferre. cum *tauro luctanti* dicendum fuisset. sed iam saepe ita Phaedrum malle loqui animaduertimus. ita et Apulej. Flor. XIV. *Crates ille, Diogenis sectator, qui ut lar familiaris cultus est, nulla domus ei vmquam clausa erat.* alia exempla dabit Cortii diligentia ad Sallustii Iugurth. cap. XXX. t. et quae ibi laudat. vid. supr. III. 20.

2 *Intrare*] Hic absolute ponitur, vel subintelligitur portam, aditum illum angustum. vid. ad lib. III. fab. 10. eadem ratione *intrare in domum*, et similia obuia, de quibus vide notas Heinsii ad Ouid. VII. Metam. 492.

3 *Plecteret.*] Eadem ratio, quam saepe dedimus, (nempe librarios aut Glossatores rarioris significationis vocabula notis supposuisse, non contra) suadet ne hic *flecteret* legamus. vide Scheffer. de Re Vehic. lib. I. cap. 4. et ad Ouid. I. Fast. 345. et XIII. Met. 894.

5 *Sibi*

Tace, inquit, ante hoc noui, quam tu natus es.
5 Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

(91) FAB. X.

Venator et Canis.

Aduersus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper fecisset satis,
Languere coepit annis ingrauantibus,
Aliquando obiectus hispidi pugnae suis

Adri-

5 *Sibi dici*] Vide ad lib. IV. 19. vs. 18.

FAB. X.

1 *Fortis veloces*] *Fortis et velox* Heinsius, quod recepit Bentlejus, quia *fortis* aduersus apros et leones, *velox* contra lepores et ceruos erat. sed quis vmquam dixit, *velox contra lepores?* cum rectius *fortis* posset intelligi duplici de dote; viribus, pugnando contra leones etc. cursu, insequendo veloces, ad quod etiam viribus opus. vt noster supra fab. 2. ridiculi caussa dixit, *quantis fugias viribus*. et vt ille canis apud Ouid. III. Met. 219. *cursu fortis Aëllo*. et, quod idem fere, VIII. Met. 311. *cursu inuictus Echion*. de equo idem Naso III. Art. Am. 595.

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit.

et VI. Met. 221. *fortes conscendunt in equos*. et ita apud nostrum lib. I. fab. V. vbi leo dicit, *quia sum fortis*, vel *quia plus valeo*, apud Romulum fab. 6. legitur, *eo quod plus omnibus cucurri*.

3 *Ingrauantibus*,] Ex more sui seculi vsus hoc verbo, vt neutro, cum nesciam an florente sermonis Latini elegantia ita vsi fuerint. sed Suetonius quoque Caes. cap. I. dixit, *quartanae morbo aggrauante*. et cap. LXXVIII. *Praegrauant tamen cetera facta*. Veteres *ingrauescere* et *aggrauescere* magis vtebantur. hic iterum vt suum obtrudit vir Cl. *languere vt coepit*. sed nos non admisimus.

4 *Hispidi suis*] Sues apud Poëtas pro apris poni frequens est. vide Barth. ad Stat. IX. Theb. vers. 589. et noster lib. II. fab. 4. *suem* et *aprum* promiscue posuit. Masculini generis etiam Ouidius, licet frequentius alii feminini, facit, vt X. Met. 549. *Setigerosque sues*. Fast. IV. 414. ex MS.

— — *ignauum sacrificate suem.*

in Ibi vers. 508.

Ora super fixi quem cecidere suis.

et Claudian. II. in Rufin. 487.

Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.

Mart. XIII. 41. *Aetolo de sue dives edat.*

Adripuit aurem: sed cariosis dentibus
Praedam dimisit. Hic tum venator dolens
Canem obiurgabat. Cui latrans contra senex:
Non te destituit animus, sed vires meae.

X 4 Quod

5 *Adripuit aurem:*] Heins. *aure.* quem iterum sequitur Bentlejus. credo, si *aure* fuisset in vulgata, maluissent critici *aurem:* nam aequo iure vtrumque se tueri potest, vt hoc ostendi pluribus ad Ouid. II. Met. 476.

6 *Hic tum*] Geminari has particulas solere docebunt exempla ab Axenio ad lib. I. fab. XIV. vers. 5. adducta ex Cicerone et aliis.

7 *Cui latrans contra senex:*] Olim legebatur, *senex contra latrans*, sed cum prima in *latrans* sit longa, vt hoc operose satis ostendit Hoogstratanus, subuentum fuit versui sola transpositione verborum, qua et nos, et omnes in Phaedrum interpretes, et Cel. Bentlejus, centies vsi fuerunt; quae medicina certe est mollissima: neque video, qui meus est stupor, quid versui ita constituto insit scabri, aut duri. sed Cl. Vir hic excudit nobis, *cui senex contra Lacon.* et eleganter Poëtam, cum prius *canis* dixisset, postea inferre *Laconem* iactat. Sed quis crederet Phaedrum, qui fere bestias ornat epithetis, quibus maxime ab aliis dignoscuntur, hic vsum designatione canis, ex origine aut genere, qua numquam vsus fuit. sic cum *barbatum* pro hirco, *bidentem* et *lanigerum* pro oue, *auritum* pro asino, et similia dedisset nobis, multo verosimilius est *latrantem*, quam *Laconem* dixisse. in Horatii loco alia res est, ibi de diuersis generibus canum agitur, non de vno; *Molossus* aut *Lacon.* Alia attulit Anonymus, quibus *Laconem* illum exegit loco. sed nec ille felicius mihi videtur obtrudere *Hirriens*, quod nulli Poëtae vsitatum scio, et inter illa vocabula, quae rarissime in Poëtarum aut Oratorum scriptis occurrentia, apud Grammaticos fere solos nobis sunt reliqua. sed quia fastidiosi critici nolunt in sedem quartam bisyllabam vocem admittere, nisi sit prima breuis, legamus,

Canem obiurgabat, latrans cui contra senex.

Quidquid sit, alia produci debent, antequam illud *latrans* mutem in sublimioris stili illud *Lacon*, aut in inusitatum *hirriens*, cum et in mediocri genere carminis Ouidius VIII. Met. 411. dixit:

—— —— Quod casus ab illo
Vertit in immeriti fatum latrantis.

8 *Non te destituit animus,*] Heinsius legebat *non nos.* sed voculae duae tres *n* habentes offendunt, quare Hoogstratanus, ex P. Francii sententia *non me*, et ita Walchius et Cl. Bentl. Credo, parum interesse, nam canis vires, non animus destituebat dominum, quod per eius infirmitatem praeda caruerit: canem vero ipsum destituebant vires, quae abierant, non animus, qui manebat, sed inutilis. Ouid. Ep. XV. 136.

Tam cito me somnos destituisse queror.

id est, abiisse, reliquisse. et posset huc aliquo modo facere illud ex III. Pont. IX. 18.

Iudicium vires destituuntque meum.

vid. ad lib. I. 21.

Quod fuimus laudas, iam damnas, quod non ſumus.
10 Hoc cur, Philete, ſcripſerim; pulcre vides.

9 *Quod fuimus laudas, iam damnas, quod non ſumus.*] Et hic, quia in quarta ſede eſt ſpondeus in biſyllaba voce, varie refingunt verſum, Gudius et Bentlejus et alii. Heinſius etiam, *Quod fuimus laudas, dum damnas quod nunc ſumus.* Barth. XLIV Adv. 6. *Quod fuimus laudas, iam damnas quod ſumus.* Rimicius. *fuimus aliquando fortes, laudaſti quod fuimus, iam damnas quod ſumus.* Anonym. Nielantii, *laudaſti quod fui, mihi iam damnas quod ſum.* ego legebam olim,

Quod fuimus laudaſti, damnas iam quod ſumus,

vel, vt ſatisfiat Criticis, *iam damnas.* ſed quocumque modo ſcripſerit Phaedrus, ſenſus ſemper fere idem exit. Sic in veteri epigrammate Caſſii Parmenſis inter Catalecta Pithoei p. 186.

Iactat modo, quod damnauerat ante.

vbi Heinſius malebat *laudat*, de illo, *quod fuimus, quod ſumus*, vide Heinſ. ad Ouid. Ep. IX. 106. et XII. 31. et alia Poëtae loca, vbi ſaepe *quod* et *quid* commutarunt ſcribae. vt II. Met. 551.

Quid fuerim, quid ſimque vides.

III. Triſt. VIII. 38.

Quid ſim, quid fuerimque ſubit.

et IV. I. 99.

Dum vice mutata, quid ſim fuerimque, recordor.

in quibus omnibus etiam *quod* codices alii. vt lib. VIII. Met. 881. *Nam modo, quod nunc ſum, videor.* et XII. 501. *Quod fuit ille, ſumus.* III. Triſt. XI. 25. *non ſum quod fueram.* II. ex Pont. III. 49. *ſi quod prius eſſe ſolebas Nunc quoque es.* Martial. VI. 40.

Haec erit hoc, quod tu. tu non potes eſſe, quod haec eſt.

et centies alibi.

F I N I S.

IN-

INDEX
IN
PHAEDRI FABVLAS.

Prior numerus librum, posterior fabulam significat.

A.

A Catena detritum collum 3, 7. feminis spoliari viros 2, 2. radicibus euertere 3, 10. superis merces fraudis 1, 17
A coena redire 2, 8. a negotiis vacare 3. *prol*, a furibus tueri domum 3, 7
Ab altris altis 3, 6. ara rapere facem 1, 28
Ab humeris destricta tunica 2, 5
Ab iniuria tutae 1, 31. sermone cognitus 4, 21. ab vniuersis protrusus 5, 7
Abdere corpus domo 2, 6
Abditi thesauri 4, 19
Abesto hinc 3. *prol.*
Abiicere agros 4, 4. se 4, 1
Abigi 4, 23
Abire domum 3, 2. 3, 19. impune 1, 8. abiturus illuc, quo priores abierunt 4, 19
Abripere quem contumeliis 4, 17
Absentis admirator 4, 21
Absistere timere 3, 2
Absolui 3, 9
Abundat copia materiae 4, 25. varietas rerum 5, 5
Accede, pota leniter 1, 25
Accedere 2, 6. 5, 6. ad lectum 3, 10. ad praesepe 2, 8
Accendere lucernam 3, 19. accendi de lucerna sacrum 4, 10. accensa magis 3, 16
Accessum dare 2, 1
Accidere illis 3, *prol.* accidit aliquid simile 4, 17.
Accipere 3, 5. alios 3, 13. partem 4. 24. praemium 3, 5. res 4, 4. accipere bonas in partes 2, *prol.* accepimus 1, 26. accipiens in contumeliam 3, 8. accepta merces 4, 21
Accipiter rapit passerem 1, 9
Accommodare se humanitati 3, 16
Accurrere 5, 2
Accusator 3, *prol.* accusatores 3, 10
Acer canis 3, 7
Acerba vua 4, 2. acerbum conuicium 4, 16
Acriter contendere 4, 23
Acti mentes 1. 18
Acuit sese industria 2, *prol.*
Ad animum referre 3, 19. ad necem currere 2, 8. coenam inuitare 1, 26. coenam promittere 4, 24. fabellam ferri 5, *prol.* perniciem deuocare 3, 5. ad sidera 1, 6. fontem resistere 1, 12. sanitatem venit curatio 5, 7. se 4, 21. ianuam 4, 24. lanium 3, 4
